CHRONOLOGIA
SERIEM TEMPORVM, ET HISTORIAM RERVM IN ORBE GESTARVM

continens ab eius origine, vſq; ad annum à Chriſti ortu milleſimum ducenteſimum.

AVCTORE ANONYMO, SED cœnobij S. Mariani apud Altiſſiodorum, Regulæ Præmonſtratenſis monacho.

ADIECTA EST AD CALCEM APPENDIX ad annum vſque milleſimum CC. XXIII.

Nunc primum in lucem edita opera & ſtudio
NICOLAI CAMVZÆI *Tricaſſini.*

Ad Reuerendiſſ. Altiſſiod. Epiſcopum,

TRECIS, VÆNEVNT PARISIIS,
Apud ADRIANVM BEYS,
via Iacobæa.

M. DC. IX.
Cum priuilegio Regis.

REVERENDO
IN CHRISTO PATRI, AC DOMINO D. FRANCISCO DE DONADIEV, PERVIGILI Altissiodorensium Episcopo, S.

ITA natura comparatum est (Præsul lectissime) vt nullius boni quantumuis eximij, iucunda & suauis sit possessio, nisi consortes aliquos habeamus quibuscum communicatum, vberiorem lætitiam efficiat: cum enim sui diffusiuum sit, si arctis quibusdam angustiis constringatur, naturam ipsam boni quodammodò amittere, & sibi dissimile fieri videtur. Qui ingentes gazas & amplissimos thesauros infœlici arca (vt ait ille) flagellat, & veluti strangulat, tantum abest vt dulcem aliquem fructum gratámq; voluptatem ex illis colligat, vt potius noctes diesq;, sollicito animo angatur, & quam operosa sit magni census custodia, acerbissime experiatur. Si vero ad horum bonorum societatem

& communionem benemeritos de Rep. viros vocauerit, si eis præsidio & adminiculo fuerit, qui rei familiaris angustiæ oppressi, ad res præclaras non facile possunt emergere: tunc domum sentit, quanto plus illa erogata & effusa prosint & oblectet, quam loculis & follibus coërcita. Nec vero id tantum ad ea quæ externa appellantur bona pertinet, sed ad ea multo potiori iure, quæ animis hominum erudiendis excolendisq; conducunt. Quo in genere eminere & præstare censeo, luculentissima veterum scriptorum monumenta, quæ non modo qui occultant & supprimũt, Reip. literariæ insigni damno & detrimento sunt, sed etiam ij, qui non omnibus modis ex antiquis Bibliothecis eruta, è tenebris & puluere, in lucem & delicias efferunt. Quibus ego commotus, cum ante aliquot menses, reliquias & analecta biblioehecæ Pontiniàcensis cœnobij in tua diœcesi constituti inuiserem, inter cæteros codices M. S. qui post incendiis toties deformatum insigne illud monasterium aliasq; vastitates superfuerant, venit in manus Chronicon cœnobitæ cuiuspiam S. Mariani Altissiodorensis, quod cum à capite, ad calcem percurrissem, & plurima in eo notatu obseruatúq; dignissima, & hactenus obscura incognitáq;,

An. 1372. die 1. Febr. incendio absumpta fuit Ecclesia Pôtiniacensis, quæ postmodum instaurata rursus incensa est à Caluinianis anno 1568. die 6. eiusdem mens.

contineri, ipsorum etiam Archipræsulum Senonensium, & Episcoporum Altissiodorensium seriem recto ordine deductam, indicari deprehendissem: operæpretium me facturũ iudicaui, si illud typis committendum excudendumq; curarem: & vt emendatius ac tersius in lucem prodiret, alterius exemplaris mihi copiam fieri contendi, quo singulari beneficio D. Pau. Petauij in suprema Parisiensi Curia Senatoris, viri clariss. & vndecumq; doctissimi obtento, & cum Pontiniacensi collato, visum mihi est plurima è Sigeberti Chronico excerpta, quæ in auctoris librum inserta erant decerpere, tum ne in immensam molem liber excresceret, tum quod superuacua eorum editio esset, cum multis abhinc annis in vulgus emissus Sigebertus fuerit, & doctorum manibus cotidie teratur. Ac vt iudicium meum de Authore (quod tamen in aliorum iudicium qui me longe occulatiores sunt mitto) proferam: eum copiosissima sacra profanaq; historiæ supellectile instructum fuisse censeo, synçere & ex bona fide singula narrare, veritatis (quam historiæ animam nemo nescit) tenacissimum, stylo vt non tam proprio quam mutuatitio, sic vario & multiplici vti. Monacum autem cœnobij S. Mariani

Altissiod. fuisse in operis præfatione apertissime ipse indicat, sed præfixus in fronte libri titulus, dicti monachi nomen minime præsefert, quamquam in vtroque exemplari litura quæ in fine anni 1210. ad que vsq; annum Chronicon perduxit cernitur, obliteratum & obscuratum esse videtur. Verum vt discipulus prioris, posterior dies, deinceps ei Roberto nomen fuisse non leui aliqua coniectura didici, sed quod ita expressum haberetur in eo exemplari quod in dicto S. Mariani cœnobio etiamnum custoditur. Quæ autem sequuntur post annum prædictum 1210. ab Hugone qui in eamdem familiam nomen dederat adiecta sunt. Illud vero me potissimum impulit, vt sub nominis tui auspiciis, hoc Chronicon in communem omnium conspectum emitterem, quod (vt iam dictum est) seriam & Historiam præsulum qui tibi in hoc decursu pontificio lampada tradiderunt complectatur. Nec mihi dubium fuit, quin tibi acceptum gratumq; foret nostrum munusculum, immo non nostrum, sed tuum: cuius enim æquiori titulo esse potest, quam eius, qui ad egregiorum Antistitum in eo descriptorum speculum & exemplar suos mores effinxit & viuendi rationem composuit: In quibus diœcesi scriptum,

& summi viri ingenio excultum ac industria elaboratum est? Nefas itaque fuit te quasi tuæ possessione & dominio priuare, & sub alterius authoritatis clypeo sartum tectúmque ex operto hoc opusculum in apertum producere. Bene vale. Tricassibus ipsis Feriis Augusti Ecclesiæ Doctoris D. Augustini Ann. 1608.

R. D. T. obsequentissimus N.
CAMVZAT Tricassianæ Ecclesiæ Canonicus.

Extraict du priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy, il est permis à Noël Moreau dict le Coq, marchant Libraire & Imprimeur en la ville de Troyes, d'Imprimer vn liure intitulé *Chronologia seriem temporum & Historiam rerum in orbe gestarum continens ab eius origine vsq; ad annum à Christi ortu millesimum ducentesimum &c.* Et deffences sont faictes à tous autres Libraires & Imprimeurs de ce Royaume, de l'Imprimer, vendre ne debiter sans le consentement dudict Moreau sur les peines contenuës ez lettres dudict Priuilege, & ce iusques au terme de dix ans, à commencer du iour que l'Impression dudict liure sera paracheuée, comme plus à plain est contenu esdites lettres patentes. Donné à Paris le quatorziesme Decembre 1607. seellées sur simple queuë du grand seel, en cire Iaulne.

Par le Conseil.

Signé SANGVIN.

DESCRIPTIO TOTIVS ORBIS ET REGIONVM IN ORBE.

Primo de Asia.

MAIORES nostri Orbem totius terræ Oceani limbo circumseptum triquadrum statuere, eiusq; tres partes, Asiam, Europam, & Africam vocauerunt, Asia tribus partibus Oceano circundu-cta, per totam transuersi plagam orientis extenditur. Hęc ab oriente ortu solis, a meridie Oceano, ab occiduo mari nostro, quod generaliter magnum dicimus finitur, à Septentrione Mæotide lacu & Tanai fluuio terminatur. Habet autem prouincias multas & regiones, quarum breuiter nomina prosequemur, sumpto initio a paradiso. Paradisus est locus in Orientis partibus constitutus, cuius vocabulum ex græco in latinū vertitur Hortus. Porro hebraice Eden dicitur, quod in nostra lingua delicię interpretatur, quod vtrumq; iunctum facit Hortum deliciarum, Est enim omni genere ligni & pomiferarum arborū consitus, habens etiam & lignum vitæ, Non ibi frigus, non ęstus, sed perpetua aëris temperies, E cuius medio fons prorumpens totum nemus irrigat, diuiditurq; in quatuor nascentia flumina, his appellata nominib⁹, Geon, qui & Nilus, Phison qui & Ganges, Tigris & Eufrates. Hæc autem flumina licet ex Paradiso primam habeant originem, sæpe tamen absorbentur a terra, & in pluribus locis iterum emergunt, vnde & Ganges nasci dicitur in locis Caucasi montis, Nilus non procul ab Atlante monte, Tigris & Eufrates in Armenia ex vno fonte. Porro Paradisi post peccatum primi hominis aditus interclusus est, Septus est enim vndiq; romphæa flammæa, id est muro igneo accinctus, ita vt eius cum cœlo pene iungatur incendium. Cherubin quoq; id est Angelorum presidium arcendis spiritibus malis, super rompheæ flagrantiam ordinatum est, vt homines flammæ, angelos vero malos, angeli submoueant, ne cui carni vel spiritui transgressionis, aditus pateat Paradisi. India ab Indo flumine dicta habet gentes multas & oppida: Insulam quoq; Taprobanam gemmis & elephantis refertam. Terra Indiæ Fauonij spiritu saluberrima in anno bis metit fruges, vice hyemis ethesias patitur. Ibi sunt montes aurei, quos adire propter dracones & griphes, & immensorum hominum monstra impossibile est. Parthia ab Indiæ finibus vsq;

Tres præcipuæ mundi partes, quib⁹ additur America siue orbis nouus.

Paradisus vbi sit & quid significet.

Paradisi amœnitas.

4. Flumina è Terrestri Paradiso manantia Gene 2. ca.

India vnde nomen sortita.

Parthia.

Mesopotamiam generaliter nominatur. Propter inuictã enim virtutem Parthorum qui a Scythia venientes Parthiam occupauerunt, eamq; ex suo nomine vocauerunt & Assyria & reliquę proximę regiones nomen eius traxerunt. Sunt enim in ea, Arachosia, Parthya, Assyria, Media, & Persia, in qua primum orta est ars magica, ad quam Nembroth gigas post confusionem linguarum abijt, ibique Persas ignem colere docuit. Assyria in qua primo vsus inuentus est purpurę, inde primum crinium & corporum vnguenta venerũt, & odores quibus Romanorum & Grecorum effluxit luxuria. Post Parthiam sequitur Mesopothamia quam ab Oriente Tigris, ab occiduo Euphrates ambiunt, cui ad Meridiem succedit Babylonia, deinde Chaldæa, nouissime Arabia. Syria in immensam longitudinem porrecta, in lato angustior, maximas habet in se prouincias, Comagenam, Phœniciam, & Palæstinam, cuius pars est Iudęa vsq; ad Saracenos & Nabathæos, que prius Canaan dicta, post Iudęa ex nomine Iudæ, ex cuius tribu reges habuit, In medio Iudeæ ciuitas est Hierosolyma, quasi vmbilicus regionis totius terræ, variarum opum diues, frugibus fertilis, aquis illustris, opima balsamis, vnde secundum elementorum gratiam existimauerunt Iudæi eam promissam patribus, terram fluentem lacte & melle, cum hinc illis Deus resurrectionis prerogatiuam polliceretur. Samaria regio palestinæ, inter Iudæam & Galilęam media iacet. Galilęa quoq; Palęstinæ est regio, quæ quidem duplex est superior & inferior, sibi tamen connexæ, Syriæ & Phœniciæ adherentes. Ægyptus regio est pluuiarum ignara, quam Nilus solus circumfluens irrigat, & sua inundatione fœcundat, vnde & ferax frugibus, multam partem terrarum frumento alit, cæterorum quoq; negotiorum adeo copiosa, vt impleat necessarijs mercibus etiam orbem terrarum. Est autem Ægyptus inferior quæ ab Oriente habet Syriam, a meridie Nilum: & Ægyptus superior, quæ in Orientem per longum extenditur. Bactriana in qua regnauit Zoroastes magorum primus, quem ferunt fuisse Cham, qui a Nino rege Assyriorum occisus est. Scythia gentes habet multas propter infœcunditatem terrarum late vagantes, ex quibus quędam agros incolunt, quędam portentosę ac truces carnibus humanis, & earum sanguine viuunt. Scythię autem plures terræ sunt locupletes, inhabitabiles tamen plures. Nam cum in plerisq; locis auro & gemmis affluant, gryphorum immanitate accessus hominum rarus est, Smaragdis autem optimis hec patria est. Huic subjacet Hyrcania Syluis aspera, copiosa feris immanibus, pantheris, pardisq; & tygribus. Albania, cuius populi albo crine nascuntur. Armenia, in cuius montibus Archa post diluuium sedisse perhibetur: Hæc autem duplex est superior & inferior, sicut duæ Pannoniæ. Iberia regio Asiæ est prope Pontum Armeniæ iuncta. Cappadociam vrbs propria nominauit. Post hanc sequitur Asia minor, multas habens prouincias, Bithyniã in qua est Nicomedia, Frygiam, in qua est Troia, quam ex suo nomine appellauit Tros Troianorum rex Ganimedis pater, Galathiam quæ a priscis gallorum gentibus sic dicta est, a quibus extitit occupata. Lydiam

Ars Magica vbi primũ nata.

Syriæ descriptio.

Ægyptus duplex.

Scythia.

Armenia.

quam Pactoli vnda extulit in diuitias torrentibus aureis, Pamphiliam, Cariam, Ysauriam, in qua est Seleucia, Ciliciam, in qua est Tarsus, vbi quondam beatus Paulus extitit educatus. Lyciam, vbi est mons Chymera, qui nocturnis ęstibus ignem exalat, sicut in Sicilia Ethna, & Veseuus in campana. Hæ omnes prouinciæ & regiones continentur in Asia. Post Asiam sequitur Europa. Sed quia de Europa profusius locuturi sumus, prius de Africa differamus.

De Africa.

AFRICAM, cum tertiam partem orbis maiores nostri accipiendam descripserint, non spatiorum mensuras sed diuisionum rationes secuti sunt. Mare hoc siquidem magnum quod ab occasu ex Oceano oritur, in meridiem magis vergens, angustiorem inter se & Oceanum, coarctatæ Africæ limitem facit, vnde etiam aliqui quamuis eam longitudinem parem, tamen multo angustiorem intelligentes, verecundum arbitrati sunt, tertiam vocare partem sed potius in Europa, Africam deputantes, secundam portionem appellare maluerunt. Præterea cum multo amplius terræ in Africa, ardore solis, quam in Europa rigore frigoris, incultum atq; incognitum sit, quippe cum omnia pene animantia vel germinantia patientius & tolerabilius ad summum frigoris, quam ad summum caloris accedunt, ea scilicet causa est, Africam per omnia situ & populis minorem videri, quia & natura sui minus habeat spatij, & cæli inclementia plus deserti. Huius principium est a finibus Ægypti vrbisq; Alexandriæ, vbi Paratonium ciuitas sita est super hoc mare magnum quod omnes plagas terrasque medias interfluit. Porro termini eius ad occidentem ijdem sunt, qui & Europę, id est fauces gaditani freti, vltimus autem eius finis est mons Atlas, & insulæ quas fortunatas vocant. Hæ sunt autem prouinciæ quæ continentur in Africa, Libya Cyrenensis, in qua est vrbs metropolis Cyrene Pentapolis, quæ a quinque vrbibus sic dicta est, idest Berenice, Ceutria, Apollonia, Ptholemais, Tripolis, quę etiam a tribus magnis vrbibus dicta est, idest Ocea, Sabratæ, Leptis magna, Bizacium vbi est Adrumit⁹ ciuitas. Que quidem regio fœcunda oleis, & glebis ita præpinguis est, vt iacta ibi semina incremento pene centesimę frugis renascantur. Zeugis, vbi Carthago magna. Ipsa est & vera Africa inter Bizacium & Numidiam, a Septentrione siculo mari iuncta, cuius proxima quæque frugifera sunt, vlterior autem bestijs & serpentibus plena, atq; onagris magnis in desertum vagantibus. Getulia Africæ pars mediterranea est. Numidia, quæ vrbes habet precipuas, Ypponem regiam & Susicadam. Mauritania, que a nigrore nomen sortita est, sicut Gallia a candore. Est autem triplex Mauritania, Sitifensis, Cæsariensis & Tingitana, regio gignens feras, Simias, Dracones & Struthiones. Garamontis regio, vbi est fons qui friget calore diei, & calet frigore noctis.

Enumeratio Prouinciarum Africæ.

Æthyopia, cuius populos solis vicinitas torret, Deniq; vim syderis prodit hominum color, Est enim ibi iugis ęstus, Nam quicquid eius est, sub meridiano cardine est. Circa occiduum autem montuosa est, arenosa in medio, ab orientalem vero plagam deserta, plurimas habens gentes diuerso vultu & monstruosa specie horribiles. Ferarum quoque & serpentium referta est multitudine. Illic quippe rinoceros bestia, & basilicus, draconesq; ingentes, ex quorum cerebro gemmæ extrahuntur, Cinnamomum ibi colligitur. Duæ sunt autem Æthyopię, vna circa ortum solis, altera circa occasum in Mauritania. Proxima autem Hispaniæ Mauritania est, deinde Numidia, inde regio Carthaginensis, post quam Getuliam accipimus, post eam Æthyopiam, in loca exusta solis ardoribus. Hæ regiones continentur in Africa. De Europa dicendum restat.

Africa ferarũ copia abundat.

De Europa.

Europæ descriptio.

EVROPA in tertiam partem orbis diuisa, incipit à flumine Tanai, descendens ab occasu per Septentrionalem Oceanum vsq; in fines Hispaniæ, Cuius pars orientalis & meridiana, à Ponto consurgens, tota mari magno coniungitur, & in Insula Gadis finitur. Prima Europæ regio, Scythia inferior est, quæ a Mæotidis paludibus incipiens inter Danubium & Oceanum Septentrionalem, vsque ad Germaniam porrigitur. Quæ terra generaliter propter Barbaras gentes quibus inhabitatur barbarica dicitur, de qua, gens Normanorum egressa est. Huius pars prima Alania est, post hanc Dacia, vbi & Gothia. Deinde Germania à Danubio inter Rhenum fluuium Oceanumq; conclusa, terra diues virum ac numerosa populis & viribus pręualidis, & statura proceris. Duæ sunt autem Germaniæ, superior iuxta septentrionalem Oceanum, inferior iuxta Rhenum. Prouinciarum autem quas Danubius a barbarico ad mediterraneum mare secludit, prima est Mysia, post quam Pannonia, Thraciæ ab oriente est vrbs Constantinopolis prius dicta Byzantium, & Propontidis sinus qui & Bosforus qui etiam nunc dicitur brachium sancti Georgij. Gręciæ 7. sunt prouinciæ, quarum prima ab occidente Dalmatia, deinde Epeirus, inde Hellas, inde Thessalia, inde Macedonia, inde Achaia, & duæ in mari, Creta & Cyclades, Illyris autem generaliter omnis Grecia est. Porro Hellas, ipsa est & vera græcia, vbi est ciuitas Athenæ mater liberalium literarum & phylosophorum nutrix, qua nihil habuit Græcia clarius atq; nobilius. Helladis autem duæ sunt prouinciæ, Boetia & Peloponnesus, In Thessalia primum solidi aurei facti sunt, domandorum quoq; equorum vsus primum ibi repertus est, ibi est mons Parnassus. Macedonia quæ primum Emathia dicta est, patria Alexandri magni, & regio aureis venis argentiq; optima. Mons Olympus in ea est, qui excellenti vertice tantus attollitur, vt in cacumine eius nec nubes nec venti sentiantur, Achaia peninsula est, nam à septentrionali

Equi vbi primum domiti.

parte quæ Macedonię iungitur, vndique septa est mari. Huius caput est vrbs Corinthus gręcię decus, Arcadia vero sinus Achaiæ est, ipsa est & Sicyonia. Pannonia, regio viro fortis & solo læta, quæ iungitur cum Norico & Rhætia, Istria quam Ister influit, ipse est Danubius. Italia, quæ & Latium dicta est, ipsa & Hesperia, ipsa & magna Græcia olim dicta cuius situs lõgitudine amplius quam latitudine a Circio in Eurum extenditur, a meridie Tirrheno mari, ab aquilone Adriatico clauditur, ab occiduo alpium iugis finitur, terra in rebus omnib[9] pulcherrima soli fertilitate, pabuli vbertate gratissima. Habet autem fluuios Tiberim, Padum, qui & Eridanus, & tepentes fontibus Baias, Tuscia pars Italiæ in qua est Roma, Vmbria vero pars Tusciæ, Apulia vbi Brundusium est, Campania, vbi est vrbs Capua, inter tres maximas Romam, Carthaginemq; numerata. Campania ipsa est quæ nunc terra laboris dicitur, habet terras hyeme atque ęstate vernantes. Sol ibi mitis temperie grata, aër purus & blandus. Post Italiam sequitur Gallia, sed de Hispania prius loquamur, vt post modum de Gallia latius prosequamur. Hispania quæ & Iberia ipsa est & vera Hesperia inter Africam & Galliam sita, circumfusione Oceani Tirrheniq; pelagi Peninsula efficitur a septentrione pyreneis montibus inclusa salubritate cæli æqualis, frugum omnium generibus fœcunda, gemmarum metallorumque copijs ditissima, interluunt eam flumina magna, Bœtis, Minius, Iberus, & Tagus aurum trahens vt Pactolus. Habet prouincias sex, Tarraconensem, Carthaginensem, Lusitaniam, Galiciam, Baeticam, & Transfretanam in regione Africæ, Tingitanam. Duæ sunt autem Hispaniæ citerior quæ in septentrionis plaga à Pyrineo vsq; ad Carthaginem porrigitur vlterior quæ in meridiem à Celtiberis vsque ad Gaditanum fretum extenditur. Gallia à candore populi nuncupata est, γάλα enim græce, lac dicitur. Montes enim & rigor cæli ab ea parte solis ardorem excludunt, quo fit vt candor corporum non coloretur. Hanc ab oriente Alpium iuga tuentur, ab occasu Oceanus includit, à meridie prerupta Pyrenei, à septentrione Rheni fluenta atque Germania, cuius initium Belgica, finis Aquitania est, Regio gleba vberi ac pabulosa, & ad vsum animantium apta, fluminibus quoq; & fontibus rigua, perfusa duobus magnis fluuijs Rheno & Rhodano. Porro Belgica à ciuitate Belgis quæ & Treueris dicitur, Aquitania vero ab aquis obliquis fluuij ligeris, qui eam ex parte terminat, appellatur. Sciendum sane vniuersam Galliam in quatuor prouincias à veteribus fuisse diuisam, hoc est Belgicam, Lugdunensem, Narbonensem, Aquitanicam. Belgica prouincia habet ab oriente limitem fluminis Rheni & Germaniam, ab Euro Alpes apenninas, à meridie prouinciam Narbonensem, ab occasu Lugdunensem, à Circio Oceanum Britannicum. Fluunt per eam Scaldis, Matrona, Mosa, & Axona quæ vltimos Remorum fines præterfluit. Silua etiam habetur in ea, quæ dicitur Arduenna, quæ a ripis Rheni vsq; in treuirorum fines extenditur. Lugdunensis prouinciæ ducta per longum & per angustum inflexa, Aquitanicam prouinciam semicingit. Hęc ab oriente

Fluuij Italiæ.

Hispaniæ descriptio.

Descriptio Galliæ.

habet Belgicam, à meridie partem prouinciæ Narbonesis qua Arelas ciuitas sita est, vbi mari gallico Rhodani flumen excipitur, fluunt per eam Rhodanus & Arar qui & Sauconna vocatur, & Sequana qui Oceano britannico randem inmergitur. Porro hæc prouincia oritur à monte Iura qui est inter Sequanos & Heluetios, & à lacu Lemano & flumine Rhodano, extenditurque ad Oceanum Britannicum & ad Ligeris alueum dilatatur, qui eam ab Aquitania separat, & diuidit. Narbonensis prouincia habet ab orientis parte Alpes gothicas, ab occidente Hispaniam à Circio Aquitaniam, à septentrione prouinciam Lugdunensem ab Aquilone belgicam, à meridie mare gallicum, quod est inter Sardiniam & insulas Baleares. Aquitanica prouincia obliquo cursu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus eius est in orbem cingitur, & à Garumna flumine ad Pyreneos montes extenditur. Hęc à Circio, Oceanum qui Aquitanicus Sinus dicitur, ab occasu Hispanias habet à septentrione & oriente Lugdunensem prouinciam contingit. Hæc quidem secundum antiquos, verum secundum modernos vniuersa Gallia in decem & octo est prouincias dispertita. Hæ sunt autem Senonensis, Belgica prima vbi est Treueris, Belgica secunda vbi est Remis, Lugdunensis, Turonensis, Rothomagensis, Bituricensis, Burdegalensis, Viennensis, Maximasequanorum vbi est Vesontio, Alpes Graiæ vbi est Tarantasia, Arelatensis, Narbonensis, Alpes maritimæ vbi est Ebredunum, Aquensis nouempopulana vbi est Auscia, Moguntina, Coloniensis. Hæc sunt autem nomina ciuitatum quæ in his prouincijs continentur.

Enumeratio 18. Prouinciarum Galliæ.

Senonensis prouincia.

Metropolis ciuitas Senonis, ciuitas Carnotum, ciuitas Parisius, ciuitas Aurelianis, ciuitas Meldæ, ciuitas Trecæ, ciuitas Antissiodorum, ciuitas Niuedunum quæ & Niuernis.

Remensis prouincia.

Metropolis ciuitas Remis, ciuitas Suessionis, ciuitas Cathalaunum, ciuitas Veromanduorum quæ & Nouiomus, ciuitas Atrebatum, ciuitas Cameracum, ciuitas Tornacum, ciuitas Siluanectis, ciuitas Beluacus, ciuit. Ambianum, ciuitas Morinorum quæ & Taruana, ciuitas Bolonia.

Treuirensis prouincia.

Metropolis ciuitas Treueris, ciuitas Mediomatricum quæ & Metis, ciuitas Leucorum quæ & Tullum, ciuitas Vereduna.

Lugdunensis prouincia.

Metropolis ciuitas Lugdunum, ciuitas Ædua quæ & Augustodunum, ciuitas Lingonis, ciuitas Cabilonis, ciuitas Mastico.

Turonensis prouincia.

Metropolis ciuitas Turonis, ciuitas Cenomannis, ciuitas Redonum, ciuitas Andes quæ & Andegauis, ciuitas Namnetum, ciuitas Corisopitum, ciuitas Ciantum id est Venetum, ciuitas Oxiomus id est Sagiensis, ciuitas Diablintum idem Adala.

Rothomagensis prouincia.

Metropolis ciuitas Rothomagus, ciuitas Baiocassium, ciuitas Abrinca-

rum, ciuitas Ebroicarum, ciuitas Salarum id est Sajarum, ciuitas Lexouiorum, ciuitas Constantia.

Biturieensis prouincia.

Metropolis ciuitas Buturix, ciuitas Aruernis quæ & Clarus mons, ciuitas Ruthenus, ciuitas Albiensis, ciuitas Cadurcum, ciuitas Lemouicum, ciuitas Gabalorum, ciuitas Vallaunorum.

Burdegalensis prouincia.

Metropolis ciuitas Burdegala, ciuitas Agennum, ciuitas Eccolisma, ciuitas Sanctonas, ciuitas Pictauium, ciuitas Petracoriorum.

Viennensis prouincia.

Metropolis ciuitas Vienna, ciuitas Geneua, ciuitas Gratianopolis, ciuitas Albensis quæ & Viuarium, ciuitas Dia, ciuitas Valentia, ciuitas Carpentoracte, ciuitas Tricastinorum, ciuitas Sancti Iohannis.

Maxmia sequanorum prouincia.

Metropolis ciuitas Vesuntio, ciuitas Losanna, ciuitas Basilea, ciuitas Belisama.

Alpes Graiæ.

Metropolis ciuitas Tarantasia, ciuitas Augusta, ciuitas Sedunum & Octodorum.

Arelatensis prouincia.

Metropolis ciuitas Arelas, ciuitas Segusterum, ciuitas Aurasica, ciuitas Auennum, ciuitas Abtensis, ciuitas Regiensis, ciuitas Grassa.

Narbonensis prouincia.

Metropolis ciuitas Narbona, ciuitas Tholosa, ciuitas Nemausus, ciuitas Magalona, ciuitas Bitherensis, ciuitas Lutenensis, ciuitas Agatensis, ciuitas Vticensis, ciuitas Carcassionensium, ciuitas Elenensium.

Alpes Maritimæ,

Metropolis ciuitas Eberodunum, ciuitas Vapincum, ciuitas Dinia, ciuitas Niceæ, ciuitas Sanesio, ciuitas Glandis, ciuitas Antipolis, ciuitas Vencio.

Aquensis prouincia.

Metropolis ciuitas Aquensis, ciuitas Massilia.

Nouempopulana prouincia.

Metropolis ciuitas Auscia, ciuitas Lectoratum, ciuitas Conuenarum, ciuitas Suranorum, ciuitas Boiatum, ciuitas Bearnensium, ciuitas Vesatica, ciuitas Aquis, ciuitas Thussa, ciuit. Elosaticum, ciuit. Elloronensium.

Moguntina prouincia.

Metropolis ciuitas Moguntia, ciuitas Nemetum idest Spira, ciuitas Vangionum idest VVormantia, ciuitas Argentinum idest Strabourch.

Coloniensis prouincia.

Metropolis ciuitas Agripina quæ & Colonia, ciuitas Tungris quæ & Leodium.

Qui accurate diuisiones prouinciarũ Galliæ & vetera & recentia nõia vrbiũ Episcopalium Fräciæ nosse voluerit, legat libell. de Notitia Episco. Galnouissime an. scilicet 1606. per insignẽ virum D. Pap Massonum stilo mundissimo scriptum et editum.

Has ciuitates continent supradictæ prouinciæ intra Gallias comprehensæ. Porro Gallorum gens natura ferox est & ingenio acrior, quod naturalis situs climatum facit, Quorum olim in tantum effloruit fortitudo, vt ipsos etiam Romanos infestarent, & Romam incenderent. Italiam quoque occupauerunt, vsque ad Senogalliam super mare Adriaticum sitam, ibiq, vrbes condiderunt insignes, Mediolanum & Ticinum,

Gallorum natura & ingenium.

Brixiam & Bergomum, nomenque dederunt Galliæ Cisalpinæ. Eorum præterea virtutis fama excitus rex Bithiniæ bello vrgente in suum eos auxilium euocauit, per quos adeptus victoriam regni eis distribuit portionem, in qua deinceps illi manserunt, eamq; prius Gallogræciam post Galathiam nuncupauerunt. Processu vero temporis à Iulio Cæsare subacta est Gallia prelio decennali, & ex tūc Romanorum subjacuit ditioni à quibus diu sicut & cæteræ prouinciæ procurata per præfectos, tandem ab eorum iure est emancipata per Francos. Quorum origo hæc fuit, quantum colligitur ex relatu fideli maiorum, Post illud famosum, & cunctis seculis & gentibus notum Troianę ciuitatis excidium victoribus græcis cedentes reliquię Troianorum, pars eorum cum Ænea ad fundandum Romanum imperium ad Italiam perrexit, pars vna scilicet 12000. duce Antenore in finitimas Pānoniæ partes secus Mæotidis paludes peruenit, ibiq; ciuitatem ædificauerunt, quam ob sui memoriam Sicambriam vocauerunt in qua multis annis habitauerunt & in magnam gentem coaluerunt, & crebris incursibus romanum solum incessentes, vsque ad Gallias ferocitatis suæ vestigia dilatauerunt. Hos adeo Romanis infestos Constans Cæsar filius magni Constantini bello oppressit, & tandem romano imperio subjectos aliquantulum à sua feritate mansuefieri coegit. Post aliquot annos rebellantibus Alanis contra Valentinianum Imperatorem cum eos non posset Imperator penitus debellare, eo quod intransibiles eos Mæotidis paludes tutarentur, proposuit Valentinianus quod siqua gens has paludes intrare & rebelles Alanos posset conterere, decem annis eos à tributis liberos redderet. Hac pactione Troiani illecti & fortitudine & prudentia sua confisi Priamo duce Mæotidas paludes Romanis inuias ingressi Alanorum gētem exterminauerūt, & ita Valentiniano satisfecerunt. Valentinianus eorum virtute delectatus eos qui prius vocati erant Troiani, deinde Antenoridę, post etiam Sicambri, Francos attica lingua appellauit, qui latina lingua interpretantur Feroces. Alij Francos cognominatos dicunt à quodam eorum rege Francione, qui in bello fortissimus dum cum multis gentibus dimicasset in Europam iter direxit & inter Danubium & Rhenum consedit, ibique progenies eius coaluit nulliusque iugum vsque ad id tempus suscipere voluit. Vndecumq; ergo denominati sint franci, quantum altius colligere potuerunt hystoriographi, hic Priamus regnabat super eos tempore prioris Valentiniani, Nam ex ipso regis nomine recolentes nobilitatem illius Priami sub quo euersa est Troia, inde gloriabantur gentis suę manasse primordia, Exacto decennio, cum exactores repeterent tributa à Francis, Franci pro superiori victoria insolescentes & de viribus presumentes, non solum tributa negare sed etiam Romanis presumunt rebellare, Romani collecto exercitu super Francos irruunt & victos vsque ad internecionem proterunt. Porro reliqui loco cedere melius arbitrati Sicambria egressi sunt, & ripas Rheni fluminis occupantes, Sumnone & Genebaudo ducibus plurima germanorum oppida peruaserunt, deinde gallias incessentes,

Frāci quasi Feroces dicti.

cessentes, primo Treueri vrbe succensa Romanorum cœperunt expugnare præsidia, Defunctis postea Sunnone & Marcomiro ducibus, Pharamundum Marcomiri filium sibi in regem sublimant, ac prius in Austria, post etiam in Neustria regnum amplificant, Est autem Austria inter Rhenum & Mosam, Inter Mosam vero & Ligerim Neustria quasi noua Austria, quæ nunc Francia nuncupatur, Expugnatis deniq; omnibus romanorum præsidijs quicquid eorum iuris erat, ad ius suum trans-ferunt & Gothos qui Regni caput, in Tholosa statuerant, de Gallijs in Hispanias exire compellunt, Sic omnimodis hostibus profligatis, Gallias redigunt in suæ regimen potestatis, demum quoque Romanum assequuntur imperium, primo ex Francorum regibus Carolo magno Romæ in Imperatorem gloriosissime sublimato. *Carol' magnus, è Galliæ regibus primus ad Imperatoriũ apicem euectus.*

Nomina Regum Francorum.

Priamus dux		
Marcomirus dux	11.	
Pharamundus rex	20.	*Post hunc regnauerunt quatuor filij eius regno inter se compartito Clotarius Sueßionis Childeberthus parisijs, Theodericus metis, clodomirus Aurelianis, sed tandem ad Clotharium monarchia reuertitur.*
Clodio	20	
Meroueus	17.	
Childericus	24.	
Clodoueus	30.	
Clotharius	51.	*Huic successerunt quatuor filij eius Chilpericus Sueßionis, Karebertus parisijs, Sigibertbus metis, Guntrannus Aurelianis.*
Chilpericus	33.	
Clotarius	44.	
Dagobertus	16.	
Clodoueus	16.	
Clotharius	3.	*Hinc Francorum regibus a solita probitate degenerãtibus duces dominari cœperunt per quos disponebatur cura palatij & summa belli, Primus igitur Princeps fuit Pipinus Anchisi filius, qui genuit Carolum Tudicem bellicosum principem qui Saracenos ex Hispanijs erumpentes in Gallias, mira virtute contriuit, & in Hispanias redire coegit. Hic genuit Pipinum qui postea deiecto Hilderico, ex Principe Rex factus est, qui genuit Carolum magnum.*
Theodoricus frater eius	19.	
Clodoueus	2.	
Childebertus	17.	
Dagobertus	5.	
Chilpericus		
Theodericus		
Childericus qui & Hildericus. Hic finita est progenies Clodouei regis.		
Pipinus	16.	
Karolus magnus	47.	
Ludouicus pius	26.	
Karolus caluus	45.	
Ludouicus balbus	2.	
Karlomannus & Ludouicus fratres	6.	
Odo hic alienus	10.	
Karolus simplex	10.	

Hic sequuti sumus fidem exemplaris, quod vt vitiosũ corrigi facile poterat

Robertus hic alienus.	1.	Hugo	9.
Radulphus hic alienus	13.	Robertus	30.
Regnum post hunc reductum est		Henricus	25.
Ludouicus filius Caroli	19.	Philippus	49.
Lotharius	30.	Ludouicus Crassus	29.
Ludouicus	9.	Ludouicus pius	43.
Carolus frater Lotharij	1.	Philippus doctus & eloquens	43.
Post hũc translatum est regnum.			

Imperatores Romani cum ad Francos deuenit imperium.

Carolus magnus	13.	Otho	36.
Ludouicus	26.	Otho	10.
Lotharius	15	Otho	19.
Ludouicus	20.	Henricus	22.
Carolus caluus	2.	Conradus	16.
Ludouicus balbus	2.	Henricus	18.
Carolus	9.	Henricus	50.
Arnulphus	12.	Henricus	10.
Ludouicus	10.	Lotharius	10.
Conradus	7.	Conradus	15.
Henricus	18.	Fredericus	

De Insulis.

TRIBVS orbis partibus, Asia, Europa & Africa, earumq; prouincijs summatim perstrictis, Restat nunc loquendum de Insulis, quæ per Oceanum & per Mare magnum diffusæ sunt, & de his maxime, quas solerti cura veteres indagarunt. Hæ sunt itaque Insulæ, in Oceano orientali, ab Austro ad Aquilonem. Taprobana Insula Indiæ, cingitur amne interfluo, tota margaritis plena & gemmis, cuius pars bestijs & Elephantis repleta est, partem vero homines tenent. In hac Insula dicunt in vno anno duas esse æstates & duas hyemes, & bis floribus vernalem locum. Chrysa & Argyræ Insulæ adeo fœcundæ copia metallorum, vt pleriq; eas auream superficiem & argenteam habere prodiderint, Hæ sunt in Oceano Septentrionali, ab oriente ad occidentem. Britannia Insula interfuso mari toto orbe diuisa in aduersa Galliarum parte ad prospectum Hispaniæ sita est Multa & magna flumina in ea, Fontes callidi, metallorum larga & varia copia. Thule, vltima Insula Oceani, inter Septentrionalem & occidentalem plagam vltra Britanniam, à Sole nomen habens, quia in ea æstiuum Solstitium Sol facit & nullus vltra eam dies est, vnde & pigrum & concretum est eius mare. Orcades Insulæ Oceani intra Britanniam positæ numero 33. quarum 20. desertæ sunt, 13. coluntur. Hibernia Insula inter Britan-

niam & Hiſpaniam ſita, Britannia quidem anguſtior, ſed cœli ſoliqúe temperie fœcundior, à Scotorum gentibus colitur. Illic nulla anguis, auis rara, apis nulla, huic etiam Menauia Inſula proxima eſt, & ipſa ſpatio non parua ſolo commoda quæ à Scotorum gentibus habitatur. Eſt in Oceano Septentrionali Inſula magna nomine Scanzia habens ab Oriente lacum vaſtiſſimum, ab Occidente immenſo pelago circumdata, à Septentrione innauigabili concluſa Oceano. In hac autem Inſula multæ & diuerſæ habitant nationes, in cuius Septentrionali parte conſiſtit gens, quæ fertur æſtate media 40. diebus & noctibus luces habere continuas, itemque brumali tempore, eodem dierum & noctium numero lucem claram neſcire, Quod inde euenit, quia prolixioribus diebus ſolem ad Orientem per Axis marginem videt redeuntem, breuioribus vero non ſic conſpicitur apud illos vt Auſtrales conſpiciunt: Nobis enim videtur Sol ab imo ſurgere, Illis vero terræ marginem circuire. Eſt & ibi alia gens quæ frumentorum non queritat victum, ſed carnibus ferarum, atque ouium auiumque viuit. Sunt & ibi Gentes, à quibus veniunt pelles Saberinæ, quæ cum inopes viuant, ditiſſime veſtiuntur. Ex hac Inſula velut quadam vagina gentium, Dani & Gothi egreſſi ſunt. In Oceano occidentali ſunt fortunatæ Inſulæ, beatæ fructuum vbertate, & ſuapte natura precioſa poma ſyluarum parturiunt, fortuitis viribus iuga collium veſtiuntur, ad herbarum vicem, meſſis & olus vulgo eſt, vnde gentilium error & ſecularium carmina poetarum propter ſoli fœcunditatem eaſdem eſſe paradiſum putauerunt. Sitæ ſunt autem in Oceano contra læuam Mauritaniæ Occiduo proximæ, & inter ſe interiecto mari diſcretæ. Gorgones Inſulæ, quas incoluerunt Gorgones fœminæ alitis pernicitate velociores hirſuto & aſpero corpore, & ex his Inſulæ cognominatæ. Heſperidum Inſulæ vltra Gorgones ſitæ ſunt ſub Atlanteum littus in intimos maris ſinus in quarum hortis fingunt fabulæ Draconem peruigilem aurea mala ſeruantem, fertur enim ibi eſſe maris æſtuarium adeo ſinuoſis lateribus tortuoſum, vt viſentibus procul lapſus anguis imitetur. Hæ ſunt in eo mari quod diuidit Europam & Africam. Gadis Inſula in fine Bæticæ Hiſpaniarum prouinciæ ſita, quæ dirimit Europam ab Africa, in qua Herculis columnæ viſuntur. Baleares Inſulæ Hiſpaniæ duæ ſunt, maior & minor, In his primum inuentæ ſunt fundæ quibus lapides emittuntur vnde Virgilius Balearis verbera fundæ. Stoechades Inſulæ Maſſilienſium in fronte Narbonenſis prouinciæ qua Rhodanus fluuius in mare exit. Sardinia Inſula fontes habet calidos, infirmis medelam præbentes, furibus cæcitatem, ſi ſacramento dato oculos aquis eius tinxerint. Corſica Inſula, a Sardinia 20. milium freto diuiditur, multis promontorijs anguloſa, gignens lætiſſima pabula. Ebuſus Inſula Hiſpaniæ, cuius terram Serpentes fugiunt. Huic contraria eſt Colubraria, quæ referta eſt anguibus. Sicilia ab Italia exiguo freto diſcreta, Africum mare proſpectans, terris frugifera, auro abundans, cauernis tamen & fiſtulis penetrabilis, ventiſque & ſulphure plena, vnde ibi &

Virgil. 4. Georg.

Sicilia inſignis Inſula, Vrbis Ro-

me horreũ vocata. Aetnæ montis exæstuant incendia. Hæc quondam patria Cyclopum & postea nutrix Tyrannorum, frugum fertilis ac prima ex terris omnibus commissis seminibus, aratro præscissa. Huius fretum quod Rhegium dicitur, Salustius tali ex causa vocari scripsit, dicens, Italiæ olim Siciliam coniunctam fuisse, & dum esset vna tellus, medium spatium, aut per humilitatem abruptũ est aquis, aut per angustiam scissum & inde Rhegium nominatum, quia græce abruptum hoc nomine nũcupatur, Est autem altissimum trium millium spatio, Siciliam ab Italia diuidens, fabulosis infame monstris, cuius hinc inde Scylla & Charybdis ostenditur. Scyllam accolæ saxum mari imminens appellant, simile celebratæ formæ procul visentibus, vnde & monstruosam speciem fabulæ illi dederunt, quasi formam hominis capitib' succinctam caninis, quia collisi ibi fluctus, latratus videntur exprimere. Charybdis dicta quod gurgitibus occultis naues absorbeat: Est enim mare vorticosum, & inde ibi laniata naufragia, profundo immerguntur. Ter autem in die erigit fluctus & ter absorbet, Nam accipit aquas vt vomat, & vomit vt rursum accipiat. Aeoliæ Insulæ Siciliæ appellatæ ab Aeolo Hippotæ filio, quem poetæ finxerunt regem fuisse ventorum, Sed vt Varro dicit Rector fuit istarum Insularum, & quia ex earum nebulis & Fumo, futuros prædicebat flatus ventorum, ab imperitis visus est ventos sua potestate retinuisse. Eædem Insulæ & vulcaniæ vocantur, quod & ipsæ sicut Aetna ardeant. Sunt autem nouem habentes propria nomina, quarum prima Lipara dicta est. Ex his quædam ab initio non fuerunt, postea mari æditæ vsque adhuc permanent. Hæ sunt ab Hellesponto vsq; ad Gades in mari magno Insulæ Cyclades, quarum est ab Oriente prima Rhodus, à Septentrione Tenedos, à meridie Carpathus, ab occasu Cithera, ab Oriente finiuntur littoribus Asiæ, ab Occidente mari Icario, à Septemtrione mari Aegæo, à Meridie mari Carpathio. Sunt autem omnes Cyclades numero 53. Samos Insula est in mari Aegæo, ex qua fuit Sibylla Samia & Pythagoras Samius, à quo philosophiæ nomen inuentum est. Cyprus Insula ipsa est & Paphus, famosa quondam diuitijs & maxime cupro, Ibi enim primum hoc metallum inuentum est. Creta Græciæ pars est, quæ prima remis & sagittis claruit, prima literis iura finxit. Serpens nulla ibi, nulla noctua, & si inuehatur statim emoritur. Abydos Insula, introitus est Hellespontici maris, in quo Xerses pontem ex nauibus fecit, & in Græciam transijt. Chios Insula adiacens prouinciæ Atticæ in qua Hipocrates medicus est natus, quæ vt Varro testis est, arte lanificij prima in ornamentum fœminarum inclaruit. In mari Syriaco Pathmos Insula est, in qua Ioãnes apostolus à Domitiano relegatus fuit, vbi & Apocalypsim scripsit. Hæc de Insulis quas magis & scriptura memorat & fama peruulgat. Extra autem tres partes orbis Asiam, Europam, & Africam, quarta pars trans Oceanum interior est in meridie, quæ solis ardore incognita nobis est, in cuius finibus Antipodes fabulose inhabitare produntur.

Saluſt. in fragm.

Præfatio Authoris.

Quæ causa Authorē ad scribendum impulerit.

CVM infinita sint temporum gesta, gestorumq; digestores quam plurimi, nec possint ab omnibus omnia vel haberi vel legi: Non inutile duximus ex infinitis pauca colligere, & in vnum coarctare compendium, quæ legenti magis vel oblectamentum pariant, vel profectum. Opus sane arduum diligentiorisque studij, ac nostræ prorsus incompetens paruitati. Verum nonnullam excusationem affert, quod ad hoc, non arroganti sumus præsumptione ducti, sed aliena potius præceptione compulsi. Porro ad id peragendum non modice præstitit, quod venerabilis Abbas noster D. Milo qui ad agendum nos compulit, in agendo quoque strenue coadiuuit: Ipsius namque ducente ac docente industria, nostraque paruitate pariter annitente, cœptum peregimus, & si non competenter vsquequaq;, vtcumque tamen. Competentius autem nobis visum est ordiri à tempore, quo primordialiter, & tempus cum rebus, & res cum tempore verbo Domini sunt exortæ. A mundi itaq; exordio, exordium sumpsimus, & ad nostra vsq; tempora temporum seriem studuimus texere, & ex his, quæ ipsis temporibus acciderunt, aliqua breuiter assignare. Veruntamen præmisimus quamdam orbis, regionumq; in orbe, & Insularum descriptiunculam, ex Orosij, Isidorique libris, succincte vt quiuimus efflloratam. Iuxta hebraicam sane veritatem, ab Adam & deinceps, annos digessimus, primo per generationes, secundo per Iudices, postremo per Reges. Hi vero sunt qui nos potissimum adiuuerunt, Eusebius, Hieronymus, Sigebertus. Eusebius siquidem à natiuitate Abrahæ, vsq; ad vicennalia Constantini, regnorum seriem regumque digessit, cuius opusculum Hieronymus transferens nonnulla intermiscuit, & vsq; ad mortem Valentis continuando protraxit. Abhinc Sigebertus Gemblacensis monachus, vir multæ studio lectionis edoctus, Chronica sua incœpit & vsq; ad annum Domini 1112. cautissima ordinatione contexuit. Cęterum ea quæ subiunximus, partim alibi digesta reperimus, partim vel à nobis sunt visa, vel certa relatione comperta. Porro in prosecutione annorum Domini M. Hugonem de S. Victore elegimus imitari. Attamen nullum ex his, in prosequendo res gestas, ex toto sequuti sumus, sed rescissis quibusdam, quibusdam additis, vnum qualecumq; opusculum compegimus ex diuersis. Quod idcirco fecimus quia quædam in his vidimus minus necessaria, & propter id omittenda, quædam vero in vno minus diligenter, diligentius in alio reperimus explicata. Inuenimus autem innumeras in dinumeratione annorum dissonantias, quas nimirum frequenter pariunt in scripturis tum imperitia, tum vetustas. Siquidem nihil æque facile, vel antiquitas variat,

A prima mundi origine vsque ad ann. à Christi ortu 1200. historiam perpetuam deducit.

Hugonem Victorinum sibi imitandum proponit.

Authorũ mira diſcrepãtia in annorũ aſſignatione.

Senonenſ. & Altiſſ. præſulũ geſta ſibi nota paucis cõplectitur.

Neſcire, quid antequam nat' ſis acciderit, hoc eſt ſemper puerũ eſſe. Cic. Philip. 4.

vel ſcribentium manus imperita deprauat. Enimuero penſantes, quia in his ſit & parua profecto vtilitas, & inextricabilis difficultas, arbitrati ſumus nequaquam nimis inde curandum, ſicubi forte occurrit diſſonantia numerorum. Nec ſolum in numeris, ſed in rerum quoque geſtarum aſſignatione aduertimus plerumq; Chronographos diſcrepare. Si quæ proinde iſtic diſcrepantia reperiatur, non imprudentiæ deputetur, Neque enim potuimus facere fonti diſſimilem riuulum è fonte manantem, nec ſcribere, niſi quæ ſcripta, Scriptores priſtini reliquere. Eapropter rogamus, ne quis arguat, improbet iſta, donec prius diligenter inſpexerit, vnde ſunt deriuata; Sic enim perpendere poterit quod non noſtra indiſcretione facta ſunt acida, ſed de aliorum ſcriptis ſyncere transfuſa, ſæpe quidem ad verbum; ſemper autem ad ſenſum. De Oroſio quidem, Gennadio, Caſſiodoro, Hugone Floriacenſe aliiſque diuerſis, nonnulla interdum excipere & ſuis eá locis curauimus adaptare. Senonenſes præterea Archipræſules notauimus, ſed minus quidem ordinate, quia eorum geſta minime potuimus inuenire, Antiſſiodorenſium quoque Præſulum, in quorum præſulatu conſtituti ſumus, tempora diſtinguendo texuimus, & ſi forſan minus congrue, tamen prout ex eorum geſtis potuimus coniectare. Quædam etiam interſeruimus ad locum noſtrum S. videlicet Mariani Eccleſiam proprie ſpectantia. Monemus proinde tranſcriptorem, minus vtilia prætermittere, minus dicta ſupplere; minus congrue poſita, congruentius ordinare. Sciat autem qui legerit, fore perutile, ſtudere talibus, talia lectitare: Hic nempe deſcribitur, qualiter ab initio vſque nunc, mundus fluxerit, vel florens prouectibus, vel preſſuris attritus, qualiter res mutatæ, tranſlata regna; Regnorum gloriæ ad nihilum deuolutæ: Quomodo denique poſt aduentum Chriſti, Criſtianitas creuerit, corruerit impietas, pietas triumpharit, liquet ſane quia ex tali, taliumq; conſpectu, & deſpectus preſentium, & reſpectus oritur futurorum, propterea ſcriptum eſt; Memento dierum antiquorum & cogita generationes ſingulas.

PRIMA AETAS.

IN primordio temporis ante omnem diem, DEVS pater ex verbo & per verbum suum, fecit ex nihilo rerum omnium materiam, quam postea per sex dies, varias formans & distinguens in species, tribus primis diebus eam disposuit, tribus sequentibus ornauit. Primo itaq; die fecit Deus lucem in modum nubis lucidæ, quæ vice Solis ortu suo diem faceret, occasu vero noctem induceret. Secundo die fecit firmamentum idest cœlum, quod aquas superiores inferioresq; diuideret. Tertio die congregauit Deus aquas, quæ erant subter firmamentum in locum vnum, & apparuit arida idest terra, omnisque generis vestita est lignis, & fructibus fœcundata. Cœlo igitur sursum expanso, aere serenato, aquis congregatis in vnum, terra reuelata; disposita sunt quatuor elementa, sequitur qualiter sunt ornata. Quarto die fecit Deus luminaria magna Solem & Lunam & stellas, quæ cœlum ornent, terram illuminent, temporaque distinguant. Qninto die fecit pisces & volucres, vtraq; de aquis, vt aquas piscibus, aerem ornaret volucribus. Sexto die fecit iumenta, reptilia, bestias ad ornandum faciem terræ. Nouissime in consummationem omnium plasmauit hominem de limo terræ, cui & dedit spiritum, ad imaginem, in immortalitate & intelligentia rationis: ad similitudinem, in iustitia & sanctitate veritatis. De loco autem plasmationis, eum in paradisum trastulit voluptatis, qui locus est in Oriente inæstimabili amœnitate gratissimus, maris & terræ tractu à communi habitatione remotus, tantaque celsitudine præeminens, vt vsq; ad lunarem globum attingat, vnde & aquæ diluuij non potuerunt illuc ascendere. Hic ergo posuit Deus hominem, constituitque eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, vt cunctis præesset, nulliq; subiectus, nisi illi soli qui sibi omnia subiecisset. Sed ne minor esset fœlicitas, si consorte careret, fecit ei adiutorium simile sibi, quibus & legem proposuit, quam diabolo persuadente transgressi, proh dolor! de paradisi delicijs sunt exclusi. Electus itaque Adam cum coniuge habitauit in terra de qua sumptus fuerat, vbi postmodum a Cain occisus est Abel iustus, vbi etiam nunc sita est vrbs Damascus. Porro Adam genuit plures filios & filias, sed nos cæteris omissis Seth tantum assumimus per quem nostræ reparationis linea vsque ad Christum deducta est. Siquidem nostri est propositi non tam historiam texere, quam temporum seriem assignare, licet plerumque sic ordinemus vt & historiæ, assignationem temporum, & assignationi temporum historiam annectamus.

Adam igitur 130. annorum genuit Seth. Sciendum autem quia vbi hebraica veritas habet 130, Septuaginta interpretes ponunt 230. quibus

consentit Iosephus, consentit Methodius. Hic Methodius, olim Lyciæ, postea Tyri Episcopus nitidi compositiq; sermonis scripsit de resurrectione opus egregium contra Origenem, in Genesim quoq; & Cantica Canticorum commentarios multaque alia, ad extremum nouissimæ persecutionis, siue vt alij affirmant sub Decio & Valeriano in Chalcide Græciæ martyrio coronatus est, qui dum teneretur in carcere, de mundi principio, plura Domino reuelante aperuit. Porro Seth virtuti studuit & cum esset vir egregius, imitatores sui filios dereliquit, ex huius namq; prosapia, Ciuitas Dei creuit, cuius filios scriptura vocat filios Dei, eo quod Deum colerent, intenderentq; virtuti, Qui cum boni fuissent, vt Iosephus refert, in terra sine aliqua vexatione viuentes, fœlicissime commorati sunt, nihilq; eis vsque ad vitæ extremum, crudele prouenit, Disciplinam rerum cœlestium & ornatum earum ij primitus inuenerunt. Iubal autem eorum consanguineus existens, musicam coluit, & psalterium citharamque laudauit. Scientes autem ab Adam esse prædictum duas exterminationes rerum esse venturas, alteram per ignem, & alteram per inundationem, ne artes, suo inuentas studio deleret obliuio, eas in duabus columnis, altera lapidea, altera lateritia conscripserunt, vt si lateritia exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens, præberet hominibus scripta agnoscere, quarum lapidea vsque hodie fertur in Syria permanere. Seth 105. an. genuit Enos, Enos autem vixit 90. an. & genuit Cainan. Cainam vero 70. an. genuit Malaleel, Malaleel 65. an. Iared. Iared 162. an. genuit Henoch. Henoch 65. an. genuit Mathusalem, hic diutius cæteris viuens complecat mille annos minus 30. in die qua mortuus est. Henoch vero post ortum Mathusalem 300. complens annos, ambulauit cum Deo & non comparuit, quia tulit eum Dominus, mortem tamen distulit non euasit, hic etiam nonnulla scripsit, vnde ait Iudas apostolus. Prophetauit autem de his septimus ab Adam Enoch dicens Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes & arguere omnes impios Liquide namque claret ab ipso primo homine exordium literarum cœpisse, qui diutius vixit, quando filij ac nepotes sui in studio sapientiæ feruebant, vnde etiam filij Seth cum Iubal eorum consanguineo, in columnis ea quæ sapienter de disciplina cœlestium rerum adinuenerant cum reliquis artibus conscripserunt vt dictum est. Sane ijdem filij Seth in 7. generationibus permanserunt, Deum iudicantes Dominum omnium, & virtuti studentes, Deinde tempore procedente de paternis solemnitatibus, secundum scripta Iosephi, ad mala progreßi sunt, neque legitimos honores, Deo vlterius præbentes, neque circa homines iustitiam facientes, sed zelum quem prius habuerant pro virtute, in duplam malitiam per ea quæ gerebant, postea demonstrabant, ob hoc itaque contra se Deum irritauerunt: Videntes namq; filias hominum quod pulchræ essent, hoc est quæ de stirpe Caini descenderant, eas sibi in coniugium assumpserunt, cum quibus ad voluptatem suam explendam coeuntibus mala multiplicata sunt in terra &

Gigantum

Gigantum natio propagata. Fuerunt autem Gigantes tam animorum quam corporum immanitate prævalidi, potentesque viribus, sed moribus inconditi. Mathusalem 187. an. genuit Lamech. Lamech 182. an. genuit Noe. Sub hoc tempore tantæ super terram iniquitates excreuerant, vt nullum genus flagitij atq; facinoris homines prætermitterent, vnde præter domum Noe, nullus inuentus est Domino placuisse. Quamobrem subsequenti tempore, omnis illa impiorum generatio, per inundationem diluuij meruit omnino deleri.

Noe 500. an. genuit Sem, Cham, & Iaphet. Excrescentibus hominum malis per hos dies, præcepit Dominus Noe vt arcam construeret, in qua tam se quam suos diluuio inundante saluaret. Noe ergo arcam ædificare cœpit, & 100. ann. eam compleuit. Erat autem arcæ longitudo 300. cubitorum, latitudo 50. & altitudo 30. quos tradunt Doctores cubitos fuisse geometricos, quorum vnus complectitur sex humanos. Tradunt etiam arcam bicameratam & tricameratam, hoc est, 5. mansionibus fuisse distinctam, quarum prima stercoribus recipiendis, 2. reponendis cibarijs, 3. immitibus animalibus, 4. mitibus, 5. hominibus auibusque communis erat. De cunctis vero animantibus, quæ mouebantur super terram, introducta sunt de immundis bina & bina, de mundis vero septena & septena, quæ non Noe capta introducebat, sed venientia & intrare volentia permittebat. Diuina namque virtute hoc factum est non humana. Ingressus est autem in arcam Noe & vxor eius cum filijs suis, & eorum vxoribus. *Clauditur prima Ætas continens secundum Hebraicam veritatem an. 1656. secundum vero 70. Interpretes 2252.*

SECVNDA ÆTAS.

ANNO igitur vitæ Noe 600. ruptis fontibus abyssi & apertis cataractis cœli, factum est vniuersale diluuium, & perijt omnis caro. Pluit super terram 40. diebus & noctibus, & eleuata arca in sublime ferebatur, & excreuit aqua super omnes montes altior cubitis 15. vt aëris sordes ablueret, quousque aër operibus hominum ascendentibus, potuit inquinari. Post dies vero 150. imminutæ sunt aquæ mense 7. quo paulatim inchoauit latens herba parere. Arca vero postea residente in vertice montis Armeniæ, egressus est Noe ex ea Domino iubente, anno altero, mense 2. die 27. mensis, quem locum, Egressorium Armeni vocant, vbi vsque hodie arcæ solutæ reliquias prouinciales ostendunt. Vixit autem post diluuium Noe annis 350. & mortuus est senex 950. annorum. Si quis autem de diuturna vita virorum illius temporis admiretur, audiat a Iosepho rationem. Nullus (inquit) ad vitam modernam & annorum breuitatem quibus nunc viuimus, vitam comparans antiquorum, putet falsa, quæ de illis sunt *Ioseph. cap. 4. lib. 1. antiquit.*

C

dicta, & eo quod nunc vita tanto non ducatur tempore, non credat, illos ad vitæ illius longitudinem peruenisse. Illi namque cum essent religiosi & ab ipso Deo facti, cumque eis pabula opportuniora, ad maius tempus existerent præparata, tantorum annorum circulis rite viuebant. Deinde propter virtutes & gloriosas vtilitates quas iugiter perscrutabantur, Astrologiam & Geometriam, Deus eis ampliora viuendi spatia condonauit, quæ numquam ediscere potuissent, nisi 600. viuerent annos, per tot enim annorum curricula magnus annus impletur, & hoc maxime quidem ante diluuium, cum esset mundus, & salute corporum viridis, & opulentia rerum pinguis. At vero post diluuium ætas est hominis imminuta, eo quod aër sit corruptior, terra sterilior, vnde & homini carnibus vesci conceditur, cum antea solis terræ fructibus pasceretur. Benedictis denique duobus filijs Noe, Sem scilicet & Iaphet, atque vno i. Cham, in medio eorum maledicto, deinceps vsque ad Abraham, de iustorum aliquorum, qui pie Deum colerent commemoratione, silentium est. Veruntamen vtrum ciuitas piorum non fuerit, an latuerit, an potius permanserit in duobus Noe filijs, qui benedicti sunt, eorumq; posteris, Impia vero, in Cham qui maledictus est atque eius progenie, vbi etiam exortus est Gigas venator contra Dominum, non est dijudicatio facilis. Fortassis enim (quod profecto est credibilius) & in filijs duorum illorum iam tunc antequam Babylon cœpisset institui, fuerunt contemptores Dei, & in filijs Cham, cultores Dei. Vtrumque tamen hominum genus, terris numquam defuisse, credendum est. Sane ex his tribus filijs Noe, Sem, Cham & Iaphet, post diluuium disseminatæ sunt gentes, de Iaphet 30. de Cham 27. de Sem 15. quæ sunt 72. totidemque linguæ quæ per terras esse cœperunt, quæque crescendo prouincias & Insulas impleuerunt. Nemo autem nobis succenseat, quod a proposito plerumq; digredimur, vel repetentes, quæ multò ante facta sunt, vel anticipantes quæ multo post contigerunt, id enim interdum facere cogimur, vt rei gestæ veritas apertius declaretur. His itaque decursis, generationis ordinem prosequamur. Sem, biennio post diluuium genuit Arphaxad, a quo Chaldæi. Arphaxad 35. an. genuit Selam, a quo Samaritæ & Indi. Sela 30. an. genuit Heber, a quo Hebræi. Heber 34. an. genuit Phaleg, qui interpretatur diuisio, dum enim esset labium vnum hominibus, diuisum est sub hoc tẽpore in plures linguas. Deo siquidem iubente vt multiplicarentur filij Noe, quidam cum essent inerudití, & ideo inobedientes, in calamitates incidentes, sua grauiter peccata senserunt, & inde ad maiorem superbiam progressi, consilio Nimbrod, qui cæteris audacior & elatior extitit turrim ædificare aggressi sunt, quæ secundum eorum insipientem cogitationem, cœlum posset pertingere. Multis ergo manibus fabricata, coctis lateribus, bitumineque crescebat. Quod cernens Deus, confudit in eis sonum linguarum, vt nesciretur ab altero, quid alter loqueretur, & sic a stultitia sua filij Adam reuocati sunt. Vnã itaq; linguã, in 72. diuisam linguas constat, secundum numerum principum

familiarum, qui tunc in filijs Noe præfuisse creduntur. Vnde & locus ille vbi hæc acta sunt, Babel dicitur i. confusio. Fertur autem hæc turris in altitudine tria millia passuum habuisse paulatim de lato, in angustum coarctata, vt pondus imminens, facilius a latioribus sustentaretur. De hac etiam turri, diuersisque vocibus hominum meminit & Sibylla, dicens. Cum omnes homines, vnius vocis existerent, quidam turrim ædificauerunt excelsam, quasi ascensuri per eam ad cœlum. Dij vero ventos emittentes, euerterunt eam, & vocem propriam vnicuique partiti sunt. Igitur Nimbrod, filius Chus, nepos Noe cuius iam meminimus potens esse cœpit in terra, & erat robustus venator coram Domino, intelligitur contra Dominum iste se erexisse, quod significatur eo nomine, quo dicitur venator, quasi animarum deceptor, hominumq; oppressor, quos a cultu Dei abstrahebat, & ignem adorare cogebat. Fuit autem principium regni eius Babylon & Aracha & Archat & Kalanne in terra Sennaar. Aracha autem Edessæ ciuitas Archat quæ nunc dicitur Nisibis. Kalanne vero, nomine verso a Seleuco Rege dicta est Seleucia. Hic Nimbrod, assumpsit Tyrannidem in populis prior, regnauitq; in Babylone. Scripsit Astrologiam & Geometriam vt Syri tradunt & dimensiones orbis. Heber vero superius nominatus reperitur placuisse Deo, quia non cum filijs superbiæ conspirauerat, ad ædificandam turrim, & ideo in domo eius, immuni reddita a pœna confusorum, prisca permansit lingua, quæ prius humana, quia omnibus erat communis, postea vero ab eius nomine dicta est hebræa, ad distinctionem cæterarum, quæ per successiones, peruenit ad Abraham, ac sic per Patriarchas qui ex stirpe Abraham sunt propagati, profusa est in populum Dei, de quibus secundum carnem, natus est Christus. Verum vt cœpimus, generationes texamus. Phalech 30. an. genuit Rehu. Sub huius tempore Scytharum inchoat regnum. Sub hoc etiam Rehu, homines primum pro Dijs adorantur: Rehu 32. an genuit Saruch. Sub hoc, regnum Ægyptiorum surrexit. Saruch 30. an. genuit Nahor. Nahor 29. an. genuit Thare. Sub huius tempore, regnum Sytioniorum & Assyriorum exortum est. Alij vero dicunt sub Saruch regnum Assyriorum cœpisse, Belo apud eos primo regnante, Quod quidem verum. Nam quantum ad Regni exordium primus apud Assyrios regnauit Belus, quantum vero ad regni ampliationem, Filius eius Ninus. Hic enim primus propagandæ dominationis libidine, arma foris extulit, cruentamq; vitam 50. annis, per totam Asiam bellis egit. Sub hoc etiam tempore idola fabricari coliq; cœpere. Idem namque Ninus, vt sibi patrem mortuum quodammodo repræsentaret viuentem, eius fieri iussit imaginem, cui & diuinos honores exhibuit, edixitq;, vt quisquis ad eam reus confugeret, veniam obtineret. Sic timore pariter ac fauore principis, idolatriæ error inualuit: Sic Belus, vt Deus a subiectis nationibus coli cœpit. Hic est Bel in Babylonia, Belzebuth in Acharon, ipse est & Baal, diuersis modis, secundum proprietatem linguæ diuersarũ gentium a singulis appellatus. Porro Ninus vt dictum

Ioseph. lib. 1 Antiq. ca. 5.

est primus intullit bella finitimis & rudes adhuc ad resistendum populos, ad terminos vsque Lybiæ perdomuit. Principio namque imperium nationum vt refert Iustinus penes Reges erat, quos ad fastigium huius maiestatis, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat, populi nullis legibus tenebantur, fines imperij tueri, magis quam proferre mos erat, intra suam cuique patriam regnum finiebatur. Sed hunc veterem & quasi auitum gentibus morem, primus omnium Ninus Rex Assyriorum, noua imperij cupiditate mutauit, exceptaq; India, vniuersæ sibi Asiæ populos subiugauit. Asiam vero dico, non illam partem quæ huius Asiæ vna prouincia est, sed eam quæ vniuersaliter Asia nuncupatur. Huius regni caput erat illa Babylon impia ciuitas, nouissime Zoroastrem Bactrianorum Regem, pugna oppressum interfecit, quem ferunt fuisse artis magicæ repertorem, de quo scribit Aristoteles, quod vicies centum milia versuum ab ipso condita, indicijs voluminum illius declarentur. Hanc artem multa post secula, Democritus ampliauit, quando & Hippocrates in medicina effloruit. Sane præfati Nini Regis nouissimo tempore Thare an.70.genuit Abraham. *Expletur 2. Ætas continens secundum Hebraicam veritatem annos 292. secundum 70. vero interpretes 1072.*

Iustinus initio lib.1. Hist.

TERTIA ÆTAS.

ANNO igitur ab orbe condito, secundum Hebraicam veritatem 1948. secundum 70. vero interpretes 3324. Abraham ille magnus pater multarum gentium natus est. Ab huius natiuitate quadragesimus iubilæus secundum hebræos computatur. Ninus Rex condidit ciuitatem Ninum in regione Assyriorum, quam hebræi vocant Niniuem. Post hæc ipse, dum deficientem a se, oppugnat vrbem, sagittæ ictu interijt, cui vxor sua Semiramis, in regnum successit, de qua innumerabilia narrantur. Hæc virum animo, habitu filium gerens, auidosiam vsu sanguinis populos per 42. annos cædibus gentium exercuit. Nec contenta terminis mulier, quos a viro suo, tunc solo bellatore in 50. annis acquisitos, susceperat, Æthiopiam bello pressam, suo adiecit imperio: Indię quoque bellum intulit, quo præter illam & Alexandrum magnum, nullus intrauit. Tenens vero Niniuem a marito conditam, Babylonem etiam quam Nimbrod Gigas ante fundauerat, ipsa instaurauit, eamq; muris cocto latere, atque interfuso bitumine compactis vndique communiuit, & aggeres propter aquarum inundationem construxit. Sub hac Abraham adolescit in Chaldæa decimus a Noe, natione Chaldæus. Hoc tempore apud Cretam regnauit primus Cres indigena, a quo Creta dicta est, quem aiunt vnum Curetum fuisse a quibus Iupiter absconditus est & nutritus. Semiramis cum multa flagitiose & facinorose patrasset, tandem ob incestum, a filio perempta est, sicque regnum solus obtinuit. Abraham cum 75. esset annorum diuino dignus habetur alloquio, & ea repromissione, quæ ad eum facta est, & iubente

Euseb. in Chron.

Domino egressus de Haran, perrexit in terram Chanaam cum vxore sua Sarai, quæ & Iescha dicta est soror Loth, filia Haran fratris Abrahæ. Ab hoc anno repromissionis Dei, vsque ad Moysem & egressum gentis Hebræorum ex Ægypto, supputantur anni 430. quorum meminit Paulus ita dicens. Testamentum confirmatum à Deo quæ post 430. annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem. Porro Abraham cum 86. esset annorum ex ancilla Agar, genuit Ismaelem, à quo Ismaelitarum gens, qui post Hagareni, deinde Saraceni dicti sunt. Per id tempus in confinio Arabiæ & Palęstinæ ciuitates 5. fuere Sodoma & Gomorrha, Adama Seboin & Segor. Sed Segor ex his parua, illæ & amplæ & magnæ, quippe quibus & soli fœcunditas supererat, & Iordanis fluuius per plana diffusus, augmenta vbertatis impendebat. Huic vniuersæ regioni bonis male vtenti, abundantia rerum, causa malorum fuit. Ex abundantia enim luxuria, ex luxuria, fœdæ libidines adoleuere: adeo vt masculi, in masculos operantes turpitudinem, nec considerantes quidem loci conditiones & ætates proruerent ad libidinem. Itaq; iratus Deus, pluit super hanc terram ignem & sulphur, totamq; regionem cum populis atque vrbibus exussit ignibus, post, aquis oppressit, vt nunc quoque appareat forma regionis, sed inueniatur regio cineris, mediamque conuallem, quam Iordanis irrigauerat, nunc mare superfusum tegat, quod vulgo dicitur mare diaboli: dicitur etiam mare mortuum, vel mare solitudinis, vel lacus Asphaltites i. bitumineus. Sic per quantitatem supplicij, qualitas Sodomitici est ostensa peccati. Facta est vrbium prædictarum tam horrenda subuersio anno vitæ Abrahæ 99. Ipso anno apparuerat Dominus Abrahæ, prænuntians ei filium ex Sara coniuge nasciturum.

Ad Gal. cap. 3.

Anno Abrahæ 100. nascitur ei filius Isaac ex libera, cui superuixit Abraham an. 75. Huius patris nostri Abrahæ meminit Berosus historiographus, ita dicens. Post diluuium decima generatione apud Chaldæos fuit quidam vir iustus & magnus in cœlestibus rebus expertus. Hecatęus etiam, librum de eo conficiens dereliquit. Nicolaus vero Damascenus 4. hist lib. sic ait Abrahamus regnauit in Damasco, veniēs aduena cum exercitu, de terra quæ supra Babylonem dicitur Chaldæorum. Post non multū tempus, exurgens etiam de hac regione, cū populo suo, terram quæ tunc Chananæa, nunc vero Iudæa dicitur habitauit, & hi qui de illo erant progeniti, multipliciter sunt propagati. Huic primo omnium prophetarum, vt Eusebius dicit, verbum Dei, cum in figura apparuisset humana, vocationem gentium pollicetur, quam in nostro tempore, sermo Christi deduxit ad finem per euangelicam in omnes pręd icationem. Vnde & idem patriarcha primus præsumpsit pronunciare Deum creatorem vnum esse cunctorum. Erat autem in admiratione omnium tanquam vir sapiens atque paratus, non solum ad intelligendum, sed. etiam ad satisfaciendum & loquendum quæcumque dicere niteretur. Arithmeticam sane & quæ de Astrologia sūt Ægyptijs tradidit, vnde & postmodum peruenerunt ad Græcos: Quodq; supęr

Hæc deprōpta sunt ex cap. 8. lib. 1. Antiq. Iosephi.

omnia alia fuit, ob prærogatiuam obedientiæ & fidei, amicus Dei præ cæteris meruit appellari.

Sexagenario Isaac nascuntur filij gemini, primus Esau qui & Edon, à quo gens Idumæorum, Secundus Iacob qui postea Israel, à quo Israelitæ, qui nunc Iudæi. Hoc tempore regnum Argiuorum sumpsit exordium Primus apud Argos Inachus regnauit, huius Inachi filia fuit Io, quam Ægyptij mutato nomine, Isidem vocant & colunt, Quæ ex Græcia veniens in Ægyptum, Ægyptijs, vt ferunt, literas tradidit, alias quidem sacerdotibus, alias vero vulgo. Verum alij scribunt ex Æthiopia in Ægyptum hanc venisse Reginam. Hæc & inuenit ordei segetem, vnde & Cererem eam esse volunt. Post hunc Inachum Phoroneus eius filius & Nyobæ, apud Argos regnauit qui primus leges iudiciaq; constituit. Quidam huius filiam Nyoben arbitrantur.

Iacob 72. ætа. suæ anno Mesopotamiam veniens, apud Labam auunculum suum conuersatur, vbi post 7. annos Liam & Rachelem ducens vxores, plures ex eis filios generat. Circa id tempus Ogygius in Attica Eleusinam condidit, & alias plurimas ciuitates, quo regnante, apud lacum Tritonidem virgo apparuit, quam Græci Mineruam nuncupauerunt: Hæc multorum inuentrix operum, tanto procliuius Dea est credita, quanto minus origo eius innotuit, quod enim de capite Iouis, nata canitur, non historiæ rebusque gestis est applicandum, sed fabulis poetarum. Hoc etiam tempore regnante prædicto Ogygio in Achaia, sæuum diluuium vastatione plurima totius penè prouinciæ fuit. In Ægypto quoque diluuium accidisse fertur.

Anno à natiuitate Abrahæ 252. Ioseph nascitur, anno patris sui Iacob 91. quo nato, Iacob reuertitur ad terram natiuitatis suæ. Porro Ioseph, cum 16. ageret annum à fratribus venditus est, ductusque in Ægyptum addicitur seruituti. Hoc tempore Telchines à Phoroneo rege victi, Rhodum condiderunt. Isaac 180. ann. moritur relinquens filium Iacob an. 120. sepeliturque in hebron cum Abraham in spelunca duplici.

Ioseph Deo miserante eductus de carcere an. ætat. suæ 30. constituitur secundus à Rege, super totam Ægyptum, ac per 80. annos obtinet principatum. De hoc Pompeius historicus inter cætera sic ait. Minimus ætate inter fratres, Ioseph fuit, cuius excellens ingenium, fratres veriti, interceptum, peregrinis mercatoribus vendiderunt, à quibus deportatus in Ægyptum, cum * magnificas ibi artes solerti ingenio percœpisset, breui ipsi Regi percharus fuit. Nam & prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit, nihilque ei diuini humaniq; iuris incognitum videbatur, adeo vt etiam sterilitatem agrorum, ante multos annos præuiderit, perijssetq; omnis Ægyptus fame, nisi monitu eius, Rex edicto seruari per multos annos fruges iussisset: Tantaque experimenta eius fuerunt, vt non ab homine, sed à Deo responsa dari viderentur. Fuit autem hæc fames sub Rege Ægyptiorum diospolita, cui nomen erat Amasis. Huius autem fa-

Iustin. hist. lib. 36. hic: * magica.

nis an. 2. Iacob cum sua progenie introiuit in Ægyptum: qui cum interrogaretur à Pharaone, quotum annum ageret, respondit se esse annorum 130. Cumque inibi 17. annos complesset, benedictis filiis diem obiit prophetans de Christo & de vocatione gentium 147. ætat. suæ anno: Cuius corpus Ioseph aromatibus condiuit, & cum maximo honore sepeliuit in hebron, cum Abraham & Isaac, vbi & Adam maximus conditus fuit, quem tamen tradunt, in Caluariæ loco postea fuisse sepultum, vbi & Christus crucifixus est. His temporibus secundum quosdam Prometheus floruit, à quo homines factos commemorant: Et reuera cum sapiens esset, feritatem eorum & nimiam imperitiam, ad humanitatem & scientiamtransfigurabat Huius quoque Promethei frater fuit Atlas, præcipuus Astrologus, à quo Græci Astrologiam se accepisse dicunt, qui ob eruditionem disciplinæ etiam cœlum sustinere dictus est. Euripides autem montem esse altissimum affirmat qui Atlas vocetur. Dicitur etiam ea tempestate Triptolemum venisse in Græciam & amplia sse agriculturam, vnde ex tunc cœpit Græcia agriculturæ operam dare & abundare segetibus. Ioseph cum 100. & 10. esset annorum moritur in Ægyto, cuius ossa ibidem in loculo sunt posita, donec egressi sunt filii Israel de Ægypto.

Post mortem Ioseph, Ægyptiis seruierunt Hebræi an. 144. fiunt autem omnes anni, quos Hebræi in Ægypto fecerunt 215. qui ab eo tempore computantur, quo Iacob cum filiis suis illuc ingressus est. Hoc tempore Syrus fuisse perhibetur indigena, à quo Syria nomen accepit.

Moses anno seruitutis Hebræorum 65. nascitur, quem genuit Amram de tribu Leui, cum esset annorum 70. Hic miræ pulchritudinis & elegantiæ fuit, adeo vt nemo tam seuerus esset, qui eius aspectui non hæreret. Hic à filia Pharaonis adoptatus in filium & in aula regia educatus, omni Philosophia Ægyptiorum instructus est. Cum autem adultus esset, accidit vt gens Æthiopum incursaret Ægyptum: Tum Ægyptii Mosem, responso à diis accepto exercitus ducem præficiunt, eo quod tam fortitudine, quam peritia præpolleret. Moses itaque vt super Æthiopes ex improuiso irrueret, per desertum ducit exercitum, Æthiopes præuenit, eosque opprimit, ac fugatos in Saba ciuitate concludit. In cuius obsidione dum moratur, inspectus à filia Regis Æthiopum adamatur, missisque nuntiis, ipsa promittit quod ciuitatem ei traderet, si sibi nubere consentiret. Consensit Moses, nupsit & rediit. Hinc est quod contra Mosem, pro vxore eius Æthiopissa iurgati sunt Aaron & Maria. Post hæc, accidit vt odium Pharaonis incurreret, timensque fugit in terram Madiam, cum 40. æt. ageret annum, Quem apud se Iethro qui & Cineus vel Raguel dictus est manere fecit, eique filiam suam dedit in coniugem, ex qua Moses filios genuit, ibiq; annis 40. moratus est. Per id tempus Cecrops regnabat in Attica, a quo regnum Atheniensium sumpsit exordium: Sub hoc primum in arce oliua orta est, & ex Mineruæ nomine quæ Græce Ἀθήνη dicitur. Athenæ nuncupatæ: quamquidem vrbem idem Cecrops, ex Ægyto in Græ-

rciam veniens condidit, & in ea primus regnauit, qui etiam diphyes dictus est, siue ob longitudinem corporis, siue quia cum esset Ægyptius, vtramque sciebat linguam, hoc est, Ægyptiam atq; Græcam. Hic primus omnium Iouem appellauit, simulachra reperit, aram statuit, victimas immolauit, nequaquam istiusmodi rebus, in Græcia vnquam visis. His quoque temporibus, Erichtonius Vulcani filius currum, & Troilus primus quadrigam vinxisse feruntur. Ea etiam tempestate, aquarum illuuies, maiorem partem populorum Thessaliæ absumpsit, paucis per refugia montium liberatis maxime in monte Parnasso, in cuius circuitu Deucalion tunc regno potiebatur: Qui eos ad se ratibus confugientes susceptos, per gemina Parnassi iuga fouit, aluitque: à quo propterea genus hominum reparatum ferunt. Tunc etiam in Æthiopia pestes plurimas, dirosque morbos, pæne vsque ad desolationem exæstuasse, Plato testatus est. Tunc quoque Liber pater, subactam Indiam sanguine madefecit, cædibus compleuit, libidinibus polluit. Sub hac præterea tempestate, adeo iugis & grauis æstus incanduit, vt Sol per deuia transuectus, vniuersum orbem non calore affecisse, sed igne torruisse dicatur, impressumque feruorem Æthiops plus solitum, & insolitum, Scytha non tulerit. Ex quo etiam quidam, dum Deo ineffabilem potentiam suam non concedunt, ridiculam Phaetontis fabulam texuerunt. Corinthus condita est. Dionysius Bacchus ea tempestate dicitur extitisse, qui & Argos condidit, & vsum vineæ Græcis dedit.

Moses 80. agens annum signis multis atque prodigijs perpetratis & Ægypto multipliciter afflicta, iubente Domino ad desertum Syna populum Hebræorum educit, anno à natiuitate Abrahæ 505. repromissionis autem 430. Præfuit autem populo Dei annis 40. Hic omnibus quos Græci antiquissimos putant senior deprehenditur, Homero scilicet & Hesiodo, Troianoque bello, ac multo superius Hercule, Musæo, Lino, Chyrone, Orpheo, Castore, Polluce, Æsculapio, Libero, Mercurio, Apolline & cæteris dijs gentium, sacrisq; vel vatibus, ipsius quoque Iouis gestis, quem Græcia in arce diuinitatis collocauit. Moses quippe primus omnium Prophetarum, ante aduentum Domini Saluatoris, diuinas leges, sacris literis explicauit. Porro die 50. egressionis ex Ægypto legem accepit à Deo, & per 40. an. Dei ad populum, & populi Legatus ad Dominum, diuina præcepta edicit, peccata notificat, iudiciaque definit. Tabernaculnm Domino construit & consecrat, instituit varietates baptismatum, differentias hostiarum: Quæ omnia quia diligentius exequitur sacra pagina, nos præterimus intacta. Anno 2. egressionis, primus apud Hebræos, Pontifex cōstituitur Aaron, frater Mosis 7. ab Abraham. Abraham enim genuit Isaac, qui Iacob, qui Leui, qui Caath, qui Amram, qui Aaron, qui primus gentis Hebrææ sacerdotium tenuit an. 38. Hac tempestate in Ægypto regnabat Remesses qui & Ægyptius, à quo Ægyptus quæ prius Aeria dicebatur nomen accepit. Epaphus filius Iouis Memphim condidit cum in secunda Ægypto regnaret. Dardanus condidit Dardaniam. Moses cum 120. esset

Eusèb. in Chron.

esset annorum, colligitur ad patres suos, cuius sepulchrum adhuc extat incognitum. Eo tempore Eleazar pontificatum suscepit post mortem patris Aaron.

Iosue filius Nun succedit Mosi, & terram philistinorum filijs Israël sorte distribuit, quibus & præfuit. an. 26. Hic intantum Domino placuit, vt ad vocis eius imperium, Sol & Luna in medio cœli steterint immobiles, spatio vnius diei, nec fuit ante nec postea tam longa dies, Deo obediente voci hominis. Ab hoc vsque ad Saul, qui præsunt populo, Iudices appellantur. Per id tempus Phœnix & Cadmus de Thebis Ægyptiorum, in Syriam profecti, apud Tyrum & Sidonem regnauerunt, quorum Phœnix primus tradidit Tyrijs & Sidonijs vsum quarumdam literarum circiter. 7. Tradidit etiam eis vsum minij coloris. Ab hoc Phœnice dicta est terra illa Phœnicia. Cadmus vero, Thebas condidit in Ægypto, vnde & regio Ægypti, Thebaida dicta est, Condidit & Thebas Bœotias. Iesus Naue moritur. an. vitæ suæ. 110. Post cuius mortem, subiectos tenuerunt Hebræos alienigenæ, annis 8. qui iunguntur temporibus Othonielis. Othoniel ex tribu Iuda, primus Iudex præfuit Israël annis. 40. Eleazar moritur, cui filius eius Phinees in sacerdotio suo subrogatur. Bythinia conditur à Phœnice. Linus Thebeus zetus & Amphion in musica arte clarescunt. Post Othonielem, Hebræos habuere subiectos alienigenæ. an. 18. qui copulantur temporibus Aiod.

Aiod ex tribu Beniamin iudicat Israel. an. 80. si autem dicatur fuisse de tribu Effraim: sciendum ideo esse dictum quia habitabat in monte effraim. Sub huius tempore, primum apud græcos cœpere mysteria, & fabulæ inuentæ, voluerunt enim veritatem rerum gestarum, quibusdam adumbrare integumentis verborum, appellantes aërem Iunonem, Iouem ætherem, mare Neptunum & cætera huiusmodi, Fabulæ Proserpinæ, quam rapuit Orchus Rex Molossorum, cuius canis ingentis magnitudinis, Cerberus nomine Pirrhitoum deuorauit, qui ad raptum vxoris eius cum Theseo venerat: Quem & ipsum iam in mortis periculo constitutum adueniens Hercules liberauit, & ob id quasi ab inferis receptus dicitur. Achaia, ab Acheo condita. Ea quæ de Progne, & Philomela filiabus Pandionis Regis dicantur, tunc gesta sunt. Hisdem temporibus Perseus à Græcia, in Asiam trasuectus est, vbi barbaras gentes, graui diuturnoque bello domuit, & nouissime victor, subiectæ genti nomen dedit, namque à Perseo, Persæ sunt vocati. Hic etiam Gorgonis meretricis caput desecuit, quæ propter eximiam pulchritudinem, ita spectatores suos, mentis inopes reddebat, vt vertere eos putaretur in lapides. Hac ętate Phrixus cum Helle sorore fugiens insidias nouercales visus est per mare vehi, ab ariete aurei velleris. Fuit autem ei nauis parata fugienti, cuius insigne aries erat. Porro Palephatus affirmat arietem vocatum nutritorem per quem liberatus sit, In Dardania regnauit Tros à quo Troiani nuncupati, cuius filius Ganymedes, quem rapuit Phrygiorum Rex Tantalus, vnde Troi patri Ganymedis &

Eusch. in Chron.

Tantalo bellum exortum est. Frustra igitur Iouis fabula & raptrix aquila confingitur. Hoc tempore vates prima Phemonoe prophetabat in pytho, & quæ prędixit versibus hexametris scripsit. Amphion Thebis regnauit, quem ferunt cantu cithatæ saxa mouisse: fuerunt autem duro co1de & vt ita dicam saxei quidam auditores. Dionysius qui & liber pater, secundum quosdam hoc tempore aduersus Indos dimicans, iuxta Indum flumen, Nysam vrbem condidit. Post Aiod, hebręos in ditionem redigunt alienigenæ an. 20. qui coniunguntur temporibus Deboræ & Bazac.

Debora ex tribu Ephraim, & Barac ex tribu Nephtalim iudicant Israel an. 40. Debora prophetissa fuit, cuius prophetia de Christo minus est aperta & diuturna indiget expositione, summa tamen illius cantici gratiarum est actio pro collata victoria. Sub huius tempore Apollo medicinam iam inuentam redegit in artem, inuenitque citharam. Ilium ab Ilo condita. Aiunt ea tempestate fuisse in partibus Galliarum regem quemdam ex genere giganteo nomine Lemouicum, qui vrbem ex suo nomine cōdidit quæ Lemouicas dicta est. Post Deboram alienigenis subduntur hebræi annis. 7. qui sub Gedeon numerantur.

Euseb. in Chron. Gedeon de tribu Manasse, Iudicat Israel an. 40. Ea quæ de Dædalo fabulæ ferunt, huius temporis sunt, qui visus est simulachra fecisse mouentia. Primus enim omnium pedes statuarum à se inuicem separauit: alijs coniunctim eos fabricantibus. Nec non quomodo cum filio Icaro Minoem naui fugerit & propter inuestigabilem fugam auolasse pennis existimatus est. Mercuri⁹ Trismegistus Syringas. i. quasdam fistulas reperit. Repetit & quasdam modulationes in lyra. Tyrus conditur ante templum Ierusalem an. 243. vt Iosephus scribit. Orpheus Thrax clarus habetur, cuius discipulus fuit Musæus, Linus quoque magister Herculis, omnibus notus efficitur. Hercules vir famosissimæ fortitudinis consummat certamina, Antheum gigantem interficit, Ilium vastat, dicitur Antheus terræ filius, quia palęstricæ artis certaminum, quæ in terra exercentur scientissimus erat, & ob id à terra matre videbatur adiuuari. Hydram autem callidissimam Sophistriam fuisse asserit Plato.

Euseb. in Chron. Abimelech filius Gedeonis præest Israel an. 3. Hoc tempore Priamus regnat in Troia post Laomedontem. Ea quæ de Minotauro dicuntur, huius temporis sunt. Inter Cretenses atque Athenienses atrocissimum certamen fuit vbi vtrimque populis infœliciter profligatis, cruentiorem victoriam Cretenses exercuerunt, qui nobilissimos Atheniensium filios Minotauro, vtrum fero homini, an inhumanæ bestiæ aptius dicam, nescio, deuorandos, crudeliter addicebant, atque informe prodigium, effossis Gręciæ luminibus saginabant.

Thala iudicat Israel. an. 23. Chorus inuenitur in Græcia, est autem chorus, quoddam instrumentum canendi, vel multitudo in vnum psallentium.

Iair iudicat Israel annis. 22. Carthago conditur à Tyrijs, fuit autem

multiplex conditio Carthaginis, nam primo condita est à Carchedone Tyrio vt dictum est, post euersa; Iterum conditur a Didone, post à Romanis destructa, itemq; restructa est tempore predicti Iudicis Iaïr Carmentis nympha Euandri filia, vel mater vt alibi legitur latinas literas, prima Italis tradidit: Carmentis autem dicta, quia carminibus futura canebat, cæterũ proprie vocata est Nicostrate. Minos leges ac iura constituit. Post Iaïr qui fuit ex tribu Manasse, redigũt hebræos in ditionem suã Ammonitæ an. 18. qui cum temporibus posteriorũ iudicũ copulãtur. *Euseb. in Chron.*

Iephte iudicat Israel an. 6. hic in libro Iudicum, ab ætate Mosis vsque ad semetipsum ait supputari an. 300. Hercules in morbum incidit pestilentem, qui ob remedium doloris, se iecit in flammas, & sic morte functus est an. æt. 52. quidam ante 30. an. eum perijsse scribunt. *Euseb. in Chron.*

Abesan, iudicat Israel an. 7. Sub huius tempore, Alexander qui & Paris & Priami filius, Helenam vxorem Menelai rapuit, ex quo facta est Græcorum coniuratio, & concursus mille nauium, dehinc decemnalis obsidio, ac postremo famosum Troiæ excidium.

Achialon, iudicat Israel an. 10. hic cum 10. annis suis in 70. Interpretibus non habetur.

Labdon iudicat Israel an. 8. huius an. 3. Troia, igni ferroque euertitur, Ab hoc anno euersionis Troiæ, antiqui computabant annos suos, Romani vero ab vrbe condita, nos autem ab Incarnatione dominica. Post Troiæ excidium, Æneas à finibus Troianorum depulsus, Latium quæ & Italia venit, ibique regnum Latinorum qui post Romani dicti sunt. 3. annis obtinuit. Is namque Latini regis filiam, Lauiniam nomine, ducens vxorem & affinitatis gratia, iungens Phrygas latinis, iamque vnitos Phrygas, Italosque, nominare cœpit Latinos, & iam ex tunc & deinceps quamuis in pauperrimo regno, locoque angusto, qui dicebatur ager Laurentum regnauerunt post Latinum, Æneas & successores eius qui Syluij & Albani sunt vocitati, pro Alba scilicet vrbe, & pro posthumo Ænea, qui idcirco dictus est posthumus syluius, quoniam Lauinia, post mortẽ Æneæ, timens Ascanij inuidiam, clam eum in sylua genuit, Æneamque Syluium nominauit. Ascanius autem post Æneam regnauit in Italia, derelicto nouercæ suæ Lauiniæ regno, Albamque condidit ciuitatem, in qua & regnauit, Albanisq; nomen indidit, & fratrem suum posthumum, Æneæ ex Lauinia filium, summa pietate educans, regni reliquit hæredem, à quo, omnes Albanorum Reges syluij vocati sunt. Porro ante Æneam, Italiæ regnatum est Latino, eiusq; patre Fauno, auoque illius Pico, proauo Saturno. Saturnum idcirco deum esse dixerunt, quia terram colere docuit, eamque stercore conficere, vt fruges funderet vberiores, sub quo, Virgilius & alij aurea fuisse secula scribunt, quia homines qui ad montes confugerant, reuocauit ad plana, & moribus compositis degere instituit, legesque dedit, ab auo Iano circiter an. 150. Prædicti autem Ascanij filius fuit Brutus, in cuius partu mater extincta est: Demum vero cum adultus esset, accidit vt venaretur cum patre, ipsumque inopino ictu sagittæ

perimeret, ob quam rem à ſuis expulſus eſt: qui cum denique ſibi plurimos aggregaſſet, reſponſo à dijs accepto, petijt Albion Inſulam, in Oceano ſitam, vbi paucos Gigantes habitantes inuenit, quos breui aggreſſus eſt & in breui proſtrauit. Sic Brut⁹ cum ſuis liberam poſſedit Inſulam eamque ex ſuo nomine denominauit Britanniam, vbi & condidit vrbem, cui nomen impoſuit Troiam nouam, exinde Trinouantum dicta eſt, ac poſtea ciuitas Lud, nunc vero Lundonia. Poſt Labdon, hebræos alienigenæ ſibi ſubiiciunt an. 40. qui ſub poſterioribus computantur.

Euſeb. in Chron. Samſon iudicat Iſrael an. 20. Hic fortiſſimus omnium fuit, ita vt à quibuſdam facta eius geſtis Herculis comparentur. Ea quæ de Vlyſſe fabulæ ferunt, quomodo triremi Tyrrenorum Scyllam fugerit ſpoliare hoſpites ſolitam, ſcribit Palephatus incredib. lib. 1. Sirenas quoq; fuiſſe meretrices quæ decœpere nauigantes. Latinorum Rex erat Aſcanius Æneæ filius.

Heli ſacerdos iudicat Iſrael an. 40. ſecundum vero 70. interpretes an. 20. Hic quia filios ſuos indigne agentes non corripuit ſeuere vt debuit, domui eius ruinam Dominus comminatus eſt per prophetam. Sub Heli tempore regnum Britonum cœpit, primo apud eos vt dictum eſt Bruto regnante. Latinorum Rex erat Syluius poſthumus Aſcanij frater. Habuit autem Aſcanius filium nomine Iulium, à quo familia Iuliorum orta: verum mortuo Aſcanio, quia idem Iulius propter ætatem, nedum regendis ciuibus idoneus erat, Syluium poſthumum Æneæ filium, Aſcanij fratrem ſublimauerunt in regem. *Euſeb. in Chron.* Mortuo Heli ſacerdote, arca teſtamenti ab alienigenis. I. Philiſtæis poſſidetur ac deinde in domo Aminadab fuit an. 20.

Samuel de tribu Leui, iudicat Iſrael an. 12. Hic primus inſtituit conuentus religioſorum iugiter domino pſallentium.

Saul de tribu Beniamin, primus Rex ex Hebræis regnat ſuper omnem Iſrael an. 20. Secundum quoſdam Homerus, hoc tempore claruit. Latinorum 4. Æneas Syluius regnat. Saul in monte Gelboe à Philiſtæis proſternitur. *Expletur. 3. Ætas continens an. 942.*

QVARTA AETAS.

ANno ab orbe condito ſecundum hebraicam veritatem 2889. Secundum. 70. vero 4125. Dauid Sanctus regnum Iudæorum ſuſcepit, quod 40. annis glorioſe tractauit. Hic Regum fortiſſimus atque pijſſimus. Poſt mortem Gigantis quem armis puerilib⁹ vicit, poſt multas tribulationes & inimicorum ſtrages, mox vt in regno confirmatus eſt, collecta ſociorum manu valida, Iebuſæorum vrbem quæ nunc Ieruſalem audacter aggreditur, à quibus in muri fortitudine ac

sublimitate confidentibus, quamuis ludibrio habitus sit, confestim eos debellat ac subijcit, Arcem vero quæ imminebat ciuitati, fortiter ac mirabiliter, proposito principatu militiæ primo ingredienti, cœpit, qua virtute audaciaque Ioab, qui primus altitudinem arcis superauerat, adeptus est militiæ principatum. Eiectis itaque inde Iebusæis, regni sedem ibi constituit. Dilatauit post hæc dominium suum à fluuio magno Euphrate, vsque ad flumen Ægypti, multorumque spolijs regum ac ciuitatum ditissimus effectus est. Abiathar pontifex clarus habetur. Prophetabat Natham ex Gabaa, hic vidit quod Dauid in Bersabee transgressurus esset, et dum festinaret ei prædicere impediuit eum Belial: iter namque agens, extinctum reperit hominem, nudum iacentem, & permansit illic, & cognouit quod eadem nocte impleuisset Rex illud peccatum, & reuersus est lugens. Prophetabat quoque Gad & Asaph. Hoc tempore conduntur ciuitates hæ, Magnesia in Asia, Cumæ in Italia, Ephesus ab Andronico in Græcia, Carthago à Sidonia Didone in Africa. Dauid cum post bella plurima pacem per circuitũ obtineret, templumq; domino in Hierosolymis cõdere vellet, in eo scilicet loco in quo olim Abraham, Isaac filium suum mactãdum obtulerat, & ipse hostias litando, gladium imminẽtem percutientis Angeli, à ciuitate & populo suo auerterat, à Deo prohibitus est, quoniam multorum sanguine pollutam habebat dexteram: ei tamẽ à Deo prędictum est, successurum ei filium, hoc esse facturum. Quocirca ad opus tantæ fabricæ, largissimas impensas auri, argenti, pretiosorumque lapidum æris & ferri studuit præparare. Dinumerauit etiam sacerdotes & Leuitas & inuenit ab anno 30. vsque in 50. existentes 38000. de genere leuitarum, ex quibus instituit curatores fabricæ templi 12000. Iudices autem populi & scribas 6000. Ianitores autem domus dei & totidem qui hymnos dicerent, deo cantantes in organis, quæ Dauid peritissimus Psaltes instituit. Diuisit etiam eos per generationes, segregans de tribubus sacerdotes, inueniens eorum generationes 24 ex domo quidem Eleazar. 16. & de Ithamar 8. & præcipiens vt vnaquæque generatio administraret deo per dies 7. à sabbatho vsque ad sabbathum, & ita omnium generationes sortem acceperunt præsente Dauid & Sadoch & Abiathar Sacerdotibus & Principibus vniuersis. Et prima quidem generatio conscendens, scripta est, & 2. pariter & 3. & consequens vsque ad 24. hæc diuisio permansit vsque ad destructionem templi sub Vespasiano & Tito. Eos autem qui erant ex germine Mosis, hos eminentius honorauit. Iussit quoque omnibus de tribu Leui simul & sacerdotibus, vt die nocteque deo seruirent, sicut eis præceperat Moses. His ordinatis disposuit & populum & tribunos & Principes, ordines quoque & officia prout expediebat instituit. Loquutus est Dauid ad Ecclesiam vniuersam quam congregauerat in Ierusalem, vt Leges Domini mente perfecta custodirent & in eius præceptis stabiliter permanerent. Lætatus est autem populus gaudio magno & vnxerunt secundo Salomonem super se Regem: sed & Dauid coram vniuersa multitudine, mirabiliter ac

spiritualiter Domino benedixit: filios quoque suos disciplinatissime monuit, vt Salomoni tanquam Regi & domino obedirent. Omnibus itaque discretissime ordinatis, idem Rex inclytus obijt, sepultusque est cum ingenti honore in Ierusalem an. ætat. suæ 70. regni vero. 40.

Salomon regnat super Israel an. 40. Apud Latinos, Syluio Latino, successit Alba Syluius. Sadoch sacerdos octauus ab Aaron illustris habetur. Salomon anno regni sui 4. ab exitu Israel de ægypto 480. Templum Hierosolymis ædificare inchoat, & annis 7. illud consummat. Dedit autem ei Deus sapientiam & prudentiam multam nimis, eratque sapientior cunctis hominibus, vniuersis gentibus per circuitum nominatus. Locutus quoque est 3000. parabol. & fuerunt carmina eius 5000. disseruitque de lignis & herbis, de iumentis & volucribus cæterisque animantibus, quæquidem carmina modo non habentur, perierunt enim cum multis prophetarum monumentis, quando subuersa vrbs, & templum incensum à Chaldæis. Post hæc amauit Salomon mulieres alienigenas illisque ardenti amore copulatus est, à quibus & subuersus est. Hic autem videntur dissonare historiæ: nam Salomonem liber Regum asserit an. regnasse 40. & Iosephus 80. totumque vitæ illius spatium annorum 94. extitisse. Sed fortasse scriptura, illos tantum annos computat, quibus sapientiæ studuit & domino deseruiuit.

Post mortem Salomonis, seditione orta in hebræa gente & regno bifariam diuiso, Roboam regnauit in Ierusalem an. 17. duabus tribubus Iuda & Beniamin sibi subiectis, quæ vocabantur Iudæ, ob Reges eorum qui ex Iudæ stirpe descenderant, vnde & vniuersa gens nomen Iudæ sortita est. Super 10. vero tribubus quæ in Samaria erant, & vocabantur Israel vel Ephraim regnauit Ieroboam ex tribu Ephraim seruus Salomonis. Ab hinc regnum Iudæ, & Israel distinguendum, Porro, an. 5. regni Roboam Sesac Rex ægypti Hierosolymam ascendit, cui Roboam Ciuitatem sine armis tradidit, qua tradita, Sesac templum illud ditissimum spoliauit. Prophetabat Ahias é Silo & Iddo de Iuda. Ipse est qui Ieroboam redarguit propter vitulos, eiusque dexteram diuinitus arefactam restituit Ipse est quem peccussit Leo & sepultus est in Bethel, vbi postea pseudo propheta qui eum seduxit obtutus est. Latinis regnat ægyptus Syluius, Albæ superioris Regis filius. Samos condita & Smyrna in modum vrbis ampliatur.

Euseb. in Chron.

Abia Roboam filius regnat an. 3. Asa, Abiæ filius an. 41. Hic fuit vir bonus & Iustus, cuius regni an. 15. venit Zara æthiops cum decies centenis millibus militum & curribus 300. vt Iudæam deleret, contra quos instruxit aciem, & inuocato prius Domino fugauit Æthiopes, & vsque ad internecionem contriuit, ac manubias abstulit infinitas. In Israel post Ieroboam regnat Nadab, cui successit Basa, qui domum Ieroboam omnino deleuit. Latinis post Ægyptum Syluium, Capis Syluius eiusdem filius. Hebræorum pontifex maximus Abimelech clarus habetur, In Israel Baza, successit Ela, ac post eum Amri.

Iosaphat Asæ filius regnat an. 25. Hic iustus fuit & inclytus, multisque victorijs ac diuitijs gloriosus, contra hunc filij Moab & Ammon & Seir, qui post multas ad deum obsecrationes contra eos egressus est, statuitque cantores qui populum præcederent Dominumque laudarent. Illis canentibus, hostes in seipsos per seditionem versi sunt, ac se mutuo cóciderunt, ne vno quidem superstite, quorum spolia vix per tres dies a populo sunt direpta. In Israel post Amri regnat Achab sub quo reędificata est vrbs Hiericho, cuius vxor Iezabel, nimis acerrima & audax, ad tantam peruenit luxuriam atque vesaniam vt Ciuitates Israel statuis suis atque aris repleret, rituque Gentilium pollueret omnia, insuper & prophetas Domini trucidaret. Elias his diebus floruit ex tribu Aaron manens in Galaad, Thesbites à loco dictus quia Thesbis sacerdotum ædificium fuit. Hic dum nat⁹ esset, vidit pater eius Sabacha, quod viri candidati eum salutarent, veniensque nuntiauit hoc in Ierusalem & accepit responsum. Noli timere quia erit habitatio illius in lumine, & sermo eius fixa sententia, & iudicabit Israel in gladio & igne. Elias iste virgo permansit, mortuum suscitauit, oratione clausit cœlos, ne plueret, multisque signis admirandis effulsit. Prophetabat Michæas Morasthithes de tribu Ephrem, qui dum multa bona fecisset Achab Regi, a Ioram filio eius præcipitio interemptus est, eo quod redargueret eum de impietatibus patrum suorum, fuit autem & alter Michæas & ipse Morasthites, vnus ex 12. qui sub Ezechia prophetarunt Latinis regnat Carpentus Syluius, post quem Tyberinus filius eius, à quo & fluuius appellatus est Tyberis qui prius Albula vocabatur, Huic successit filius eius Agrippa quo regnante quorumdam fert opinio, Homerum poetam in Græcia claruisse: Conditæ sunt hoc tempore in Britannia VVnitonia, & Dorobernia, quæ postea Cantuaria vocata est.

Ioram regnat in Ierusalem an. 8. Hic fratres suos occidit, & contra Dominum nequiter egit quocirca literas ad eum misit Elias, prædicens quod à Domino percutiendus foret ægritudine pessima, ita vt etiam egereret viscera quod & factum est per biennium longaque infirmitate consumptus est. In diebus eius recessit Ædom, ne esset sub Iuda, & constituit sibi Regem. Prophetabat Elizæus Eliæ discipulus de terra Ruben. Hic quando natus est in Galgalis, tale prodigium contigit, vt vna ex vitulis illis aureis, quas Ieroboam fecerat acute mugiret: quo audito in Ierusalem, Sacerdos diuino nutu inquit: Quia Propheta natus est in Israel, qui sculptilia Deorum destruat atque fusilia. Hoc tempore Elias viuus ab hoc seculo, in curru igneo rapitur, rediturus cum Henoch in fine mundi, vt conuertat corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres, & cum Anti-Christo, conflicturus, mortem enim distulit, non euasit.

Ochozias, regnat an. 1. Hunc Ochoziam cum filio suo Ioas, & nepote suo Amazia Matthæus à Christi generatione secludit. Prophetabat Abdias de terra Sichem, qui fuit tertius ille dux 50. virorum, cu-

[illegible] Elias & descendit ad Regem, post hæc relicto Regis obsequio ex Eliæ discipulis factus est.

Athalia regnat an. 7. In Israel, post Ioram Iehu. Ionadab filius Rechab sacerdos clarus habetur. Ioas regnat an. 40. Ioiada insignissimus pontifex claret qui solus post Mosem an. 100 & 30. vixisse perhibetur. Hic in Euangelio dicitur Barachias benedicens deum eo quod fuerit vir iustissimus ac per omnia venerandus; Sepultus est autem Hierosolymis in regijs monumentis, quoniam Regis Dauid reparauit imperium. Lycurgus legislator habetur insignis. In Israel post Iehu regnat Ioachaz Latinis post Agrippam, filius eius Aremulus Syluius: Hic præsidium Albanorum inter montes, vbi nunc Roma est posuit, qui ob impietatem fulminatus interijt. Huius filius fuit Iulius proauus Iulij Proculi, qui cum Romulo commigrans, fundauit Iuliam gentem. Huic vero Aremulo successit Auentinus filius eius, qui in eo monte qui nunc pars vrbis est, mortuus ac sepultus, æternum loco vocabulum dedit, vnde & mons dicitur Auentinus. Zacharias ex Ierusalem filius Ioiadæ sacerdotis interficitur à Rege Ioas in templo iuxta altare, eo quod ipsum argueret, quia legem domini reliquisset. Tunc sacerdotes leuauerunt eum, ac sepelierunt cum patre suo. Ex tunc facta sunt in templo prodigia phantasiæ, & non valuerunt Sacerdotes videre apparitiones angelorum dei, nec dare ex debit responsa, nec interrogare ex Ephod, nec postea manifeste responsum populus accepit vt prius. In Israel post Ioachaz regnat Ioas sub quo Elizæus propheta eximius obiit, sepultusque est in Samaria.

Amazias regnat an. 29. In Israel post Ioas, Ieroboam, sub quo Prophetauit Amos, qui cum multa sustinuisset, tandem à filio suo vecte per tempora transfixus est & ad huc spirans relatus est in terram suam. Hoc tempore in Assyriis Sardanapalus regnat, hic Tharsum atque Anchialum condidit, muliere corruptior semper inter fœminas versabatur, ad quem admitti cum quadam die, præfectus eius Arbaces qui tunc Medis præerat obtinuisset, inuenit eum inter scortorum greges fœmineo habitu pupuram colonentem, & inter virgines pensa diuidentem: cum & corporis lasciuia & oculorum mollitie omnes secum positas fœminas anteiret, Quo viso regressus quod viderit refert, negatq; se illi parere posse, qui se malit fœminam esse quam virum. Fit mox coniuratio Medorum aduersus Assyrios. At Sardanapalus cum resistere illis non posset, pyram accendit ac semet nicendio concremauit.

Iustin. hist. lib. 1.

Ozias regnauit an. 52. Sub huius tempore victo, incensoque Sardanapalo, regni Assyrii quod a Nino rege per an. 1240. concurrerat monarchia defecit, & per Arbacem in Medos translata est. Arbaces itaque primus obtinet regnum Medorum, quod postea per successiones temporum atque Regum vsque ad Astyagem auunculum Cyri cucurrit per an. 300. & 50. Attamen fuerunt interim Reges Assyrii Phul, Tiglath, Phalassar & cæteri, quos scriptura sacra memorat, sed non

adeo

adeo potentes vt antea, priori nimirum fortitudine diminuta, & regno magna ex parte mutilato.

Latinis regnat Procas Syluius Auentini filius. Phidon Argius mensuras & pondera primus instituit. Prophetabat Oseas ex Bethlemoth, quę erat tribus Isachar. Hic dedit prodigium dicens, veniet in terra Dominus: Si quercus quæ est in Silo, ex semetipsa in 12. fuerit partita, & factę fuerint ex ea totidem quercus. Prophetabat & Ionas filius viduæ Sareptanæ: Hic prædixit signum euersionis Ierusalem, quod cum viderint lapidem luctuose clamantem, prope sit finis: Et cum viderint in Ierusalem gentes vniuersas, tunc tota illa Ciuitas irreparabiliter euertetur. Prophetabat & Ioel de tribu Ruben. In Israel post Ieroboam regnat Zacharias. Post quem Sellum: quibus celeri morte obeuntibus, succedit Menahem. Latinis Amulius Syluius Procæ superioris regis filius. Huius Amulij frater fuit Numitor, qui à fratre regno pulsus, in agro suo vixit: eiusque filia Rhea nomine, adimendi partus gratia, virgo Vestalis electa est, quæ cum 7 patrui anno, geminos edidisset infantes, iuxta legem viua in terram defossa est: verum paruulos iuxta ripam Tyberis expositos, Faustus regij pastor armenti, ad Accam Laurentiam vxorem suam detulit, quæ propter pulchritudinem & rapacitatem corporis quæstuosi, lupa a vicinis appellabatur: vnde ad nostram memoriam meretricum cellulæ lupanaria dicuntur. Pueri cum adoleuissent, collecta pastorum & latronum manu, interfecto apud Albam Amulio, auum Numitorem in regnum restituunt, quem tamen postea occiderunt, regnumque sibi vendicarunt. In Israel post Menahem regnat Phaceia.

Isidor. de vita sanct.

Epiph. de vita proph.

Euseb. in Chron.

Ioatham regnat annis 16. Sub huius tempore, constituitur Olympias prima apud Elidem Grecię ciuitatem Elijs agentibus quinquennale certamen, quatuor medijs annis vacantibus: & sic quadriennio in vna olympiade supputato. Ab hoc tempore græca de temporibus historia vera creditur, nam ante hoc vt cuique visum est, diuersas sententias protulerunt. Prophetabat Isaias vir vrbanæ eloquentiæ. In Israel post Phaceiam regnat Phacea. Prophetare cœpit Nahum de tribu Symeon. Hic prædixit quod Niniue a dulcibus aquis & subterraneo esset igne peritura, quod & factum est, illa enim quæ eam circundabat palus inundauit eam: & facto pariter terræ motu, ignis superueniens à deserto, altiora eius exussit.

Euseb. in Chron.

Epiph. de vita Proph

Achaz regnat annis 16. huius anno 5 Remus & Romulus collectis pastoribus & latronibus Romam condunt: ad tutelam vero nouæ vrbis sufficere vallum videbatur, cuius dum angustias Remus increpat, saltu transiluit, qui mox rastro pastorali iubente Romulo, à Fabio eiusdem Romuli duce occisus est. Itaque Romulus interfecto primum auo Numitore, dehinc Remo fratre arripuit Imperium, vrbemque construit, cui cum incolæ deessent asylum in loco proximo fecit: & statim mira vis hominum vndique ad ipsum confluxit: etenim quibuscumque sceleratis illuc confugientibus, impunitatem promiserat. Porro anno 3.

Florus Epith. 1. cap. 2.

ab vrbe condita, circensibus adornatis ludis, virgines ac mulieres Sabinorum quæ ad spectaculum venerant raptæ sunt, & vna virginum pulcherrima, cunctorum acclamatione rapientium, Thalamoni duci Romuli decernitur, & quia hæ nuptiæ fœliciter cesserant, institutum est vt in nuptijs Thalami nomen iteretur; & sic à Thalamone, thalamus dictus est. Anno Achaz 11. prima captiuitas 10. tribuum facta est sub rege Phacea cui successit Osea. In Sicilia, Syracusæ & Catana conditæ sunt. Circa id tempus secundum quosdam Sibylla Erithræa vaticinans claruit, dicta autem Erithræa à quadam insula, in qua eius inuenta sunt carmina: verum secundum quosdam circa Troianum bellum vaticinata est, Græcisque Ilium petentibus prædixit Troiam esse perituram, & Homerum mendacia scripturum. Traduntur autem fuisse decem Sibyllæ, quarum omnium carmina efferuntur: in quibus de Deo & de Christo & gentibus multa scripsisse comprobantur. Celebrior autem inter cæteras ac nobilior Erithræa perhibetur. Huius quosdam versus beatus Augustinus de græco in latinum translatos esse commemorat, qui sic incipiunt. Iudicij signum, tellus sudore madescet & cætera.

Ezechias regnat annis 29. hic iustitia & pietate præfloruit, sub quo Sennacherib Assyriorum rex Ierusalem obsidens 180. milia suorum amisit, quos angelus domini vna nocte prostrauit: Sed & cum ægrotasset in signum salutis Sol decem est lineis retrogressus. Huius anno 6. Salmanazar vniuersum Israel captiuauit, hoc est 7. tribus quæ remanserant, quia tres Achaz Rege iam fuerant captiuatæ regnatumque est in Samaria annis 240. ex quo separauerunt se à domo Dauid. Translatæ sunt autem 10. tribus vltra montes caspios ad quarum regionem custodiendam misit rex Assyriorum accolas de Babylone & de Chuthar:
4. Reg. cap. 17. Chutha flumen in Perside vnde & regio circumiacens dicta est, vnde prius habitatores Samariæ dicti sunt Chuthæi. post Iacobitæ, deinde Samaritani. Sub Ezechia factum est quod legitur de Thobia. Romulus
Euseb. in Chron. primus milites sumpsit ex populo, & nobilissimos 100. senes, quos ob ætatem Senatores, ob similitudinem curæ patres appellauit, templa
Florus Epi. tb. 1. cap. 1. quoque & muros romanæ vrbis extruxit. Idem postea Romulus apud paludem Capreæ sublatus, nusquam comparuit, & suadente Proculo Quirini nomine consecratus est: quem tamen à Senatu propter asperius ingenium discerptum asserunt, verius tamen putatur quia diuino iudicio, ob impietates & flagitia fulmine interceptus sit, quod inde colligitur, quia cum disparuit oborta erat tempestas, solisque defectio. Post Romulum regnauit Numa qui & Pompilius: hic duos menses anno addidit, Ianuarium & Februarium: cum antea 10. tantum apud Romanos fuissent à Romulo instituti. hic nullum cum finitimis bellum gessit, capitolium ædificauit, sacra eius instituit, ceremonias, cultum deorum, Pontifices, Augures. Hic etiam primus focum Vestæ virginibus colendum dedit, et in tantum vanitate deceptus est, vt plura diabolo dictante conscriberet.

Manasses regnat annis 55. hic Isaiam præclarum prophetam serra

lignea secari fecit per medium iuxta piscinam Syloe, qui vir Dei positus est sub quercum Rogel, iuxta transitum lympharum, quem fecerat Ezechias, vnde & Deus signa in Syloe pro eiusdem prophetæ memoria fecit, eo quod priusquam moreretur angustiatus orauit vt biberet aquam, & mox est ei à Deo transmissa, idcirco Syloe vocatur quod interpretatur missus. Nicomedia condita. Sibylla quæ & Hieraphile in Samo insula insignis habetur. Manasses cum multum prophetarum sanguinem effudisset, post multas impietates & scelera in Babyloniam ductus est, & vinculis ferreis constrictus plurima mala perpessus est, sed compunctus in carcere clamauit ad dominum, & exauditus est, & regno iterum restitutus. Romanis post Numam regnat Tullus Hostilius. Hic primus regum romanorum purpura & fascibus vsus est, omnem militarem disciplinam artemque bellandi instituit, ac post longam pacem bella reparauit. Albanos, Veientes, Fidenates vicit, & adiecto monte Cœlio, vrbem valli ambitu ampliauit: demum vero cum sua domo fulmine conflagrauit. Hoc tempore in Thracia Bizantium condita à Pausania rege Spartanorum, quæ postea à Constantino in maius aucta, & Constantinopolis dicta, sedes imperij & totius caput orientis effecta est. *Oros. lib. 3. cap. 13.*

Amon regnat annis 2. secundum 70. vero 12. Phalaris Siculus ea tempestate Agrigentinos arrepta tyrannide populatur: vir crudelis mente commentis crudelior, & omnia nefarie in innocentes agens. Huic quidam æris opifex placere affectans, taurum æneum fecit, cui affabre ianuam é latere composuit, quæ ad contrudendos damnatos receptui foret, vt cum inclusus ibidem subiectis ignibus torreretur, sonum vocis extortæ capacitas concaui æris augeret, pulsuque ferali, competens imagini murmur emitteret, nefarioq; spectaculo mugitus pecudis non hominis gemitus videretur: sed Phalaris factum amplexus factorem execratus, ipsum sua inuentione puniuit.

Iosias iustissimus regnat annis 32. hic lucos succidit & gentium Idola de suo regno abiecit, Deumq; cœli integerrime coluit, inter reges Iuda post Dauid vir vnicæ pietatis. Epidamnum ciuitas condita est, quæ nunc Dirachium dicitur. Romanis Ancus Martius Numæ ex filia nepos regnat, hic Auentinum montem & Ianiculum vrbi addidit, & supra mare, tertio decimo ab vrbe miliario Ostiam condidit ciuitatem, ad extremum morbo perijt. Prophetabat Olda mulier & Sophonias ex tribu Simeon. Ieremias quoque tunc prophetare exorsus est. *Euseb. in Chron.* Hic rerum naturam scrutatus suasque disputationes literis mandans eminuit, maximeq; admirabilis extitit, quod astrologiæ numeris comprehensis, defectus Solis, Lunæ etiam prædicere potuit. Thales Milesius vnus ex 7 sapientibus agnoscitur, quem aiunt primum apud Græcos physicam i. naturalem scientiam inuenisse. Romanis Tarquinius Priscus regnat: hic capitolium extruxit & Ioui dedicauit, circum Romæ ædificauit, numerum Senatorum auxit, romanos ludos instituit, muros & cloacas ædificauit, ad extremum ab Anci filijs occisus est, regis eius; *Euseb. in Chron.*

cui ipse successerat. Sibylla Cumana nomine Amalthea claret, ipsa est & Cumæa de qua Virgilius:

Æglog. 4. *Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.*

Hæc prædicto Tarquinio Prisco 9 libros tradidit, in quibus erant romana decreta conscripta. Iosias rex dum vadit contra Nechaonem regem Ægypti, in campo vrbis Mageddo dolose perimitur, ob cuius detestationem sceleris, fons qui illic erat exsiccatus est, & arbor exaruit.

Ioachaz regnat mensibus 3. quo mox in Ægyptum abducto substituitur frater eius Elyachim qui & Ioachim.

Ioachim qui & Iechonias dictus est, superioris Ioachim filius 3 tantum mensibus regnat: hunc Rex Babylonis secundo veniens ad Iudæam cœpit, & cum matre & melioribus quibuscunque Iudæorum in Babylonem adduxit. De semine quoq; regio pueros secum transtulit, eosque cum cæteris & nobilioribus quos ex diuersis nationibus deprædatus fuerat, scholæ tradidit: vt omnes discerent sapientiam Chaldæorum, inter quos, Daniel, Ananias, Azarias, Misael extitere præcipui. Fuerunt autem omnes quos transtulit Nabuchodonozor 10832. qui dicuntur proprie transmigrati, quia non per violentiam tracti sunt, sed spontanee se reddiderunt. Sedechiam vero eiusdem Ioachim patruum Iosiæ filium regem Iudæ constituit rex Babylonis, accipiens ab eo iusiurandum vt ei prouinciam custodiret & nihil hostiliter ageret & Ægyptijs non faueret.

Sedechias regnat annis 11. Massilia condita. Prophetabant in Ierusalem Ieremias & Baruch. In Babylone vero Ezechiel ex sacerdotali prosapia. Hic dum esset ad flumen Chobar ostendebat populo Israel, quæ in Ierusalem & in templo gerebantur. Idem raptus est inde, & venit in Ierusalem vt redargueret infideles. Iste vt Moyses vidit templi figuram, & interiorem exterioremq; murum & eius latitudinem, sicut eum Daniel quoque reædificandum fore vidit. Ipse in Babylone constitutus iudicauit tribum Dam, tribumq; Gad quod in dominum committerent impia, legis persequendo custodes. Et fecit contra eos prodigium magnum, quod filij eorum & pecora vniuersa, à serpentibus deperibant. Iste propheta, populo dedit signum in fluuio Chobar, vt quando deficeret, sustinerent desolationem terræ suæ: quando iterum inundaret sperarent regressum: Illic namque vir ipse sanctus habitabat & eius nutibus plurimi obtemperabant, ita vt aliquando dum plurima ei multitudo adesset, Chaldæi rebellionem veriti, irruerent super eos, ipse autem sisteret precibus aquas, vt per eius medium in alteram ripam, collecta ad se turba diffugeret. Et contigit vt quotquot aduersariorum præsumpserunt eos persequi mergerentur. Idem per orationes, subito eis largam piscium copiam præstitit ad vescendum, & multis iam deficientibus vitam restituit diuinitus. Et dum populus vastaretur ab hostibus supplex accessit ad Duces aduersariorum, qui prodigijs territi quieuerunt. Sedechias rex cum regi Babylonis detrectaret seruire, tandem ab ipso captus est, filiique eius ipso vidente

perempti sunt, & oculis erutis vinctus in Babylonem abductus est, incensa est ciuitas, templum subuersum, vasa dei aurea & argentea, mensa aurea, & candelabra omnia in Babylonem asportata & populus miserabiliter captiuatus. Porro Ieremias tempus euertendi templi prænoscens, arcam testamenti abstulit, et quod erat in ea, et absorberi eam fecit in petra, petram vero digito designans, Dei nomen impressit, et factum est sigillum in similitudinem sculpturæ quæ ferro cauatur, et ipsum domini nomen, nubis operimento ita cælatum est, vt ex tunc, nec locum quis inuenire queat, nec ipsum legere nomen vsque ad finem. Est autem petra illa in heremi terra vbi prius arca domini fuit inter geminos montes in quibus iacent Moyses et Aaron. Et pristinæ figuræ instar nocturno tempore illic nubes vt ignis fit: eo quod gloria Dei ab eius lege non desinat. Idem autem propheta cum sic arcam vt dictum est diuinitus inclusisset in petra, dixit præsentibus, Dñs ex Sion recessit ad cœlos inde rursus in virtute venturus, et erit signum præsentiæ eius quãdo vniuersæ gentes adorauerint lignum. Dixit autem quod hanc arcam nemo præter Aaron producere poterit, et tabulas quæ in ea sunt nullus aperiet sacerdotum, nullusq; prophetarum, nisi electus Dei Moyses et in prima resurrectione resurget hæc Arca, et exibit e petra et ponetur in monte Sinai, et omnes Sancti congregabuntur ad eam, regressum domini sustinentes, et aduersarium qui eos, pressurus est interim fugientes. Hæc de Ieremia sanctus Epiphanius Salaminæ vrbis Cypri Episcopus. Igitur Ierusalem euersa est, à Chaldæis templumque dirutum anno ab ædificatione sua 470. secundum Iosephum. Iuxta aliorum vero supputationem anno 435. vel 442. *Expletur 4. ætas continens annos 473.*

Epiph. de vita Proph.

QVINTA AETAS.

Tempus hebraicæ captiuitatis extenditur in 60. annos de quibus cum multæ sint opiniones, hæc vsitatior est, quia incipiunt ab euersione templi et terminantur in anno 3. Cyri. Primo autem anno Ieremias in Ægyptum descendit secutus reliquos Iudæorum qui ad Vaphrem regem Ægypti transfugerant, Ibiq; populum peccantem dum arguit à populo lapidatus, Taphnis occubuit, quem Ægyptij honorifice iuxta reges sepelierunt pro beneficiorum memoria præstitorum: ipse enim aspides & aquarum bestias quas græci crocodillos vocant, quibus Ægyptus infestabatur antea, sua oratione fugauerat. Hic etiam signum dederat Ægyptijs, quod idola eorum oporteret euerti atque corruere: Signum vero erat quando virgo genuerit, vnde hactenus sacerdotes eorum in quodam templi loco, virginem ponentes, & puerum in præsepe constituentes, adorant. Dum vero Ptolomæus rex

Idem ibidē.

interrogaret eos qua hoc agerent ratione: dixerunt à quodam sancto Propheta hoc suos accepisse maiores, quod etiam sustinebant in rebus fore euenturum. Tradit quoque Epiphanius quod Alexander Magnus superueniens ad idem prophetæ sepulchrum, cognoscensq; loci mysterium Alexandriæ transtulerit ipsius corpus ac sepelierit gloriose, quo facto, & aspidum genus ex illa sit terra cohibitum, & similiter ex flumine bestiarum. Anno captiuitatis 4. solis facta defectio cum eam futuram Thales Milesius ante dixisset. Per hos dies factum esse creditur quod legitur de Susanna, & Danielis cœpit opinio celebrari. Hoc tempore 7 sapientes appellati sunt, quorum hæc sunt nomina Thales, Pittacus, Solon, Chylon, Periander, Cleobulus, Byas. Hi post poetas theologos claruerunt, quoniam nonnulla honestiora præcepta morum, breuitate sententiarum complexi sunt. Nihil autem monumentorum quod ad litteras pertinet posteris reliquerunt, nisi quod Solon quasdam leges Atheniensibus dedit. Thales vero physicus fuit & suorum dogmatum libros scripsit. Romanorum regnum inuadit Seruius Tullius ancillæ sed nobilis captiuæ filius. Hic tres montes vrbi addidit, Quirinalem, Viminalem, Esquilinum: Fossas circa muros duxit, censum romanorum ciuium primus instituit, summa eius solertia ita est ordinata Respublica, vt omnia patrimonia, dignitates, ætates, artium officiorumq; discrimina in tabulas referrentur: ad extremum Tarquinij superbi generi sui superioris regis filij scelere occisus est. In Babylone Daniel clarus habetur. Hic fuit vir vsque adeo castus vt ab ipsis contribulibus suis spado putaretur Iste super Ierusalem plurimum fleuit, & ieiunijs operam dedit, ab omni victu desiderabili abstinens: & erat vir siccus aspectu sed & pulcher altissimi gratia. Per hos dies Nabuchodonosor Rex subuersa Ægypto cæterisque finitimis gentibus subiugatis, famosissimus habebatur, adeoque potens vt monarcham suum, Regem scilicet Medorum fere penitus obumbraret. Si quidem apud Reges Mediæ erat dignitas monarchiæ: nam ex quo Arbaces Sardanapalum Regem Assyriorum vltimum occidit, regni Assyrij nomen & summa in Medos translata est, licet apud Assyrios remanserit regni pars magna, sed non in priori potentia. Interim vero Chaldæi Babyloniam sibi aduersus Medos vendicarunt, & ita potestas Babyloniæ apud Medos, proprietas vero regni apud Chaldæos fuit. Inde est quod Nabuchodonosor cæteriq; post eum Reges vsque ad Cyrum quamuis gestis insignes tamen in numero regum non habentur illustrium. Porro Nabuchodonosor cum sic inualuisset, & in nimiam elationem euasisset, diuinitus factus est (sicut Daniel ei prædixerat) fera atque iumentum vt esset in anterioribus sicut bos, & cæteris sicut leo. Ita namque Tyranni primo voluptatibus dediti sicut bos iugo Belial subduntur, postea vero sicut leo diripiunt, interficiunt & conculcant. Hæc Daniel de mysterio ipso per reuelationem agnouerat. Idem etiam præuidit quod sicut bos ederet fœnum & esset naturæ cibus humanæ. Ob hoc & Nabuchodonosor postquam valuit supplicare, versus ad cor hominis fleuit, & domino

Eusib. in Chron.

Daniel. 4.

totis 40. diebus ac noctibus supplicabat, & orans rursus in insaniam vertebatur, & refectum se hominem nesciebat, ablataq; ei lingua fuerat ad loquendum, & dum cognosceret denuo flebat, factique erant oculi eius vt caro ex nimijs fletibus. Multi vero de ciuitate egrediebantur & videbant eum, solus autem Daniel nolebat aspicere eum, eo quod omni alienationis eius tempore orationi pro eo esset intentus, ipsoque orante an. 7. quos totidem dixerat tempora in 7. versi sunt menses, atque ita in eum completum est mysterium temporum 7 & statuit 7 Iudices. Ipse autem 6. annis & 6. mensibus supplicans Domino confitebatur impietatem suam, non panem, non carnes comedens, nec vinum bibens, eo quod ei Daniel præcepisset, vt contentus leguminibus humidis, & herbis Domino satisfaceret. Porro post Nabuchodonosor isti regnauerunt Euilmedorach, Egesar, Labosordach, Balthasar. Romanis regnat Tarquinius superbus. Medorum Rex erat Astyages. Hic Darium consobrinum suum adoptauit in filium quorum nepos fuit Cyrus, sed Astyagis ex filia, & Darij ex sorore. Porro Cyrus à Persis sublimatus in regem vicit Astyagem, regnumque Medorum in Persas transtulit, dehinc occiso Balthasar, Babylonem euertit, quæ deinceps non est reparata, sed in desertum redacta: nam illa quæ nunc incolitur Babylonia, postmodum à Cambise Cyri filio condita est.

Cyrus mortuo Dario monarchiam tenuit annis 30. Prophetabat adhuc in Iudæa Habacuc de tribu Symeon. Hic enim cum præuidisset captiuitatem Ierusalem fugit in Ostracinam, & erat incola in terra Israel: reuersis vero Chaldæis ille peregrinabatur in terram suam, & vsque ad id tempus, hoc est vsq; ad exordium regni Cyri processerat. Quadam autem die dum accepisset pulmentarium, volens ministrare messoribus agri sui, prophetauit suis inquiens. Ibo ad terram longinquam & cito redibo, quod si tardauero vos cibum deferte messoribus & allatus Babyloniæ; dansque prandium Danieli, comedentibus subito messoribus superuenit, intellexitq; quod cito esset populus à Babylonia reuersurus, et ante 2. annos reditus eorum, defunctus est. Porro primo anno regni Cyri 70. captiuitatis imminebat annus: qui Cyrus mox vt regnare cœpit, Iudæis vbicunque essent in regno suo redeundi libertatem dedit. Tunc Zorobabel dux et Iesus summus Sacerdos discurrentes per omne regnum Cyri, exhortari cœperunt Iudæos vt redirent: qui tandem rebus suis expeditis 3. anno regni Cyri, pariter congregati vsq; ad 50. circiter milia in Iudæam regressi sunt, constructoq; prius altari, postea 2. regressionis anno, templi fundamenta iecerunt, sed cum à vicinis gentibus fabricatio impediretur, imperfectum opus, vsque ad Darium permansit, tantum altario consistente. Pythagoras philosophus claruit, à quo ferunt philosophiæ nomen exortum: nam cum antea sapientes appellarentur, qui alijs præstare videbantur, iste interrogatus quid profiteretur, philosophum se esse respondit i. studiosum vel amatorem sapientiæ, quoniam sapientem profiteri, arrogantissimum videbatur.

Epiph. de vita Proph.

Cambyses Cyri filius regnat annis 8. hunc aiunt hebræi secundum Nabuchodonosor vocari. Sub hoc factum esse putatur, quod in Iudith hystoria continetur: sed contra ire videtur quod illic dicitur 12. anno regni eius, cum hic dicatur 8. tantum annis regnasse. Verum illic anni numerantur à tempore, quo regnum Assyriorum accepit à patre adhuc viuente, hic autem à tempore quo regnauit post patrem. Hunc solus Esdras Artaxersem vel Assuerum vocat: sed plura potuit habere nomina, sicut legitur de plerisq;. Fuit autem iste Cambyses gestis magnificus, tamque elati animi, vt ceruicibus Regum faceret se portari. Post mortem eius regnauerunt Magi mensibus 6.

Darius filius Hystaspis regnat an. 36. huius anno 1. prophetæ Dei in Iudæa surrexerunt Zacharias & Aggæus, & adhortati sunt populum vt ædificarent templum. Secundo autem anno libertate data à Dario, & expensis ab ipso ministratis ædificare aggressi sunt, & anno regni eiusdem Darij 7. ædificium consummarunt: sicque iuxta quod habetur in euangelio, templum ædificatum est 40. & 6. annis, hoc est à prima licentia per Cyrum data 1. regni ipsius anno, vsque ad 7. Darij annum, quo consummatum est. Tarquinius superbus Romanorum Rex cum multa crudeliter egisset, causa Tarquinii filii sui qui Lucretiam corruperat, à Bruto potentissimo Romanorum expulsus est. Abhinc post expulsos reges Roma Consules habere cœpit, primusq; Consul extitit Brutus. Consules vero ideo appellauerunt vt consulere ciuibus suis debere meminissent. Dein Tribuni plebis, ac Dictatores, & rursum Consules Rempublicam obtinuerunt per annos fere 444. vsque ad Iulium Cæsarem, qui singulare imperium primus arripuit. Malachias prophetabat vnus ex 12. hic quia vitæ optimæ fuit, honorabat eum populus vniuersus, ideoq; eum Malachil, id est angelum domini vocauerunt, erat namque & aspectu decorus, sed & quæcunq; prophetisans dicebat, eadem die angelus domini apparens denuo ipsa repetebat: cum adhuc iuuenis esset aggregatus est ad patres suos.

Florus Epith. 1. cap. 9.

Epiph. de vit. proph.

Xerses Darij filius regnat an. 20. Ioachim post patrem suum Iesum obtinet sacerdotium an. 26. Romæ Pompilia virgo Vestalis deprehensa in stupro, viua defossa est. Xerses Græciam expugnare volens incredibilem colligit exercitum, hoc est 700000. armatorum, & de auxiliis 300000. Naues etiam rostratas 1200. & onerarias 3000. sed tanto agmini dux defuit, nam semper in prælio postremus & in fuga primus Xerses apparuit, erat enim in periculis timidus & vbi metus abesset inflatus, cumq; introisset Græciam turpiter deuictus est: inde quoque rediens terrestri naualique prælio superatus, etiam suis contemptui esse cœpit, quem non multo post præfectus suus Artabanus occidit & 7. mensibus regnauit.

Iustin. hist. lib. 2.

Artaxerses regnat an. 40. Per idem tempus Esdras scriba de genere Aaron sacram bibliothecam à Chaldæis combustam, spiritu sancto dictante reparauit, & quasdam figuras faciliores ad scribendum & ad pronunciandum quam priores inuenit, vnde & apud Artaxersem

regem

regem magnificatus est, obtinuitq; vt rediret & in lege Domini, populum suum instrueret: Mittens autem ad filios Israel, qui erant vltra montes Caspios, qui sunt inter Medos & Persas, tandem sociis 1700. vndecumq; collectis venit in Ierusalem anno regni Artaxersis 12. Hoc tempore Romani per legatos ab Atheniensibus iura petierunt, ex quibus 12. tabulæ conscriptæ sunt. Anno Artaxersis 20. Nehemias eiusdem regis pincerna, data sibi à rege licentia, Ierusalem ascendit, murosq; vrbis reædificare cæpit, & prædicti regis anno 32. quod cæperat consummauit: à quo tempore idest 20. eiusdem regis anno, si quis 70. hebdomadas à Daniele scriptas numeret quæ faciunt an. 490. reperiet eas in regno Neronis expletas, sub quo Ierusalem obsideri cæpta 2. postea Vespasiani anno capta est & euersa. Artaxerse prædicto regnante cecidit è cœlo in ægeum mare lapis grandis, formam habens capræ simillimam Democritus philosophus & Sophocles poeta clarent. Pontifex maximus apud Iudæos tunc erat Eliachim filius Ioachim. Esdras & Nehemias clari habentur. Huc vsque diuinæ scripturæ hebręorum annalia tempora continent: ea vero quæ post hæc apud eos gesta sunt, exibentur de libro Machabæorum & Iosephi & Africani scriptis, qui deinceps vniuersam historiam vsque ad Romana tempora persecuti sunt. *Euseb. in Chron.*

Darius cognomento nothus regnat an. 19. quem præcesserunt secundus Xerses & Sogdianus qui tantum 9. mensibus regnauerunt. Romæ grauissima pestis fuit quæ super vniuersam ciuitatem vehementer incanduit vt merito pręcedente prodigio cęlum ardere visum sit. Grauissimo terrę motu concussa Sicilia: insuper æstuantibus Aetnę montis ignibus fauillisq; calidis, cum detrimento plurimo agrorum villarumque vastata est. Tunc etiam Atlante monte scisso, ciuitas locis terrę contigua repentino impetu maris abscissa, atque in insulam dissoluta est. In Italia fere per totum annum crebri grauesque terremotus fuerunt, vt de innumeris quassationibus ac ruinis villarum opidorumq; assiduis, Roma nuntiis fatigaretur. Deinde torrida & iugis siccitas fuit, vt spem gignendis frugibus abnegaret. Hippocrates medicus insignis habetur. Hic in Insula Choo natus, artem medicinę reuocauit in lucem: nam ex quo Æsculapius Apollinis filius, qui eamdem artem post patrem suum, laude vel opere amplinat, fulminis ictu interiit, interdicta fuit medendi cura, & ars, simul cum actore defecit, latuitque per annos pęne 500. vsque ad tempus Hippocratis. Siquidem iste discussis ętatum & ægritudinum qualitatibus, artis curam rationabiliter perscrutatus est. Plato nascitur, hic cum adhuc paruulus dormitet in cunis apes mel inseruerunt eius labellis, qua re audita prodigiorum interpretes, singularem eloquij suauitatem, eius ore emanaturam dixerunt, quod & verum fuit. *Oros. lib. 2. cap. 18.*

Artaxerses qui & Mennon dictus est Darii & Parasatidis filius an. 40. regnat. Hic est qui ab Hebreis Assuerus dicitur, qui Hester accepit vxorem & interfecto Aman instituit Mardochęum secundum à se quem Mardochęum ferunt Hester historiam conscripsisse. Socrates

philosophus sermone plurimo celebratur. Hic primus vniuersam philosophiam ad corrigendos componendosq; mores, flexisse memoratur: cum ante illum omnes magis physicis i. naturalibus perscrutandis, operam maximam impenderint, finemque bonum fieri non posse, nisi bene viuendo docuit. Nolebat itaque immundos terrenis cupiditatibus animos, extendere in diuina, quandoquidem ab eis causas rerum videbat inquiri, quas primas atque summas non nisi in vnius ac summi Dei voluntate esse credebat: vnde non eas putabat, nisi munda mente posse comprehendi, & ideo purgandæ bonis moribus vitæ censebat instandum, vt deprimentibus libidinibus exoneratus animus, naturali vigore in æterna se attolleret, naturamque incorporei & incommutabilis luminis, vbi causæ omnium factarum naturarum stabiliter viuunt; intelligentiæ puritate conspiceret Hic tamen cum tantus esset, imperitorum inuidia excitatis Atheniensibus, calumniosa criminatione damnatus, morte mulctatus est. Sed quę publice eum damnauerat Atheniensium ciuitas, publice postea eum luxit, & in duos accusatores eius vsque adeo populi indignatio conuersa est, vt vnus eorum oppressus vi multitudinis interiret: exilio autem perpetuo pœnam similem alter euaderet. Tam præclara igitur vitæ, mortisque fama Socrates reliquit plurimos suæ philosophiæ sectatores, quorum certatim studium fuit in quæstionum moralium disceptatione versari; vbi agitur de summo bono, sine quo fieri homo beatus non potest. Inter omnes autem Socratis discipulos, Plato gloria & fama eminentior fuit nec immerito, cum determinasset finem boni esse secundum virtutem viuere, & ei soli euenire posse, qui notitiam vnius Dei & imitationem habeat, nec esse aliam ob causam beatum. Qui plato, cum apud suos honesto natus esset loco: Athenis ingenio mirabili, longe suos condiscipulos anteibat. Nec contentus Socratica disciplina, longe lateque peregrinatus est, quaqua versum alicuius nobilitatem scientiæ percipiendæ, eum fama rapiebat. Itaque & in Ægypto didicit quæcunque magna illic habebantur atque docebantur: Et inde in eas partes Italiæ veniens, vbi Pythagoræ fama celebrabatur, quicquid italicæ fuit philosophiæ facillime comprehendit, & quia magistrum Socratem singulariter diligebat eum loquentem faciens fere in omnibus sermonibus suis, etiam quæ vel ab aliis didicerat, vel ipse quanta potuerat intelligentia viderat: cum illius lepore vel moralibus disputationibus temperauit. Igitur cum studium sapientiæ in actione & contemplatione versetur vnde vna pars eius actiua, altera contemplatiua dici potest, contemplatiua autem ad conspiciendas naturæ causas & sincerissimam veritatem: Socrates memoratur in actiua excelluisse: Pythagoras vero magis contemplatiuæ, quibus potuit intelligentiæ viribus institisse. Proinde Plato vtrumque iungendo, philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit, vnam moralem quæ maxime in actione versatur, alteram naturalem quæ contemplationi deputata est: tertiam rationalem quæ verum à falso discerminat: quæ licet vtrique,

idest actioni, & contemplationi sit necessaria, maxime tamen contemplatio perspectionem sibi vendicat veritatis. Ideo hæc tripartio non est contraria illi distinctioni, quia intelligitur omne studium sapientiæ, in actione & contemplatione consistere. Per id tempus Senones Galli duce Brenno, Italiam inuadunt, Romam capiunt, excepto capitolio, ibique ad eius obsidionem diu morati 1000. auri libras propter præmium discessionis accipiunt, nec mora diuersis agminibus, alij Græciam alij Thraciam petierunt, tantusque terror gallici nominis erat, & armorum inuicta feritas, vt Reges Orientis, non sine Gallis bella gererent. A rege itaque Bythiniæ vocati in auxilium, peracta victoria, regnum cum eo partiti sunt, eamq; regni partem Gallogræciam, quæ nunc Galathia, dicitur, appellarunt. Dionysius in Sicilia tyrannidem exercet. Hic tot sacrilegia sua iocosis dictis prosequi, voluptatis loco duxit. Ioui enim olympico amictum aureum detraxit, & sago eum laneo operuit, dicens aurum & hyeme esse frigidum & æstate onerosum. Idem Æsculapio auream barbam dempsit dicens, non eum esse patri dissimilem debere, qui imberbis pingitur. Idem mensas argenteas & aureas è fanis auferebat, & quia in eis scribebatur bonorum deorum esse, deorum vti se bonitate dicebat. Idem coronas aureas quas simulachra manibus tenebant accipiebat, dicens stultum esse quod Dij offerebant non accipere. Athenienses 24. literis vti cœperunt, cum antea 16. literas tantum haberent. Plato & Xenophon nec non & alij Socratici clari habentur. Magno terræmotu facto Helice & Bura Peloponensium vrbes absorptæ sunt. Iudæorum summus pontifex erat Iudas. Aristoteles 18. agens annum Platonis auditor est. Carthaginensium bellum famosissimum fuit.

Iustin. hist. lib. 25.

Valer. max lib. 5. cap. 2. de negl. rel. exemp. 8.

Euseb. in Chron.

Artaxerses qui & Ochus regnat an. 26. Iudæorum summus Pontifex erat Ioannes Iudæ filius. Hic fratrem suum Iesum sacerdotium ambientem occidit in templo, ob quod facinus Bagoses regis Artaxersis dux, qui Deum diligebat templum ingressus violauit, & Iudæos in seruitutem redegit, nec hostias offerri prius in templo permisit, quam pro vno quoque anno vectigal exigeret, dragmas scilicet 50. sicque an. 7. pro nece Iesu populum afflixit. Hoc tempore ingens pestilentia Romam corripuit, & generali cunctos per biennium tabe confecit. Sequitur hanc miseram luem satis triste prodigium: repente siquidem medio vrbis terra dissiluit, vastoque prærupto hiantia subito inferna patuerunt. Manebat diu ad spectaculum terroremque cunctorum, patenti voragine impudens specus, nephariamque viui hominis sepulturam dijs interpretibus expetebat. Huic voragini satisfecit præcipitio sui Marcus Curtius vir equęs armatus. Galli iterum sæuissimam stragem Romani dederunt, sed occiso prouocatore Gallo, hostes territi, sparsimque fugientes, grauiter trudicati sunt. Per id tempus Philipus Macedorum rex, multa & innumerabilia mala in diuersis prouincijs exercens, ciuitatum incendia, excidia bellorum, subiectiones prouinciarum, cædes hominum, opum rapinas, vltra quam dici po-

Ioseph. lib. 11. antiq. cap. 7.

Oros. lib. 3. cap. 4. & 5

Idem cap. 6

teſt, nunc viribus, nunc fraude, nimia crudelitate cumulauit. Hoc etiam tempore nox vſque ad plurimam diei partem tendi viſa eſt, & ſaxea de nubibus grando deſcendens veris terram lapidibus verberauit. Philippi regis Macedonum & olympiadis filius naſcitur Alexander magnus. Ariſtoteles philoſophus, Diogenes Cynicus, Demoſtenes orator, ore omnium celebrantur.

Oroſ. lib. 3. cap. 7.

Arſes Ochi filius regnat an. 4. Iaddus ſummus pontifex Ioannis filius claret. Huius frater erat Manaſſes, cui filiam ſuam dederat vxorem Sannaballetes, miſſus à Dario ad Samariam ſattapa genere Chuthæus, principes vero ſacerdotum cum populo hoc indigne ferebant, nam per hæc mala coniugia priorem extitiſſe captiuitatem putabant, ob hoc prohibitus à fratre Manaſſes ad altare accedere ad ſocerum Sannaballetem venit, qui ædificauit ei templum inſtar templi Ieruſalem, ſuper montem Garizin in Samaria quod diu ſtetit.

Ioſeph. cap. 7. & 8. lib. 11.

Darius Arſami filius regnat an. 6. apud Perſas, apud Macedones vero Philippo ſuccedit in regnum Alexander magnus gurges miſeriarum atque atrociſſimus turbo totius orientis. Hic primam experientiam virtutis ſuæ compreſſis celeriter Græcorum motibus dedit, in exercitu eius fuerunt peditum 32. milia, equitum 4. milia & 500. naues 180. ac cum tam parua manu vniuerſum orbem, vtrum mirabilius ſit, quod vicerit an quod aggredi auſus fuerit, incertum eſt. Primo eius congreſſu cum Dario 600000. milia perſarum in acie fuerunt, quæ non minus Alexandri arte quam virtute Macedonum terga verterunt, magna igitur cædes perſarum fuit, in exercitu vero Alexandri 120. equites, & 9. tantum pedites defuere. Item Darius cum 300. milibus equitum Alexandro occurrit, pugna committitur, fugit Darius, cæduntur perſæ, ex quibus 80. milia peditum 10. milia equitum cæſa 40. milia capta ſunt, ex Macedonibus vero non niſi 130. pedites & 150. equites ceciderunt. In caſtris perſarum multum auri cæterarumque opum repertum eſt: inter captiuos mater & vxor eademque ſoror & filiæ duæ Darij fuerunt, quarum redemptionem Darius cum etiam oblato regni dimidio non impetraſſet, tertio cunctis imperij viribus contractis bellum inſtaurat. Interim Alexander capta Tyro Iudæam inuadit, cui Iaddus princeps ſacerdotum, diuina reuelatione præmonitus cum hyacinthina & aurea ſtola, habens etiam ſuper caput Cidarim ac laminam auream, cæteri vero ſacerdotes, cum byſſinis ſtolis, reliqua multitudo cum veſtibus albis occurrunt. Tum rex ſolus de equo deſcendens, nomen Dei in aurea lamina ſcriptum adorat, & ſummum pontificem veneratur. Hoc videntes omnes regem circunſtantes ſtupuerunt, mentemque regis ludificatam putauerunt, ſolus Parmenio regi familiarior, eum cur hoc feciſſet interrogat Cui ille: non pontificem inquit, ſed Deum, cuius pontificatu fungitur adoraui: nam cum adhuc in Macedonia eſſem, in tali illum habitu memini me vidiſſe, dumque mecum cogitaſſem poſſe Aſiam vincere, incitauit me non negligere, ſed conſtanter tranſire, nam ſe perducturum meum dicebat exercitum, &

Oroſ. lib. 3. cap. 7. & 16. post Iuſt lib. 11.

Iuſti. ibidē & Oroſ. ca. 16. lib. 3.

Ioſeph. lib. 11. antiq. cap. 8.

Persarum potentiam traditurum Ideoque neminem alium in tali stola videns, cum hic eum animaduertissem visionis non immemor salutaui, exinde arbitror diuino me iuuamine vicisse Darium, virtutemque soluisse Persarum, praeterea & omnia quae in corde meo sperantur, prouentura confido. Post haec ad ciuitatem peruenit & in templum ascendens, Deo victimas immolauit. Tunc ostenderunt ei librum Danielis, vbi scriptum erat de quodam rege Graecorum, qui regni Persarum esset destructurus dominium: quod Alexander de se prophetarum arbitrans, gauisus est. Conuocatis deinde Iudaeis iussit petere quicquid vellent, quibus petentibus vt liceret vti patrijs legibus & 7. annum sine tributis esse praeciperet, concessit omnia. Exin Siciliam, Rhodum atque Ægyptum pertinaci furore peruadit. Alexandriam post haec in Ægypto condidit anno regni sui 6. Darius interea spe pacis amissa 400000 & 4. milia peditum & 100. milia equitum Alexandro ab Ægypto reuertenti apud Tharsum bello opponit, nec pugnae mora, omnes caeca rabie in ferrum ruunt, raro in nullo praelio tantum sanguinis fusum est, Darius vero fugere compulsus est. Hoc praelio Asiae vires & regna conciderunt, totusque oriens in potestatem macedonici cessit imperij. Darius dehinc captus, aureis compedibus detinetur nec multo post, multis confossus vulneribus moritur, in itinereque relinquitur, quem mortuum inani misericordia iussit Alexander referri in sepulchra maiorum, quo occiso persarum regnum concidit, alexandrinorum nascitur, quod regnum est Ægypti. Florebat tunc Graecia summis philosophis, Aristotele, Demostene, Diogene, Xenocrate multisque aliis in rerum notitia satis claris: quorum Diogenes ita continens fuit, opumq; contemptor quod cum Alexander rex, ad eum in sole sedentem accessisset hortans vt a se quid peteret, ille nihil omnino petierit, nisi tantum ne sibi obstaret à Sole. Ad Xenocratem quoque idem rex legatos, cum aliquot talentis misit, quos in domum perductos solito sibi 1. modico apparatu excepit. Postero die quaerentibus cui pecuniam adnumerari vellet, quid inquit, hesterna caena non intellexistis ea me non indigere. Ita rex philosophi amicitiam emere voluit, philosophus regi suam vendere noluit. Iuxta eundem senem vino aliquando grauem nobile Athenis scortum accubuit, pignore cum quibusdam iuuenibus posito, quod temperantiam eius corrumpere posset, quam nec tactu, nec sermone aspernatus quo ad voluerat in sinu suo moratam, propositi irritam dimisit: quae deridentibus se adolescentibus, pactumque victoriae pretium flagitatibus: de homine secum his, non de statua pignus posuisse respondit.

Oros. cap. 16 lib. 3.

Idem cap. 17.

Val. max. lib. 4. cap. 3. de Cont. exemp. vlt.

Idem ibidē. exemp. penul.

Alexander magnus monarchiam Orientis tenet an. 5. nam 7. anni priores, sub regno Persarum supputantur. A reaedificatione templi 181. annus erat. Post haec Alexander Hyrchanos & Mardos subegit. Inde Parthos aggressus est, quos diu obnitentes deleuit propemodum, antequam vicit. Deinde Dracas Euergetas, caeterosque populos circa montem caucasum commorantes subegit, vrbe ibi Alexandria super

Iustin. hist. lib. 12. & Oros. cap 18 lib. 3.

amnem Tanaim constituta. Sed nec minor eius in suos crudelitas, quam in hostem rabies fuit. Docent hoc Aminthas consobrinus occisus, nouerca, fratresque eius necati, Parmenio & Phylothas trucidati, Attalus, Eurilocus, Pausanias, multique Macedoniæ principes extincti. Clitus quoque annis grauis, amicitia vetus nefarie interfectus: qui cum in conuiuio fiducia amicitiæ regiæ, aduersus regem sua opera patri Philippo præponentem, memoriam patris tueretur, ab offenso frustra rege venabulo transfossus commune conuiuium moriens cruentauit. Sic erat Alexander humani sanguinis insaturabilis & siue hostium siue sociorum, recentem semper cruorem sitiebat. Itaque pertinaci impetu in bella procurrens Chorasmos & Dacos, indomitam gentem in ditionem accepit. Calisthenem philosophum, suumq; apud Aristotelem condiscipulum, cum plurimis principibus, quod eum deposito salutandi more vt Deum non adoraret, occidit. Post hæc Indiam petit, vt Oceano vltimoque oriente finiret imperium. Nysam vrbem adijt Dædalos montes, regnaque Cleophydis reginæ expugnauit, quæ cum dedisset se concubitui regnum redemit. Peragrata, perdomitaque Alexander India, cum ad saxum miræ asperitatis, & altitudinis, in quo multi populi confugerant peruenisset: cognoscit Herculem ab expugnatione eiusdem saxi terræ motu prohibitum, & æmulatione permotus, vt Herculis acta superaret, cum summo labore, ac periculo saxo potitus, omnes loci eius gentes in deditionem accepit, cum Poro fortissimo rege Indorum cruentissimum bellum gessit, in quo cum ipso Poro singulariter congressus, occisoq; deiectus equo, concursu satellitum, præsentiam mortis euasit. Porus multis vulneribus confossus & captus est, quo ob testimonium virtutis in regnum restituto, duas ibi condidit ciuitates, Nicæam & Bucephalam quam de nomine equi sui ita vocari præcepit. Exin ad amnem Acesinem pergit: Per hunc in oceanum deuehitur, ibi Gessonas, Sybosque, quos Hercules condidit, oppressit. Hinc Mardos & Subagras nauigat, quæ gentes eum cum armatis 80. milibus peditum & 60. milibus equitum excipiunt: commisso prælio diu anceps, & cruenta pugna, tandem pene tristem victoriam Macedonibus contulit; nam fusis hostium copijs, Alexander exercitum ad vrbem duxit, & cum murum primus ascendisset, vacuam ciuitatem ratus, solus introrsum desiluit, quem cum vndique infesti hostes circundedissent, incredibile dictu est, vt eum multitudo hostium non vis magna telorum, non tantus lacessentium clamor terruerit, solus tot milia ciciderit, ac fugarit. At vbi se obrui a circunfusa multitudine persensit, muri obice posteriora tutatus, contrarios facilius eo vsque sustinuit, donec periculo eius clamoreq; hostium perfractis muris, exercitus omnis irrumperet. In eo prælio sagitta sub mamma traiectus fixo genu eatenus pugnauit, donec eum à quo vulneratus esset occideret. Inde conscensis nauibus, cum oceani littora peragraret ad vrbem quandam cui Ambira rex præerat, peruenit: sed in expugnatione ciuitatis magnam partem exercitus sagittis hostium veneno illitis

Oros. cap. 19. post Iust lib. 12.

Iustin. hist. lib. 12. & Oros. cap. 19. & 20. lib. 3.

amisit, ac post herba per somnium sibi ostensa, & in potum saucijs data, cum reliquis subueniretur vrbem expugnauit & cœpit. Post quasi circumacta meta & de oceano Indum flumen ingressus, Babyloniam celeriter rediјt, vbi eum exterritarum totius orbis prouinciarum legati operiebantur, hoc est Carthaginensium & totius Africæ ciuitatum, sed & Hispanorum & Gallorum, Italorum, Siciliæ, Sardiniæq;. Sed mox apud eandem vrbem cum ministri insidiis circumuentus venenum potasset interiit in ipso ætatis & victoriarum flore, an. vitæ 32. regni vero sui 12. Post Alexandri mortem per diuersas gentes quas ipse tenuerat, diuersi regnauerunt. Macedoniæ siquidem Philippus qui & Aridæus frater Alexandri. Asiæ regnauit Antigonus. Syriæ Seleucus Ægypto, Africæ, Arabiæ Ptolomæus: quia vero regnum Ægypti, quod & Alexandrinum dicitur, propter Alexandriam Ægypti metropolim, inter cætera regna extitit eminentius, & populo Dei vicinius, per ipsum annorum seriem deducamus. *Osor. cap 20. lib. 3.*

Primus igitur post Alexandrum in Ægypto annis 40. regnauit Ptolomæus Lagi filius, à quo omnes postea reges Ægypti Ptolomæi vocati sunt. Hic Ierosolymis & Iudæa in ditionem suam dolo redactis plurimos captiuorum in Ægyptum transtulit. Anno 8. Ptolomæi, apud Macedonas regnum obtinuit Cassander. Machabęorum hebręa historia, hinc Græcorum supputat regnum. Iudæorum pontifex max. Onias Iaddi filius claruit an. 17. post quem pontificatum tenuit annis 16. Simon filius eius cognomento iustus, propter sollicitam in Deum religionem & in ciues suos pronam clementiam. Romæ Appius Claudius cæcus clarus habetur, qui aquam Claudiam induxit in vrbem, & viam Appiam strauit. Anno ab vrbe condita 477. apud Formias multis ictibus fulminum mœnia vndique & arbusta combusta & dissoluta sunt. Apud agrum Calenum repente flamma hiatu terræ eructuata 3. diebus & 3. noctibus terribiliter æstuans 5. agri iugera, exhausto penitus succo vbertatis in cinerem extorruit, ita vt non fruges solum, sed & arbores cum imis stirpibus absumpserit. Post biennium, inter multa prodigia, sanguis è terra, lac visum est manare de cœlo, nam & plurimis locis scaturiens è fontibus cruor fluxit & de nubibus guttatim in speciem pluuiæ lacte demisso, diri vt ipsis visum est terras imbres irrigauerunt. Regulo contra Pœnos in Africam profecto, iuxta flumen Bagradas, serpens miræ magnitudinis apparuit, qui cum multos Romanorum deuorasset ac telis prorsus impenetrabilis esset, tandem mirabili saxo per balistas spinæ eius incusso oppressus est. Corium eius Romam deuectum, quod fuisse 120. pedum spatio ferunt aliquandiu cunctis miraculo fuit. Theophrastus philosophus agnoscitur, qui à diuinitate loquendi vt ait Cicero, nomen accepit. Seleucus Anthiochiam, Laodicæam, Seleuciam, Apamiam, Edessam, Beroeam & Pellam vrbes condidit, & in eas Iudæos transtulit, ius eis ciuium, & municipalem ordinem cum Græcis æquali honore concedens. Ariminum & Beneuentum à Romanis conditę sunt. Post Simonem iustum, ministerium

Eusch. in Chron. *Oros. lib. 4. cap. 4.* *Idem cap. 5* *Florus Epith. 2. cap. de bello punico & Oros. lib. 4. cap. 8* *Euseb. in Chron.*

templi suscipit Eleazarus frater eius an. 17. Onia filio Simonis paruo admodum derelicto.

Ptolomæus qui & Philadelfus in Ægypto regnat annis 38. hic in transcribendis voluminibus, siue legum vel commentariorum, seu etiam historiarum vel cuiuslibet doctrinæ, prudentiæ vel sapientiæ valde cupidus & ardentissimus fuit. Hic audiens in Ierosolymis, ingentem bibliothecam diuinarum scripturarum collectam gauisus est, & præcepit Demetrio bibliotecario suo, vt diuinæ legis volumina translata in grecum librarijs suis adderet qua occasione gaudens Aristeus volens pro hac gratia obtinenda apud Iudeos eis vtilitatis aliquid conferri, adijt regem dicens. Minime rex oportet vana nos Iudeos adeuntes spe decipi, sed aliquid solatii eis intimare, vt libenter voto nostro famulentur: si enim legem Iudæorum tibi interpretari omnino desideras, dignum est, vt eisdem Iudeis gratiam regiæ munificentiæ ex maxima parte indulgeas. Iube igitur vt omnes Iudæi qui in tuo regno captiui tenentur liberi ad patriam suam redeant, quia incongruum valde videtur, vt ab illis vicem dilectionis exigas, quos ex parte magna in subiectione tua seruientes tenes. Decet itaque à presenti captiuitatis iugo Iudeos absoluere, ac Deo qui leges exposuit, pro tui regni tutela remittere: nam cum multa sepius indagassem, cognoui factorem eos omnium Deum colere quem nos ζῆνα i. Iouem nominamus, quod omnibus indulget, ζῆν i. viuere. Quapropter ad honorem Dei quem maxima religione placant, liberos eos patriæ, moribusq; suis restitue. Cui rex hilari vultu & ridenti respondit ilico dicens. Quanta inquit arbitraris milia nos posse dimittere. Tunc Andreas respondit, dum interfuisset, & dixit paulo quam 100. milia possunt existere. Dimissa sunt igitur 100. milia Iudæorum, iubente Ptolomeo rege ad patriam suam redire. Ergo Andream primatem custodum sui corporis & ipsum Aristeum Iudeorum amicum, rex iste Ierosolymam direxit, per quos primitias votorum ad templum domini porrexit. Idem pateras aureas 20. argenteas 50. crateras 5. mensam vero mirabiliter fabricatam, gemmis pretiosissimis insertam Deo offerendam, insuper misit talenta 100. pro immolationibus & alijs rebus necessarijs, mandans Eleazaro summo sacerdoti, vt videlicet viros prudentes dirigeret diuinam legem secum afferentes, qui diuinas scripturas ei in græcam linguam verterent. Gauisus his visis & auditis sacerdos Eleazarus, electis mox senioribus 70. legem & scripturas sacras ferentes, Ptolomeo misit. Quibus visis rex gauisus est, & Deo cœli gratias agens voluntatis suæ compleuit effectum. Zeno stoicus claret, hic docuit esse inferos, & animas immortales, & quia vnum bonum honestas est. Seleucus in Cilicia capto Demetrio Syriæ & Asiæ pariter imperauit. Vna virginum Romanorum incorruptione deprehensa percutitur: ac non multo post alia ob similem reatum laqueo vitam finiuit. Romani Calabriam Messanamque tenuerunt. Sub hoc tempore diuersæ ignium aquarumque clades pæne Romam consumpserunt. Argenteus nummus primum in vrbe

Ioseph. lib. 12. antiq. cap. 2.

Eusib. in Chron.

vrbe figuratus est. In Ierosolymis post Eleazarum, Manasses in pontificatu succedit an. 34.

Ptolomæus Euergetes annis imperat 26. Post Manassem Onias Simonis iusti filius pontifex substituitur annis 9. Hic consueta Ptolomæo tributa non reddens, ad iram eum impulit: verum Iosephus vir inter suos nobilis legatus à Iudæis ad Ptolomæum missus, cum familiaritatem regis ob plurima in eum meruisset obsequia, dux Iudęæ & regionum finitimarum constituitur. Oniæ successit Simon an. 12, sub quo Iesus filius Sirach, Sapientiæ librum composuit, in quo etiam fecit huius Simonis mentionem. Hoc tempore Galli cum Romanis pugnantes 40 milia suorum amiserunt. Sequenti vero post hæc anno rursum Gallorum 33 milia cæsa, 6 milia capta à Romanis sunt. Huic vero anno proximo, dira miseram vrbem terruere prodigia. Miseram vtique, quæ hinc fremitu hostium, inde nequitia dæmonum terrebatur.: namque in Piceno flumen sanguine effluxit, & apud Tuscos cælum ardere visum est, & apud Ariminum noctem multa luce claram effulsisse, ac 3 lunas distantibus cæli regionibus exortas apparuisse. Tunc quoque terræmotu Caria & Rhodus insulæ adeo concussæ sunt, vt ingens ille Colossus ruerit. *Ioseph. lib. 12. antiq. cap. 4.* *Oros. lib. 4. cap. 13.*

Ptolomæus philopator an. regnat 17. Ea quæ in 2 Machabęorum libro scripta sunt, sub hoc principe gesta referuntur. Onias pontifex filius Simonis habetur insignis an. 29: ad quem Lacedemoniorum rex Arrius legatos misit. Romæ virgines Vestæ, ob stupri reatum terra sunt obrutæ. Hoc tempore bellum grauissimum fuit, in quo Romani intolerabilem hostem Annibalem, cum Carthaginensibus perpessi sunt: pugnatum est primo apud Ticinum, vbi ipse Annibal grauiter vulneratus est & omnis pene romanus exercitus deletus. Deinde ad flumen Trebiam, iterumque Romani pari clade superati sunt. Post hæc Annibal cum Hetruriam primo verè transiret in summo Appennino tempestate correptus, biduo continuo immobiliter cum exercitu, niuibus conclusus & onustus obriguit, vbi magnus hominum numerus iumenta quam plurima, elephanti autem pene omnes frigoris acerbitate pectierunt. Diris tunc etiam Romani prodigijs territi sunt, nam & solis orbis minui visus, & apud Arpos parmæ in cælo visæ, Sol quoque pugnasse cum Luna: apud Capęnas inter diem & noctem duas lunas ortas, in Sardinia sanguinem duo scuta sudasse: Phaliscis cælum etiam scindi, velut magno hiatu visum est. Apud Antium metentibus cruentas spicas in corbem decidisse ferunt. Pugnatum est post hæc apud Trasimenum lacum, vbi exercitus romanus infelicissime, arte circumuentus Annibalis funditus trucidatus est. Flamminius consul occisus, 25 milia Romanorum cæsa 6 milia capta in hoc prælio referuntur. Famosum hoc bellum fuit, maxime cum ita intentus pugnantium ardor extiterit, vt grauissimum terræmotum, qui tunc forte tam vehemens factus est vt vrbes diruisse, montes transtulisse, discidisse rupes & flumina retrorsum coegisse referatur, pugnantes omnino non senserint. *Idē cap. 14.* *Idē cap. 15.*

Orof. lib. 4. cap. 16. Postea apud Cannas apuliæ vicum, omnes pene vires Romani perdiderunt, nam 44 milia interfecta sunt Romanorum. Perijt hic consul Æmilius paulus, consulares aut prætorij viri 20, Senatores capti vel occisi 30 fuere, & viri nobiles 300. pedestrium militum 40 milia, & equitum 3 milia 500. Varro consul cum 50 equitibus Venusium fugit, nec dubium est illum diem vltimum status Romani futurum fuisse, si Annibal mox post victoriam ad peruadendam vrbem contendisset. Annibal demum in testimonium victoriæ suæ, 3 modios annulorum aureorum Carthaginem misit quos ex manibus extraxerat interfectorum, tam militum, quam Senatorum Romanorum. Duo Scipiones fratres in hispania, post multa prælia contra Pœnos prospere gesta, à Pœnis occisi sunt. Sed postquam Romani multis miserijs & oppressionibus varijs sunt afflicti, arridente illis post hæc fortunæ vultu recreati sunt: *Idē cap. 18.* nam Scipio qui post dictus est Africanus annos natus 24, imperium in hispania proconsulare sortitus, vltionem præcipue patris & patrui, animo intendens, Pyrenæum transgressus, primo impetu Carthaginem nouam, Magonem Annibalis fratrem captum, cum cæteris Romam misit, certum est ad obtinendam victoriam maxime profecisse singularem Scipionis sanctitatem, quippe qui captiuos pueros, puellasque præcipuæ pulchritudinis barbaris restituerit ne in conspectum quidem suum passus adduci, ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis videretur. Leuinus consul ex Macedonia rediens Agrigentum vrbem Siciliæ expugnauit ibiq; Hannonem Afrorum ducem cepit: 40 ciuitates in deditionem accepit: 26 expugnauit. Fabius maximus consul Tarentum, quæ à Romanis desciuerat, iterum expugnauit & cepit, ibique ingentes copias Annibalis cum ipso duce eius Carthalone deleuit: 30 milia captiuorum vendidit. Post Hasdrubal Annibalis frater, à Romanis interfectus est cum 58 milibus exercitus sui, capta sunt 5 milia 400. Quatuor milia ciuium Romanorum, inter eos reperta, atq; reuocata sunt, quæ Romanis victoribus solatio fuerunt: 8 milia tantum de romano exercitu hic ceciderant. Annibali caput fratris sui Hasdrubalis ante castra proiectum est. Quo viso & simul clade Pœnorum cognita, anno 13 postquam in Italiam venit refugit in Brutios. Grauis pestilentia hoc bellum secuta est. Post hæc inter Scipionem & Annibalem pugnatū est, magnis militum viribus, & victoria Romanis datur: *Idē cap. 19.* 80 ibi elephanti capti vel occisi sunt, Carthaginensium interfecta 20 milia & 500. annibal cum 4 equitib⁹ vix elapsus fugit, ac deinde Carthaginem 30 & 6 annos post quam inde cum patre exierat venit: consultantique senatui nullam esse residuam spem, nisi in petenda pace persuasit. Caio Cornelio Lentulo, Publio Ælio Peto consulibus pax Carthaginensibus per Scipionem voluntate senatus concessa est. Scipio iam tunc cognomento Africanus triumphans vrbem ingressus est. Ptolomæus Epiphanes an. 24. regnat. Hic Scopa principe militiæ destinato, Iudæam capit, & plurimas Syriæ vrbes recepit, & Iudæ voluntate coniunctus est. Secundus liber Machabæorum huius temporis

gesta continet. Syriæ & Asiæ regnat Seleucus philopator. Hoc regnante Simon præpositus templi Ierosolymorum ad Apollonium phœniciæ ducem confugiens, multis ei muneribus repromissis sacerdotium sibi vendicare cepit: quo Seleucus audito Heliodorum mittit ad negotium peruidendum, qui cum in Iudæam venisset & inique iudicasset, multa perperam gerens, diuinis aduersum se signis deterretur & ad Seleucum reuertitur. Onias autem sacerdos curauerat vt Simon profugus fieret. Hoc tempore vulcani insula, quæ ante non fuerat in Sicilia repente ex mari edita cum miraculo omnium vsque nunc manet. Annibal se veneno interficit.

Ptolomæus philometor regnat an 35. Ad hunc cum Hyrcanus Iosephi Iudæ ducis filius perrexisset, honorifice ab eo susceptus est: verum fratres eius seditione contra eum mota, magnarum calamitatum Iudæ genti causa extiterunt. Ad hunc etiam Philometorem Aristobulus, natione Iudæus, secta peripateticus, explanationum in libros Mosis commentarios scripsit. Antiochus Epiphanes qui Seleuco philopatori successerat, cum de regione Ptolomæorum quam subito inuaserat, senatus præcepto recessisset, in Iudæam venit, ibique Iesu qui & Iason fratri Oniæ pontificatum tradidit, quo deinde expulso Oniam cognomento Menelaum successorem ei dedit. Itaque ob sacerdotij dignitatem, orta seditione inter principes, ingentium miseriarum seminapullularunt. Antiochus Eupator post Epiphanem regnat in Syria. Hic 2 anno regni sui, ad Iudæam veniens, legem Iudæorum impugnat, ac primum quidem omnem eorum prouinciam ad idolatriam compellens, eos qui parere noluerunt necat. Postea vero Ierosolymam ascendens templum & vasa quæ ministerio Dei fuerant consecrata vastat, & in templo Iouis olympij simulachrum ponit. In Samaria super verticem montis Garizin Iouis peregrini delubrum ædificat, ipsis Samaritanis vt hoc faceret precantibus, verum hoc tempore Mathathias quidam ex sacerdotibus filius Assamonæi ex vico Modin, aduersum Antiochi duces arma corripiens, fultus etiam auxilio filiorum, leges patrias vindicauit olympiade 153. Menelao pontifice Iudæorum à iuniore Antiocho occiso qui prius Iudæam Epiphani Antiocho prodiderat, Alchimus à genere sacerdotali alienus, ambitione pontificatum inuadit: ob quod Onias filius pontificis Oniæ in Ægyptum transmigrans in Heliopolitano pago ciuitatem nominis sui condidit, templo ad similitudinem templi patrij constructo. Alchinus vero aduersus Iudam Machabæum inimicitias gerens, post non multum temporis Dei ira percussus interiit, ac sic cum omnium Iudæorum fauore, Iudæ Machabæo sacerdotium decernitur, qui dignitate suscepta legatos Romam dirigit. Decreuit senatus Iudæos amicos & auxiliatores Romanorum habendos. Iudæorum dux Iudas, qui & Machabæus filius Mathathiæ Antiochi duces de Iudæa expellens, & templum ab idolorum imaginibus emundans, patrias leges post triennium suis ciuibus reddidit olympiade 154. hic 3 an. sacerdotio insigniter administrato, defensa

Euseb. in Chron.

Ioseph. lib. 12. antiq. cap. 8.

1. Machab. cap. 8.

patria, innumeris victoriis de hostibus acquisitis, dum aduersus Demetrii duces, qui Eupatori successerat, prælium iniret, occiditur & cum planctu magno in Modin à fratribus sepelitur. Post Iudam Ionathas frater eius pontificatum suscipit, quem an. 19. strenue administrauit. Hic primum Bacchidem Demetrii ducem de Iudæa expellit, inimicos propulsat, tutatur patriam destructa restaurat. Alexander filius Antiochi, qui Epiphanes dictus est Syriæ & Asiæ imperans Ionatham corona & multis insignibus donis prosequitur. Samaritani & Iudæi Alexandriæ Ptolomæo iudicante, contendunt de honoribus ex vtraque parte templo suo defendis, & superant Iudæi.

Euseb. in Chron.

Ptolomæus Euergetes an. 29. regnat. Ionathas dux Iudæorum pariter & pontifex cum Romanis & Spartiatis amicitias facit. Carthago à Romanis diruitur, omni murali lapide in puluerem comminuto: 700 anno postquam condita est, ferturque 10 & 7 diebus arsisse continuis. Hoc etiam anno Corinthus euertitur, toto tunc orbe longe omnium opulentissima, quæ velut officina omnium artificum atque artificiorum & emporium commune Asiæ & Europæ per multa retro secula fuit. Sane cum propter multitudinem, & varietatem statuarum simulachrorumq; in illo ciuitatis incendio, permixta in vnum auri argenti, atque æris omnia simul metalla fluxissent, nouum genus metalli factum est: inde vsque in hodiernum diem, siue ipsum, siue ex ipso, siue ex imitatione eius æs Corinthium & Corinthia vasa dicuntur. Romæ puer ex ancilla natus est quadrupes, quadrimanus, oculis 4. auribus totidem natura virili duplex. In Sicilia mons Aetna vastos ignes eructauit & fudit, qui torrentum modo per prona præcipites proxima quæque corripientibus exussere flammis, longinquiora autem fauillis calidis cum vapore graui late volantibus torruerunt. In bononiensi agro, fruges in arboribus natæ sunt. Tripho Ionatham pontificem Iudæorum interficit, & in sacerdotium frater Ionathæ Simon assumitur, qui 8 annis populo præfuit, ac post 170 annos patriæ libertatem restituit. Huic romani & Spartiatæ legatione eius libenter excepta, amicalia misere scripta, veruntamen cum eius tempore cuncta Iudæis fœliciter cessissent, 7 sacerdotij eius anno, Antiochus rex Syriæ cognomento Sedetes aduersus Iudæam arma corripuit & Ierosolymam valle circumdedit: sed cum ad deditionem Simonem copulisset recessit olympiade 162. Porro sequenti anno Simon à genero suo dolose occiditur, ac post eum Ioannes filius eius sacerdotium ac ducatum populi tenuit, quo per an. 26. multis prospere gestis enituit. In Sicilia bellum seruile ortum est, in quo 7 milia seruorum in arma conspirantium fuisse referuntur, sed post modum obsidione conclusi ad sua inuicem cadauera deuoranda compulsi sunt Mons Aetna vasto tremore concussus exundauit igneis globis, rursusque alia die Lipara insula & vicinum circa eam mare, in tantum efferbuit, vt adustas quoque rupes dissoluerit, tabulata nauium liquefactis ceris extorruerit, exanimatos pisces excoxerit, homines quoque reciprocato anhelitu calidi aëris,

Orof. lib. 5. cap. 3.

Idem cap. 6

Euseb. in Chron.

1. Machab. cap. 14.

Orof. cap. 10. lib. 5.

adustis introrsum vitalibus suffocarit. Hoc etiam tempore per Africam immensæ locustarum multitudines coaluerunt, & non solum cunctas fruges herbasque & folia arborum consumpserunt, verumetiam arida ligna & amaros cortices perroserunt. Postea vero repentino vento arreptæ, Africano pelago sunt immersæ, harum immensi aceruí cum per littora a fluctibus fuissent propulsi tetrum nimis ac pestiferum odorem exhalarunt, inde omnium pariter animantium tanta pestilentia consecuta est, vt auium, pecudum ac bestiarum putrefacta passim cadauera vitium corruptionis augerent. Tanta extitit hominum lues vt tunc in Numidia hominum 80 milia, & circa Carthaginense atque Vticense litus plusquam 200 milia deperirent. Apud Vticam quoque ciuitatem 30 milia militum, quæ ad præsidium totius Africæ ordinata fuerant, ex eadem pestilentia extincta sunt: quæ clades tam repentina extitit, vt tunc sub vna die per portam vnam Vticæ plusquam 1500. mortui efferrentur. Iuxta Æoli insulas, igne ex flatu suscitato apparuit insula quæ nunc Hiera vocatur. Aruernis nobilissima Galliarum capta & rex Vetuitus. *Oros. lib. 5. cap. 11.*

Ptolomæus Phiscon annis regnat 17. Ioannes filius Simonis princeps Iudæorum ac pontifex, aduersus Hyrcanos fœliciter congressus, ob insigne victoriæ agnominatur Hyrcanus. Hic Samariam, quæ nostro tempore Sebaste vocatur, obsidione captam solo coæquauit, quam suo tempore Herodes instaurans, Sebastem in honorem Augusti voluit appellari. Hyrcanus ab Antiocho in Ierosolymis obsessus, sepulchrum Dauid qui regum ditissimus fuerat patefecit, & inde plusquam 3 milia talentorum extraxit: ex quibus 300 talentis Antiocho datis, eum ab obsidione remouit, atque vt facti inuidiam demeret, ex hac pecunia fertur primus instituisse xenedochia, quibus pauperes peregrinos aduenientes susciperet, vir denique iste fortunatissime vixit, ac pro gente sua plurimum laborauit, gentes prostrauit, bella vicit, & per 26 annos optime rebus administratis, & 5 relictis filijs mortuus est vir plane beatissimus quique nullam dedit occasionem, cur eius causa de fortuna quisquam quæreretur. Propheta etiam fuit, cum quo Deus ita colloquebatur, vt futurorum præscius præcipuus comprobatus sit ex hoc quod duobus filijs suis prædixit quod rerum domini permansuri non essent. Patre itaque mortuo natu maior Aristobulus, diadema regium sibi primus imposuit, post 481 an: ex quo fuerat populus Israeliticus à Babylonica captiuitate regressus. Hic crudelitate & inuidia ductus, matrem suam necauit, & Antigonum fratrem proprium trucidauit. His gestis 1 principatus sui anno, ipse crudelissimo viscerum dolore tortus, qui cæteros etiam fratres suos vinculis tradiderat miserabiliter moritur. Quo defuncto solutus à carcere Alexander frater eiusdem, ei successit annis 26. Iugurtha contra Romanos dimicans capitur. Cicero Arpini nascitur ex matre Heluia, patre equestris ordinis ex regio Volscorum genere. Hoc tempore iubente senatu Carthago iterum reædificatur anno 22 postquam fuerat euersa. Romanis

Euseb. in Chron. *Ioseph. lib. 1. de bell. Iud. cap. 2.* *Idem lib. 13. antiq. cap. 18.* *Idē cap. 19.* *Euseb. in Chron.*

Oros. lib. 5. cap. 12. quoque ciuibus illuc deductis cum familijs repleta atque restituta est. Romæ seditio orta est, vbi amplius quam 3 milia hominum necata sunt. His diebus Baleares insulæ subijciuntur Romanis per Metellum.
Idē cap. 13. Romani Allobrogum i. Burgundionum 20 milia perimunt 3. milia capiunt. Aetna vltra solitum exarsit, & torrentibus igneis superfusis Catanam vrbem miseram reddidit: quare 10. annorum vectigalia illi remissa sunt. Hoc tempore Fabius consul cum Bituito rege Aruer-
Idē cap. 14. norum congreditur iuxta Rhodanum fluuium, vbi ex Gallis fere 100 milia vel cæsa vel mersa sunt.

Expulso de regno Phiscone Ptolomæo per matrem Cleopatram, & in Cyprum secedente, Ptolomæus qui & Alexander succedit, regnans an. 9. Hoc tempore Romanos multiplices perturbauerunt calamitates, licet iam dominatum gentium obtinerent: prodigia retro inaudita perterruere mortales, nam sub ortu Solis globus ignis, à re-
Idē cap. 18. gione Septentrionis cum maximo cœli fragore emicuit. Apud Aretinos cum panes per conuiuia frangerentur, cruor è medijs panibus, quasi è vulneribus corporum fluxit. Præterea per 7. continuos dies, grando lapidum immixtis etiam testarum fragmentis terram latissime verberauit. In Samnitibus vasto hiatu terræ flamma prorupit, & vsque in cœlum visa est extendi. Præterea globus coloris aurei è cœlo visus est ad terram deuolui maioremque factum, rursus à terra in sublime ad orientem ferri, ac magnitudine sua ipsum solem obtexisse. Non multo post omnium generum animalia quæ manus hominum blande perpeti, atque inter homines viuere solita erant, relictis stabulis pascuisq; cum balatu, hinnitu, mugituque miserabili, ad syluas montesq; fugerunt: canes quoque quorum natura est extra homines esse non posse lachrymosis vlulatibus vagi, luporum ritu oberrarunt. Thracia romanis subijcitur Syria in romanam ditionem cedit.

Ptolomæus Phiscon qui à matre fuerat eiectus, regressus de fuga regnum obtinet an. 8. nam Alexandrum qui ante eum fuerat, ob interfectionem matris ciues pepulerant. Plotius gallus primus Romæ lati-
Euseb. in Chron. nam rethoricam docuit, de quo Cicero sic refert. Memoria teneo pueris nobis, primum latine docere cœpisse Plotium quendam. Alexander Ioannis filius rex pariter & pontifex Iudæorum tunc erat, hic vnum fratrum suorum occidit, alterum rebus nudauit & secum retinuit, hic insuper crebris cum propria gente prælijs gestis superior factus, non minus 50 milia Iudæorum per 6 annos interfecit

Ptolomæus Dionysius regnat annis 30. Sylla Romam obtinet, & post triennium moritur. Lucullus primus imperator appellatus est victa Armenia. Mesopotamia & Nisibis cum fratre regis capta. Mortuo Alexandro, vxor eius Alexandra regnum suscipit an. 9. ex cuius ætate rerum confusio, & variæ clades Iudæos oppresserunt. Peridem tempus hæresis pharisæorum exorta est, plurimumque inualuit, eo quod prædicta Alexandra dum regnaret, eorum consilijs in omnibus vteretur. Pompeius vniuersam Iberiam subiugat. Lucullus de Bessis triumphat

Salustius scriptor historicus clarus habetur. Aristobulus & Hyrcanus filij Alexandri contra se de imperio dimicantes, occasionem præbuere Romanis, vt Iudæam inuaderent. Itaque Pompeius Ierosolymam veniens capta vrbe, reserato templo, vsque ad sancta sanctorum accedit: Aristobulum victum secum adducit, pontificatum confirmat Hyrcano, deinde Antipatrum Herodis Ascalonitæ filium præficit Palæstinæ. Ea quæ de Catilina, Cethego, Lentulo, & consule Cicerone Salustius scribit & Liuius, hoc gesta sunt tempore. Virgilius Mantua oriundus, Cremonæ studijs eruditur. Cesar rhenum transiens germanos vastat. *Euseb. in Chron.* *Oros. cap. 6. lib 6.*

Cleopatra an. 22. in Ægypto regnat, his diebus incertum vnde concretus ignis plurimam vrbis partem inuasit, ita vt 14 vicos eius funditus deuastaret. Hic iam belli ciuilis principium inter Cæsarem & Pompeium: Cæsar namque cum de Germanis triumphasset ac Gallis, in Britanniam quoque quæ nunc Anglia nuncupatur transuectus, Trinobantum quæ & Londinium pluresque vrbes alias in deditionem accepisset, alias expugnasset, decerni sibi absenti alterum consulatum poposcit. Contradictum est à Marcello consule, annitente Pompeio: deinde decretum est à senatu vt in vrbem non nisi dimisso veniret exercitu, quod Cæsar grauiter ferens Romam hostiliter inuadit. Pompeius, omnisque senatus transuehuntur in Græciam, Cæsar insequitur: tandem contractis vndique copijs in Thessalia conuenitur, vtrimque acies instruuntur, bellumque illud de quo Lucanus scribit, plusquam ciuile committitur. Pompeius victus in Ægyptum transfugit, ibi statim iussu Ptolomæi adolescentis, in gratiam Cæsaris victoris occiditur. Cæsar Alexandriam venit, cui Achillas dux regius mox bellum opponit: In quo quidem bello tunc regia classis incensa est, cuius incendium cum plurimam vrbis partem inuasisset maximam exussit bibliothecam 400 librorum milia continentem. Ptolomæus Alexandrinis petentibus à Cæsare redditur, qui tamen ilico vt liber fuit, Cæsarem bello impetit, sed mox cum omni exercitu suo & ipse perit, Cæsar victor Alexandrinos subiugat & Cleopatram in regno confirmat. Inde Syriam peruagatus Pharnacem in Ponto vicit, Postea vero quam Romam venit in Africam transijt & omnes Pompeij satellites superauit, in vrbem denique receptus rerum & potestatum monarchiam solus in toto mundo & primus obtinuit, vnde canitur. *Idē cap 14. lib. 6.* *Idē cap. 15.* *Idē cap. 16.*

Omnia Cæsar erat priuatæ curia Vocis. *Lucanus lib. 3. versu 108.*

Romanorum primus Caius Iulius Cæsar, à quo deinceps romanorum principes dicti sunt Cæsares, imperat an. 5. Cassius Iudæa capta templum spoliat. Antonius decreuit quintilem mensem Iulium debere dici, quia in eo natus fuisset Iulius. Hic siquidem Iulius adeo benignus extitit, vt quos armis vincebat, clementia superaret adeo ingenio efficax vt eo nullus celerius scripserit, velocius legerit, vberius dictauerit. Sed dum reip. contra maiorum consuetudinem statum clementius instauraret, Bruto & Cassio auctoribus in curia 23 vulneribus confossus interijt. Corpus eius in foro fragmentis subselliorum crematum à *Oros. lib 6. cap. 17.*

populo, cineresque eius super columnam elati, quæ Iulia nominatur, Romæ; simul exorti soles, paulatim in eundem orbem coierunt. Inter cætera portenta quæ facta sunt toto orbe, bos in suburbano Romæ ad arantem loquutus est. Quid me vrges & agitas? prius deficient homines quam frumenta.

Romanorum secundus Octauianus Cæsar Augustus, Iulij Cæsaris nepos imperat an. 56. hic patre Octauio senatore genitus maternum genus ab Ænea per Iuliam familiam sortitus, adoptione vero Caij Cæsaris auunculi sui, Caius Cæsar dictus: deinde ob victoriam Augustus agnominatus est. Hic cum ludos spectaret, pronunciatumque esset à mimo O dominum æquum & bonum: & vniuersi quasi de ipso dictum exultantes comprobassent: statim manu vultuq; indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissime corripuit edicto, dominumq; se post hac appellari nec à liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio, vel ioco permisit. Adeo denique turbas, bella, simultates execratus est, vt nisi iustis de causis genti cuiquam vnquam bellum indixerit, iacentisque & leuissimi esse ingenij dicebat, ardorem triumphandi, neq; imperatori bono quicquam minus quam temeritatem congruere, armaq; nisi maioris emolumenti spe nequaquam mouenda esse, ne compendio tenui iactura graui petita victoria, similis sit hamo aureo piscantibus, cuius abrupti amissique detrimentum nullo capturæ lucro pensari potest. Cicero ab Herennio & Pompilio occiditur. Falcidius tribunus plebis legem tulit ne quis plus testamento legaret: quam vt 4. pars hæredibus superesset. Curtius Thalassus in insula Arda cum 4 cohortibus viuus combustus est, quod tributa grauius exigeret. E taberna meritoria trans Tiberim oleum terra erupit, fluxitque tota die sine intermissione significans Christi gratiam in gentibus effundendam. Antonius aduersus Augustum bellum mouet & vincitur, sed interueniente senatu, Augustus in amicitiam cum eo regreditur. Antigonus contra Iudæos dimicans, tandem occiditur, à quo vsque in præsens tempus Ierosolymorum regnum destructum. Siquidem Herodes post eum à Romanis constitutus est, princeps alienigena & nihil omnino pertinens ad Iudæam: cuius tempore Christi natiuitate vicina, regnum & sacerdotium Iudeæ quod prius per successiones maiorum tenebatur, destructum est, completa prophetia quæ ita per Moysem loquitur: Non deficiet princeps ex Iuda neque dux de femoribus eius donec veniat cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium. In hoc etiam loco Christus quem Danielis scriptura significat, accepit finem. Nam vsque ad Herodem Christi 1. sacerdotes erant reges Iudæorum qui imperare cæperunt ab Olympiade 65. & ab instauratione templi sub Dario vsque ad Hyrcanum & 186 Olympiadem an. 480. tribus in medio transactis quos Daniel quoque significat dicens: Et scies & intelliges ab initio sermonis restaurandi & reædificandi Ierusalem vsq; ad Christi principatum hebdomades 7. & hebdomades 62. quæ hebdomades 69. faciunt annos 483. in quibus Christi 1. sacerdotes per vnctionem consecrati

Sueton. in Augusto cap. 53. & Oros. cap. 22. lib. 6.

Euseb. in Chron.

Oros. cap. 18. & 20. lib. 6.

Dan. cap. 9.

consecrati regnauerunt vsque ad Hyrcanum quo extremo omnium à Parthis capto, Herodes Antipatri Ascalonitæ & matris Cipredes Arabicæ filius, Iudæam nihil ad se pertinentem ab Augusto & senatu accepit, filijq; eius post eum regnauerunt vsque ad nouissimam Ierosolymorum captiuitatem, nequaquam ex successione sacerdotalis generis pontificibus constitutis, neq; perpetuitate vitæ secundum legem Mosis seruientibus Deo. Ignobiles vero quidam & alio tempore alij & nonnulli, vnius anni siue modico amplius à romanis imperatoribus sacerdotium emebant: quæ omnia etiam Propheta Daniel vaticinatur ita dicens. Et post hebdomades 7. & 62 interibit crisma & iudicium non erit in eo, & templum sanctum corrumpet populus duce veniente, & cædentur in cataclismo belli & in sequentibus: Et super templum, inquit, abominatio desolationum et vsque ad consummationem temporum, consummatio dabitur super desolationem. Herodes Ananelum quendam de Babylonia accitum, pontificem Iudęorum constituit, et post exiguum temporis Aristobulum fratrem vxoris suę nepotem Hyrcani successorem ei dedit: quo post annum interfecto, rursus Ananelo reddidit sacerdotium. Hic itaq; Herodes vt dictum est, deficiente pontificum principatu sub Romanis regnat an. 37. Lunæ secundum romanos cursus inuentus est. Inter Augustum & Antonium rursus exoritur ciuilis dissentio. Sciendum sane ita inter eos romanam remp. antea fuisse diuisam, vt Octauianus in occidente Italiam, Galliam, & Hispaniam. Antonius vero in Oriente Asiam, Pontum & Africam possideret, erat enim Antonius Octauiano affinitate coniunctus: sed cum lasciuus esset sororem Octauiani vxorem suam repudiauit, & reginæ Ægypti Cleopatræ se coniunxit, hinc ergo extitit dissentionis exordium. Cæsar igitur contra Antonium in Asiam progreditur, ac prius pedestri, post nauali apud Actium prælio decertatur, vbique Cæsari cedit victoria. Antonius & Cleopatra victi fugiunt, ac semetipsos præ dolore interimunt. Destructo Ægypti regno, Ægyptus fit romana prouincia. Vsq; ad Cleopatram qui Lagidæ vel Ptolomæi vocabantur, in Ægypto regnauerunt an. 295. Quidam ab hoc loco primum annum monarchiæ Augusti supputant. Porro Octauianus victor Alexandriam petit, & omnes opes eius diripit, Romamque transuehit, ac tantam rerum omnium ministrat copiam, & in tantum auget remp. vt quod prius 4 denarijs vendebatur, pro vno daretur: & hæc causa extitit quare vocaretur Augustus, à quo sextilis mensis, Augusti nomen accepit, à quo & Augusti dicti sunt qui ei in imperio successerunt. Hic quidem omnibus qui eum præcesserant in bellis fœlicior, in pace moderatior fuit. Adolescentiam suam optimis studijs educauit, liberalibus studijs præsertim eloquentiæ in tantum incumbens vt nullus ne in procinctu quidem laberetur dies, quin legeret, scriberet, declamaret. Rarus ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus, erga ciues clementissimus extitit, erat enim mitis in moribus, gratus in verbis, ciuilis animi & lepidi, toto corpore pulcher, sed oculis magis, cibique ac vini

Euseb. in Chron.

Idē ibidem

multum abstinens, sed libidini seruiens, ciusque tamen vitij in alijs seuissimus vindicator: abiecta quippe vxore propria nomine Scribonia, amore alienæ coniugis possessus, Liuiam sibi quasi concedente marito coniunxit, cui Liuiæ nati fuerant de priore viro filij 2 Tiberius

Sueton. in August. c. 28. & Drusus. Porro Augustus Nicopolim iuxta Actium condidit & Romæ plurimas leges statuit, ipsamq; multimodis ædificijs insigniuit, isto glorians dicto, vrbem repperi lateritiam, relinquo marmoream. Horatius Flacus Satyricus claret. Thebæ Ægypti vsque ad solum dirutæ. Indi ab Augusto per legatos amicitiam postulant. Augustus Calabriam & Gallos vectigales facit. Numatius Plancus Ciceronis discipulus orator habetur insignis, qui cum Galliam comatam regeret, Lugdunum condidit, Lollius Galatiam, romanam facit prouinciam. Tiberius ab Augusto missus occupat Armeniam Herodes apud Ierosolymam multas & magnas ædes construit. Virgilius Brundusij moritur, ossa eius Neapolim translata in 2 ab vrbe miliario sepeliuntur, titulo huiusmodi suprascripto.

Append. Virg.

Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc
Partenope: cecini pascua, rura, duces.

Partenope autem dicitur à quadam virgine illic sepulta: ipsa est quæ nunc Neapolis appellatur. In Cypro plurimarum ciuitatum partes terræmotu conciderunt. Varrus & Tucca Virgilij & Horatij contubernales, poetæ habentur illustres, qui Æneidon postea libros emendauerunt sub ea lege vt nihil adderent. Herodes samariam, olim iam in cineribus sedentem, à fundamentis suscitans in honorem Augusti Augustam, Sebastem appellauit. Cæsaream quoq; condidit quę prius turris Stratonis dicta est, & innumerabilia opera in singulis Syriarum vrbib⁹, quas regebat, extruxit. Hyrcanum qui olim sacerdos iudæorum fuit de Parthica captiuitate regressum & filiú eius qui sacerdotio patris successerat, sororem quoq; eius vxorem suam cum duobus proprijs filijs & matrem vxoris socrum suam, nec non et virum sororis suæ Salóme interfecit: scribas quoque & interpretes diuinæ legis occidit. In insula Chio terræmotu plurima conciderunt. Augustus filiam suam in adulterio deprehensam damnat exilio. Porcius latro latinus declamator tædio duplicis quartanæ semetipsum interficit. Cyrinus ex consilio senatus ad Iudæam missus, census hominum possessionumq; describit.

Explicit 5 ætas continens an. 585.

1.	*Iesus Christus filius*	*Christus in*	9.	
2.	*Dei in Bethleem*	*Ægyptum*	10.	
3.	*Iuda nascitur.*	*fugit.*	11.	
4.			12.	*Christus in templo*
.			13.	*sedet.*
6.			14.	
7.	*Christus ex Ægy-*		15.	
8.	*pto redit.*		16.	

17.			33.		
18.			34.	*Christus crucifi-*	
19.			35.	*gitur.*	
20.			36.		
21.			37.		
22.			38.		
23.			39.	*Petrus Apostolus*	
24.			40.	*Episcopus fit apud*	
25.			41.	*Anthiochiam.*	*Caius an. 3.*
26.		*Tiberius im-*	42.	*an. 7.*	*mensibus 10.*
27.		*perat. an. 23.*	43.		*& diebus 8.*
28.			44.		*Claudius an.*
29.			45.		*14. & mens.*
30.	*Christus baptiza-*				*7. diebus 28.*
31.	*tur.*		46.	*Petrus Apostolus sedet Romæ,*	
32.			47.	*an. 25. mens. 7. dieb. 8.*	

SEXTA ÆTAS.

ANno ab orbe condito secundum hebraicam veritatem 3954. secundum 70 interpretes 5199. olympiadis 194, primo: imperij vero Cæsaris Augusti 42. & Herodis regis Iudæorum 31, sexta mundi ætate secundum ordinatissimam diuinæ prouidentiæ dispensationem 24 die 10 mensis quod est 8. Cal. Ianuarij nocturnis temporibus, dum medium silentium tenerent omnia & nox in suo cursu medium iter perageret, concinentibus angelis, prophetarum oraculis Iesus Christus filius Dei in Bethleem Iudæ nascitur: Deus occultus, homo manifestus: Deus Deo patre, homo de virgine matre. Natus est autem cum per vniuersum mundum iuxta prophetarum oracula, per suam sapientissimam dispositionem firmissima pax vigeret, vnde in eius ortu angeli cecinerunt. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Sed & cœlo sydus cæteris clarius lucens apparuit, quod 3 ab oriente magos ad regem nouiter natum adorandum, nutu sui radij Ierosolymam perduxit, quorum aduentu permotus Herodes & reditu, sicut euangelium refert a spe suæ fraudis excidens, iussit in Bethleem & omnibus finibus eius, a bimatu & infra cunctos infantulos trucidari, ratus quod inter coætaneos Christum quoque comprehendere posset: sed præuenit regis insidias puer a parentibus in Ægyptum abductus angelo præmonente. His diebus Iudas Galilæus ad rebellandum Iudæos cohortatur. Augustus Tiberium & Agrippam adoptat in filios. Herodes morbo intercutis aquæ & scatentibus toto corpore vermibus miserabiliter, sed digne moritur anno 6 incarnationis dominicæ,

Euseb. in Chron.

in cuius loco filius Archelaus ab Augusto substituitur,& regno in tetrarchias diuiso, Herodes Galilæam, Lysias Abilenam, Philippus Ituræam & Thraconitidem sortitus est regionem. Tiberius Cæsar Dalmathas, Sarmatasque in romanam redegit potestatem. Augustus cum Tiberio filio suo censum Romæ agitans, inuenit hominum nonagies ter centena & 70 milia. Socio philosophus Alexandrinus præceptor Senecæ clarus habetur. Archelaus 9. anno regni sui ob insolentiam à Iudæis apud Augustum accusatus, in Viennam vrbem Galliæ relegatur, & augustus 76. ætatis suæ anno Atellæ in Campania moritur, sepeliturque Romæ in campo martio. Ipso anno facta solis defectio. Tiberius post Augustum monarchiam obtinet an 23. Hic tantæ in habendo modestiæ, atque in respondendo elegantiæ fuit, vt cum sibi suaderetur tributa prouincijs augenda esse, dixerit boni esse pastoris tondere pecus, non deglubere. Ouidius poeta in exilio perit, & iuxta oppidum Thomos sepelitur. Tredecim vrbes terræ motu corruerunt, Ephesus Magnesia, Sardis, Mosthene, Megachiero, Cæsarea, Philadelfia, Himolus, Themis, Cyme, Mirina, Apollonia, Diahyrcania. Tiberius multos reges ad se per blanditias euocatos nunquam remisit, in quibus & Archelaum capadocem cuius regno in prouinciam verso, Mazacam nobiliss. ciuitatem Cæsaream appellari iussit. Philippus tetrarcha Paneadem in qua plurimas ædes construxerat, Cæsaream Philippi vocauit, & Iuliadem ciuitatem aliam. Tiberius Drusum consortem regni facit qui postea veneno perit. Pilatus procurator Iudeæ à Tiberio mittitur. Herodes Tiberiadem condidit.

Suetan. in August. cap. 32.

Eufeb. in Chron.

Anno imperij Tiberij 15. Ioannes filius Zachariæ in deserto iuxta Iordanem fluuium prædicans Iudæis Christum filium Dei, in medio eorum adesse testatur, ad quem dominus Iesus venit, & ab ipso in Iordanis flumine baptizatus, voce super eum cœlitus lapsa, & spiritu sancto in columbæ speci[e] præsentato, omnipotentis Dei filius pronunciatur, atque vnus solus & verus in toto mundo summus pontifex consecratur, cum esset annorum 29, atque tricesimum iam ingressus ex aliquantula parte fuisset, 8 videlicet Id. Ianuarij, quo die etiam à magis ab oriente venientibus dicitur adoratus. Non multo post, initium suæ prædicationis exordiens 12 ex omnibus discipulos assumpsit, quos præ cæteris specialiter apostolos nominauit: Aliosquoque 72 post hos elegit, quos binos ante se ad vrbes præmittebat, ad quas ipse post accessurus erat. Quarto denique anno prædicationis ex parte ingresso, Ioanne iam misso in carcerem cum regnum Dei annunciasset signis atq; virtutibus, vera comprobans esse quæ diceret ad passionem venit secundum prophetias, quæ de eo fuerant prælocutæ, anno ætatis suæ 34. iam ex parte exacto, imperij vero Tiberij 18 de quo tempore, etiam in alijs ethnicorum commentarijs hæc ad verbum scripta reperimus. Solis facta defectio. Bithynia terræ motu concussa, & in vrbe Nicæna ædes plurimæ corruerunt, quæ omnia his congruunt quæ in passione Saluatoris acciderunt. Scripsit super his Phlegon olympiadum egregius supputator

Idē ibidem

in 13. lib. ita dicens. Quarto autem anno 202 olympiadis magna & excellens inter omnes quæ ante eam acciderant defectio solis facta dici hora 6, ita vt in tenebrosam noctem versus sit, & stellæ in cœlo visæ sint, terræque motus in Bithynia Nicænæ vrbis multas ædes subuerterit, hæc supradictus vir. Argumentum autem huius rei quod saluator isto anno passus sit euangelium præbet Ioannis, in quo scribitur post 15 annum Tiberij Cæsaris 3 annis dominum prædicasse. Iosephus autem vernaculus Iudæorum scriptor, circa hæc tempora die pentecostes, sacerdotes primum commotiones locorum, & quosdam sonitus sensisse testatur: deinde ex adyto templi repentinam subito erupisse vocem dicentium: Transmigremus ex his sedibus, scribit autem supradictus quod eodem anno Pilatus præses secreto noctis imaginem Cæsaris in templo statuerit, & hæc seditionis & turbarum Iudæis causa extiterit. Ex hoc loco considerandum quantæ deinceps calamitates Iudæorum gentem oppresserint. Quia vero de Iosepho mentionem fecimus, hic eius testimonium de Christo ponamus. Fuit inquit, ijsdem temporibus Iesus sapiens vir, si tamen virum eum nominari fas est: erat enim mirabilium operum effector, doctorque hominum eorum qui libenter quæ vera sunt, audiunt: & multos quidem Iudæorum, multos etiam ex gentibus sibi adiunxit, Christus hic erat, hunc accusatione primorum nostræ gentis virorum cum Pilatus in crucem agendum esse decreuisset, non deseruerunt ij qui ab initio eum dilexerant, apparuit enim eis 3 diē iterum viuus, secundum quod diuinitus inspirati prophetæ vel hæc, vel alia de eo innumera miracula futura esse prędixerant: Sed

Ioseph. de bello Iud. lib. 7. cap. 12. & lib. 2 cap. 8.

Idem antiq cap. 4. lib. 18.

48.		65.		
49.		66.		
50.		67.		
51.		68.		
52.		69.		
53.		70.		*Galba mens. 7.*
54.		71.	*Linus sedet an.*	*Vespasianus an.*
55.		72.	*11. mensib. 3.*	*9. mens. 11. die.*
56.		73.	*dieb. 13.*	*22.*
57.	*Nero an. 13.*	74.		
58.	*mens. 7. die. 28.*	75.		
59.		76.		
60.		77.		
61.		78.		
62.		79.		
63.		80.		
64.				

& in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseuerat & genus, Hæc de Christo Iosephus. Interea Apo-

ſtoli poſt domini aſcenſionem & S. Spiritus miſſionem, Mathiam in loco Iudæ ſubſtituunt, & Iacobum ordinant Ieroſolymorum epiſcopum, qui ſpecialiter dictus eſt frater domini ob priuilegium ſanctitatis & fidei. Pilatus poſt ſupradictam ſeditionem, quæ ob Cæſaris imagines fuerat concitata, ſacrum theſaurum, quem Corban Iudæi vocant, in aquæductum Ieroſolymorum expendens, ſecundæ ſeditionis præbuit ſemina. Seianus præfectus Tiberij qui apud eum plurimum poterat, inſtantiſſime Tiberium cohortatur, vt gentem Iudæorum deleat, ſicut Philo meminit in libro legationis 2. Iſte eſt Philo natione Iudæus, ſcriptor inſigniſſimus, qui in omni ſapientia tam diuina quam philoſophica primus inter primos eminuit: quem etiam ferunt Romam veniſſe ſub Claudio, & Petrum apoſtolum vidiſſe, eiuſque colloquijs adhæſiſſe. Pilato de Chriſtianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad ſenatum vt inter cætera ſacra reciperetur, quæ omnia ſpreuit ſenatus, pro eo quod non ſibi prius manifeſtatus fuiſſet huius rei euentus, ſed ſententiam maiorum vulgi ſententia præueniſſet: lex enim erat antiquitus deſignata, ne quis apud Romanos haberetur Deus, niſi ſenatus decreto & ſententia confirmatus. Verum cum ex conſulto patrum Chriſtianos eliminari vrbe placuiſſet, Tiberius per Edictum accuſatoribus Chriſtianorum mortem minatus eſt, multoſque poſtea ſenatorum & equitum interfecit. Sub hoc tempore Petrus apoſtolus Antiochenam ſuſceptam rexit eccleſiam annis 7. Agrippa nepos Herodis tetrarchæ Herodiadis frater apud Tiberium accuſatus, conijci iubetur in vincula. Tiberius in campania moritur.

Ioſeph. de bello Iud. cap. 8. lib. 2.

Euſeb. Hiſt Eccl. cap. 2. lib. 2.

Idem in Chron.

Caius Cæſar, cognomento Caligula, imperat an. 4. hic mox vt regnare cæpit Agrippam liberat & in regem Iudeæ ſublimat. Iſte eſt Agrippa cognomento Herodes, qui Iacobum apoſtolum fratrem Ioannis occidit. Flaccus Auilius præfectus Ægypti multis Iudæos calamitatibus premit, conſentiente Alexandriæ populo, & crebris aduerſus eos clamoribus perſonante. Synagogas quoq; eorum imaginibus, aris, ſtatuis, & victimis polluit. Refert Philo hæc omnia ſe præſente geſta, ob quæ etiam legationem ad Caium Cæſarem ipſe ſuſcepit. Caius Petronio præfecto Syriæ præcepit vt in Ieroſolymis ſtatuam ſuam ſub nomine Iouis opt. max. poneret, totoque tunc orbe terrarum, ſicut Philo ſcribit & Ioſephus preterquam in Synagogis Iudæorum erant ſtatuæ & imagines & aræ Cæſari conſecratæ. Pontius Pilatus ob plurimas in eum accuſationes, exulans apud Lugdunum vnde oriundus erat, ibiq; in multas incidens calamitates propria ſe manu interemit. Herodes qui Ioannem Baptiſtam occiderat, ſub quo & paſſus eſt dominus, Viennæ truditur exilio cum herodiade vxore ſua, vbi & miſerabiliter mortui ſunt, cuius tetrarchia ceſſit Agrippæ, cui iam Philippi & Lyſaniæ ceſſerant tetrarchiæ. Caius omnes exules iuſſit occidi, nec multo poſt ipſe à protectoribus ſuis occiditur.

Euſeb. in Chron.

Claudius in regno ſuccedit an. 14. Iſte eſt Claudius patruus Druſi, qui apud Moguntiacum monumentum habet. Huius anno 2 Petrus

apostolus cum primus Antiochenam fundasset ecclesiam, vbi primus Christiani nominati sunt Romam mittitur, ibique euangelium prædicans 25 annis, eiusdem vrbis episcopus perseuerat, nec multo post, Marcum interpretem suum ad Ægyptum destinat portantem euangelium, quod ex ore Petri colligens ipse conscripserat, ibique verbum dei copiose seminans, multos ad fidem aggregat, & Alexandrinam ecclesiam primus fundat. Agrippa rex Iudęorum anno regni sui 7 ab angelo percussus interijt, in cuius loco filium eius Agrippam, Claudius substituit. Fames totum orbem occupat, quam in actibus apostolorum Agabus propherarat. Claudius imperaror de Britannis triumphauit & Orcades insulas romano adiecit imperio. Inter Therasiam & Theram exorta est insula habens stadia 32. Hoc tempore B Petrus apostolus dum Romę verbum Dei instanter prędicat, audiens gentes gallicas adhuc idolatrię errore delusas, plures ex discipulis, quos saluator elegerat, plures etiam ex suis quos ipse sibi asciuerat, ad prędicandum delegat, inter quos beati Sauinianus, Potentianus, atque Altinus de illorum 70 numero, qui à Domino designati fuerant, ex Domini Petriq; imperio transalpinant. Senones expetunt, Gallię vrbem præ cæteris tunc insignem, tam affluentia opum, quam confluentia populorum, quo venienres hospitantur in vico, vne fere miliario ab vrbe remoto, vbi hospitem suum, nomine Victorinum opibus affluentem cum omni domo sua fidei imbuunt sacramentis; futurum postea socium passionis: alios quoque S. Sauinianus dum verbum vitę prędicat ad fidem conuertit, & professione christianitatis intitulat, Serotinum scilicet generositate splendidum; & Eodaldum, virum disertitudine linguę præcipuum, quos etiam quia in Dei opere fore strenuos præuidebat, officio diaconatus exornat. Erat autem in prædicto vico antiquissimum sacellum idolis dedicatum, quod sanctus pręsul cum socijs ab omnibus emundat spurcitijs & ecclesiam in honorem consecrat Saluatoris. Dehinc vrbem adit murosque collustrat, vbi dum in eminentibus saxis signum crucis imprimit, mirum dictu imprimenti cedit saxorum duritia, Ita vt hodieque ipsius impressionis vestigium saxis appareat exaratum. Verbi diuini semina spargit in populo, & intra breue tempus innumerabilis credentium fit concursus. Cum autem videret ex sparso prædicationis semine, plurimam fidelium messem exurgere, ecclesiam construit, & in honorem beatorum apostolorum dedicat, quæ vsque in hodiernum diem dicitur sancti Petri viui * ecclesia, eo quod ipso fuerit viuente constructa. Sane prouidens beatus pontifex quia ciuitates finitimas adhuc error idolatriæ teneret implicitas, reuelatione præmonitus socios conuocat, & pręcipit vt loca vicina peragrent, & gentes instruant, vt per eos in errorum tenebris splendescat notitia veritatis. Tunc ex illis Altinum & Eodaldum elegit, & ad vrbem Aurelianis dirigit, Potentianum vero atque Serotinum Trecas mittit, qui paruo quidem tempore, sed multo sudore paucos sale doctrinæ condiunt, & intra moenia sub apostolorum titulo templum consecrant, & discessuri

An sal. 46

Oros. lib. 7. cap. 6.

S. Sauinianus protopræsul Senonensis.

** Hæc Ecclesia S. Petri viui sic appellata est, eo quod in vico suburbij ciuitatis Senonicæ, viuo nominato fuit extructa, vt acta passionis S. Sauiniani aperte declarant, sed auctor chronici popularium opinionem sequi maluit*

Templum in honorem Apost. Petri & Pau-

eos spiritali benedictione confirmant. Interim alij qui vrbem Aurelianis adierant, mentes infidelium quæ cæcitate torpuerant, verbo prædicationis illustrant, & breui temporis spatio, fidei iugo subditur innumera populi multitudo, quibus baptismatis fonte lotis & in fide solidatis, in honorem protomartyris Stephani templum sanctificant. Hinc Carnotensium fines adeunt vbi dum diuini eloquij semen spargunt maximas domino animarum fruges aggregant, quibus etiam horreum sub titulo Dei genitricis benedictionibus fusis ędificant. Interea stimulante diabolo, exoritur tumultus in populo, nuntiatumque præsidi adesse homines, qui Deos blasphemant, & ab eorum cultu populum alienant. Trahuntur sancti ad iudicem, afficiuntur contumelijs, grauiter fustigantur, ac deinde in carcerem retruduntur reclamante fidelium numero: in iram iudex accenditur, & reclamantes eius imperio trucidantur, qui statim vt cædes facta est, vexante nequam spiritu cita morte præreptus est: reliqui vero fideles qui de internecione euaserant sanctos de vinculis extrahunt & abire permittunt. Hinc ad vrbem Lutetiam, quæ & Parisius, properant, vbi dum salutis effundunt monita, plures conuolant ab baptisma. Porro inde digrediuntur ad vicum, cui nomen Cristoilum, ibique cum innumerabili multitudine Aggoadum atque Glibertum summæ eminentiæ viros, titulo christianitatis insigniunt: quibus annitentibus fanum quod erat ibi antiquissimum funditus euertunt: qua re peruulgata, à parisiorum præside lictores missi sunt, qui ob vindicandam Deorum iniuriam prædictos viros cum illa multitudine credentium obtruncarunt. Peruagatis igitur prædictis locis, Potentianus & Serotinus, altinus & Eodaldus læti de prouentu successuum, redeunt ad magistrum, fit itaque omnium commune gaudium, instanterq; doctrinæ inseruiunt, ac tres ecclesias in vrbis medio construunt, quarum vna Dei genitricis fulget nomine, alia præcursoris gaudet honore, tertia protomartyris redolet sanctitate. His ita gestis, à templorum pontificibus fit in vrbe seditio, sistitur Sauinianus cum socijs ad tribunal Seueri, qui tunc forte præerat ciuitati, cuius impijs verbis S. præsul & Victorinus obsistunt præ cæteris, quare & grauius iubentur cædi, & post vinculis mancipari. Diffinita tandem de nece sanctorum sententia, deducuntur ad locum, in quo quondam à sancto præsule fuerat ecclesia in nomine saluatoris sacrata: vbi postquam ventum est, indulto orandi spatio beatus pontifex intrat ecclesiam, diuina mysteria celebrat & fratribus adhortatis, sanctum Potentianum sui successorem designat: nec mora lictores irruunt & sacrato vertici bis securim illidunt. Victorinus quoq; cum quodam puero capite plectitur, quorum ibidem corpora à fidelibus honorifice tumulantur. Post hæc vero S. Serotinus dum ad sepulchra sanctorum indesinenter excubat, insidijs gentilium intercipitur, & vsque ad emissionem spiritus fustigatur. Interea grauissima seditio detonat, S. Potentianus & alij iubentur inquiri, qui ad senatum adducti, dum inuicti persistunt, mactantur fustibus, & brachio dextro S. pontifex mutilatur: deinde equuleis apponuntur

In Trecis cōstruitur, quod Episcopi sedes est.

Parisini Christi fidē suscipiunt.

Tria tēpla Senonis excitata.

Hæc Ecclesia S. Saluatoris nunc S. Sauiniani dicitur, quæ parrochialis est, & sita in suburbio orientali vrbis Senon.

applicantur, euelluntur vngues & ignitæ laminæ lateribus apponuntur. Sed inter hæc astitit angelus domini, quo detergente plagas corporum, mirifice sunt refoti, iussu denique præsidis beatum Potentianum cum alijs carnifex cruentus decollat, illo in loco, illoq; die quo S. Sauinianus præcedentis anni tempore triumpharat. *An. sal. 75* Sanctorum postmodum corpora fideles qui neci superfuerant, noctu rapiunt & debito cum honore sepeliunt, quorum merita declarant miracula, quæ diuinitus illic creberrime sunt ostensa: Sed de his hactenus, nunc rei propositæ ordinem retexamus. Imperante igitur Claudio, Petrus dum Romæ, euangelicæ prædicationi deseruit, plures ex discipulis suis factos episcopos prædicandi gratia ad diuersas dirigit ciuitates, inter quos S. Martialis, qui fertur fuisse puer ille quem Dominus Iesus in medio discipulorum statuit, & illi in cœna specialiter ministrauit. Ad vrbem Lemouicas mittitur, in qua per sacram prædicationem, innumerabilem populum conuertit ad fidem, vbi præ omnibus quædam nobilissima virgo nomine Valeria, à suo sponso Stephano Galliarum tunc principe capite plexa est pro Christi fide & nomine. *S. Martialis Lemouicenses Christi fide imbuit* Fertur hæc virgo primo pro Christo, in fœmineo sexu martyrium pertulisse. S. quoque Vrsinus, qui Nathanael fertur fuisse, de quo Dominus dixit, ecce vere Israelita in quo dolus non est, & S. Iulianus, qui Simon leprosus fuisse asseritur qui Dominum in carne hospitio simul & conuiuio suscepit, ad vrbes proprie sibi destinatas perrexerunt: primus siquidem Bituriges, secundus Cenomanos visitando illustrauerunt, vbi vnusquisq; multum Deo populum in fide lucratus est, & post innumera bonorum operum insignia, sine sui sanguinis effusione, sanctitatis lilijs coronati, in Christo quieuerunt. S vero Iulianus trium mortuorum effici meruit in Dei virtute suscitator. Cum his etiam B. Clemens, Clementis papæ, vt traditur, patruus, à B. Petro Metensibus mittitur. Eucharius, Valerius, atque Maternus Treuirensibus. Sixtus Remensibus, Mansuetus Tullensibus, Frontonius Petragoricis, Memmius Catalaunicis destinantur. Hoc tempore sub Cumano procuratore Iudeæ in diebus azimorum tanta est Ierosolymis orta seditio, vt in portarum exitu populo corruente, 20 milia Iudæorum perierint. Porro huic Cumano Claudius Felicem substituit, apud quem Paulus apostolus accusatus in defensionem sui perorauit. *Ioseph. ant. cap. 4. lib. 20.* Felice procurante Iudæam, multi extiterunt, qui populum sua persuasione deciperent, in quibus & Ægyptius quidam pseudoprophetes fuit, qui plurimos sibi associans, in ipso magniarum rerum conatu per exercitum Felicis opprimitur, scribit Iosephus consentanee Apostolorum actibus, in quibus Paulo dicitur, nonne tu es Ægyptius qui ante hos dies concitasti & eduxisti in desertum 4 milia virorum. *Idē cap. 6. eiusdē libri* Romæ claret Persius satyricus & Palemon grammaticus, qui quondam interrogatus, quid inter stilam & guttam interesset, gutta, inquit stat, stila cadit.

Nero post Claudium annis imperat 14 omnium flagitiosissimus atque nequissimus. Huius auunculus extitit Caius Caligula. Felice re-

gente Iudæam, seditio in Cæsarea Palæstinæ orta, magnam Iudæorum multitudinem perdidit. Felici succedit Festus, apud quem præsente Agrippa rege, Paulus apostolus religionis suæ rationem exponens, vinctus Romam mittitur, & per biennium in libera custodia retinetur liberè verbum Domini prædicans, multosque conuertens. Post biennium autem relaxatus Hispaniam petijt, & Arelatem Trophimum, Viennam vero Crescentem ad prædicandum misit. Statius Tolotensis celeberrime in Gallia rhetoricam docet. Terræmotus Romæ factus & solis defectio. Nero Agrippinam vxorem suam & sororem patris interfecit. Hic tantæ luxuriæ fuit, vt frigidis & calidis lauaretur vnguentis, retibusq; aureis piscaretur quæ purpureis funibus extrahebat. Festo in magistratu Iudeæ succedit Albinus. Iacobus frater Domini quem omnes iustum appellabant, à Iudæis lapidatus & fullonis vecte percussus occumbit an. 6 imperij Neronis, atque in eius locum Simeon, qui et Simon secundus assumitur. Anno sequenti apud Alexandriam primus à Marco euangelista Anianus episcopus ordinatur. Ante mensam Neronis fulmen cecidit. Nero in olympiade coronatur, ceritos, citharistas, tragœdos, et aurigas vario certamine superans. Nero vt similitudinem Troiæ ardentis inspiceret plurimam partem romanæ vrbis incendit, quod incendium ex altissima turre prospectans, lætusque flammæ vt aiebat pulchritudine, tragico habitu ἅλωσιν Ilij dacantabat. Annæus Lucanus Cordubensis poeta in pisonia coniuratione deprehensus, brachium ad secandas venas medico præbuit. Gallio frater Senecæ, egregius declamator propria se manu interfecit, mortem eius Nerone in suam præsentiam differente. Seneca cordubensis, præceptor Neronis & patruus Lucani poetæ, tam vita conspicuus quam scientia præclarus, incisione venarum & veneni haustu perijt. Is vir continentissimæ vitæ fuit, quem ille amicum Pauli Apostoli fuisse declarant epistolæ, quæ leguntur a plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum: in quibus cum esset magister Neronis & illius temporis potentissimus, optare se dicit eius esse loci apud suos, cuius Paulus sit inter Christianos. Scripsit autem perplurima & eloquio splendida, & mira moralitate referta, perijt vero incisione venarum iussu Neronis vt dictum est, biennio antequam Petrus & Paulus coronarentur martyrio. In Asia tres vrbes terræmotu conciderunt, Laodicea, Hierapolis, Colosse. Albino Florus successit, sub quo Iudæi contra Romanos rebellauerunt, videns enim peruicaciam Iudæorum, Ierosolymis die solemni honorabiles viros flagris verberauit, patibulisque suffixit. Iudæis proinde rebellantibus, Vespasianus magister militum contra eos à Nerone transmittitur. Nero cum cæteris viris insignibus, Octauiam vxorem suam interficit, Cornutumque philosophum præceptorem Persij in exilium fugat. Hic etiam primus super omnia sua scelera, persecutionem in Christianos facit, vt enim apertum se hostem diuinitatis pietatisque professus est, ipsorum prius apostolorum (quippe qui duces et signiferi erant in populo Dei) expetit neces, & Paulum quidem capite in ipsa Roma, Pe-

Euseb. hist. Eccl. cap. 22. lib. 2.

Oros. cap. 7. lib. 7.

Sueton. in Nerone cap. 38.

Ioseph. de bello Iud. lib. 2. cap. 14.

Euseb. Eccl. hist. cap. 25 lib. 2.

trum vero crucis patibulo condemnat. Verum B. Petrus antequam pateretur ad corroborandas fidelium mentes, duas epistolas scripsit, vbi in 2. mortis & passionis suæ, quam ei Dominus ante designauerat mentionem fecit. Paulus vero 14 epistolarum, doctrina admirabili, fidelis populi mentes abundantius saginauit. Postquam igitur dei populum in fide confirmantes plurimum laborauerant, carne cupientes dissolui vt essent cum Christo inperpetuum, 14 imperij Neronis anno, passionis vero Christi 37 mortem alacriter pro Christo vna in die pariter susceperunt, quorum primus, in via quæ ducit ad vaticanum, alter vero in via Ostiensi sepultus est.

81.			92.		
82.	*Cletus an. 11.*	*Titus an. 3.*	93.	*Clemens an. 9.*	
83.	*mens. 3. d. 11.*		94.	*mens. 2. d. 10.*	
84.			95.		
85.		*Domitianus an.*	96.		
86.		*13. mens. 15.*	97.		
87.			98.		*Nerua an. 1 m. 4*
88.			99.		*Traianus an. 19.*
89.			100.		
90.			101.		
91.					

Linus papa post Petrum annis 11 Romanam rexit Ecclesiam. Nero cum à Senatu quæreretur ad pœnam, è palatio fugiens ad 4 vrbis miliarium in suburbano libertini sui inter Salariam & Nomentanam viam semet interficit anno ætatis 32. In quo omnis Augusti familia consumpta est. Post Galba in Iberia, Vitellus in Germania, Otho romæ imperium arripuerunt. Sed Galba 7 mense imperij sui, in medio romanæ vrbis foro capite truncatur. Otho vero 3 regni sui mense, apud Bebriacum propria manu occubuit, Vitellius autem à Vespasiani ducibus occisus, in flumen Tiberim proiectus est. Interim vero Vespasianus plurimas vrbes Iudeæ capit, cui Fauius Iosephus scriptor historicus dux belli Iudæorum cum ab ipso interficiendus esset, prænunciat de morte Neronis & eius imperio. *Euseb. in Chron.*

Vespasianus audita morte Neronis, hortatu militum imperator factus imperat an. 9. Hic multis Iudæorum oppidis captis, ipsisque Iudæis duobus prælijs ad muros compulsis, reliquit Titum filium suum ad procurationem obsidionis Ierosolymorum: Romamq; per Alexandriam proficiscitur, vt & romanis non deesset nec Iudæis, quem filius repræsentaret. Porro Titus anno 2 imperij patris sui Ierosolymam capit, captamq; subuertit, & templo penitus diruto, 600 milia virorum interficit. Iosephus vero scribit vndecies centena milia, fame & gladio perijsse, & alia 10. milia captiuorum publice venundata. Quidam autem iuuenes, quos decus corporis & proceritas commendabat ad tri- *Ioseph. de bello Iud. li. 7. cap. 17.*

Euseb. hist. lib. 3. cap. 8. umphum seruati sunt, reliqui qui supra 10 & 7 annos ætatis agebant vincti sunt, & ad opera Ægypti per metalla destinati, vel per cæteras prouincias dispersi: alij vero ludis gladiatorijs, alij bestiis intercempti sunt. *Euseb. in Chron.* Vt autem tanta multitudo Ierosolymis reperiretur, causam azimorum fuisse refert, ob quam ex omni gente Iudæi ad templum confluentes, vrbe quasi carcere sunt conclusi: opportuit enim in iisdem diebus paschæ eos interfici, in quibus Saluatorem crucifixerunt. Sic sustinuerunt miseri maledictionem Elizæi, quando ij vrsi, videlicet Vespasianus & Titus de Sylua gentium egressi, tam miserabiliter eos dilaniarunt, vero Elizæo christo in monte Carmeli, i. cœli iam ascenso. Consummatum est autem bellum an. 4. duobus quidem Nerone viuente, duobusq; postea. Veruntamen antequam templum euerteretur, ferme per vnum annum supra ipsum cometes apparuis, quandam gladii similitudinem in se ferens, denuntiabat enim ferro, igni, gentis, regni, vrbisq; ipsius futuram pariter vastitatem. Vespasianus itaq; & Titus magnificum & memorabilem de Iudæis agentes triumphum, romam ingressi sunt. Colligitur omne tempus in 2 anno Vespasiani & nouissimam Ierosolymorum euersionem, à 15 anno Tiberii Cæsaris, & ab exordio euangelicæ prædicationis anni 42. A captiuitate autem quam ab Antiocho perpessi sunt anni 239. Porro à Darii 2 anno, sub quo rursum templum ædificatum est anni 591. A prima autem ædificatione templi sub Salomone, vsq; ad nouissimam eius ruinam quæ sub Vespasiano facta est anni 1102. Vespasianus romæ collossum erigit habentem altitudinis pedes 107. Romam quoque incendiis deformem, ædificiorum copia renouat, capitolium & ædem pacis & Claudii reparat monumenta. Tres ciuitates Cypri terræ motu corruerunt. Lues ingens Romæ facta est ita, vt per non multos dies in ephemeridem 10 milia ferme mortuorum hominum referrentur. Vespasianus anno vitæ 69 *Sueto. in Vesp. cap. penul.* moritur, seriis ioca quibus delectabatur admiscens, nam cum ventris profluuio fessus assurrexisset, stantem ait imperatorem terris excedere decet.

Titus Vespasiani filius succedit in regnum an. 2. Hic fuit vir omnium genere virtutum mirabilis, & morum imperialium floribus adornatus, & qui nulli quicquam negaret. Huius etiam fuit illud celebre *Idē in Tito cap. 8.* dictum, quod quadam die cum recordatus fuisset in cœna, se nihil illa die cuiquam præstitisse dixerit. Amici hodie diem perdidi. De isto quidam sic metro dixit:

Auson. in Cæs.

> *Felix imperio, felix breuitate regendi,*
> *Expers ciuilis sanguinis, orbis amor:*
> *Vnum dixisti moriens te crimen habere,*
> *Sed nulli de te, non tibi credidimus.*

In vtraq; etiam lingua adeo disertus extitit, vt tragædias græce componeret, & causas latino poemate peroraret. *Euseb. in Chron.* Mons Bebius ruptus in vertice, tantum ex se iecit incendii, vt regiones vicinas & vrbes cum hominibus exureret. Linus papa an 2 imperii Titi martyrio coronatur,

Post quem Cletus in episcopatu substituitur annis 12. qui ex præcepto Petri apostoli, in vrbe roma 25 presbyteros ordinauit. Titus in eadem villa qua pater suus apud Sabinos obiit. Hic in hora mortis cum lectica veheretur, suspexisse dicitur cœlum, multumq; conquæstus est, eripi sibi vitam immerenti, Nec enim extare vllum factum suum, quod sibi pœnitendum esset, excepto vno: id quale fuerit neque ipse tunc prodidit neque cuiquam notum fuit. *Suet. in Tito c. penul.*

Domitianus frater Titi principatum obtinet an. 15. Iste primo clemens visus est & Dacos germanosq; bello deuicit, ius quoque perorabat æquissime, & Romæ multa construxit ædificia, inter quæ ædificauit templum mirificum, quod Pantheon vocabatur, sed nunc in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ & SS. omnium consecratum esse dignoscitur. Deinde atrox factus, philosophos ex roma pepulit, multos nobilium perdidit, quosdam in exilium misit. In tantum quoque elatus est, vt statuas aureas & argenteas sibi in Capitolio iusserit fieri, seque deum ac Dominum apellari. Tres virgines Vestæ ob stuprum damnatæ sunt, nec multo post maxima virginum vestalium Cornelia conuicta stupri, iuxta legem viua defossa est. Domitianus iussit omnes specialiter perimi, qui de genere Dauid & regia stirpe descenderant. Hic etiam secundus post Neronem Christianos persequitur, & sub eo christianorum plurimi coronantur, inter quos Flauia Domicilla, Flauii Clementis consulis ex sorore neptis, in insulam Pontianam relegata est, quia se christianam esse testata est. Huius anno 11. Cletus papa gloriam martyrii adeptus, Clementem habuit successorem qui 3 à beato Petro an. 11. romanam rexit ecclesiam. Hic multos doctores Ecclesiæ & Christi gregis procreatores ad diuersas nationes transmisit, qui in agro cœlestis disciplinæ, fideliter & instanter laborantes, abundantiorem fructum vitæ, tam in se quam in suis sequacibus colligere meruerunt. Inter quos B. Fotinus Lugdunum missus est, Narbonam Paulus, Turonis Gatianus. Ex his & magnus Dionysius Areopagita ipsius Pauli apostoli coæuus & discipulus, Galliarum prouincias & vrbis egregiæ Parisius cum Rustico presbytero & Eleutherio Diacono fines aggressus est, fidei semen & vitæ spargens in cordibus populorum, vbi post multos agones & labores fidei mortem pro christi nomine tandem vna cum sociis suis capitis decisione suscipere meruit, vltimo anno imperii supradicti principis Domitiani qui est ab incarnat. D Iesu annus 96. Apud Alexandriam Aniano successit Abylius. Quintilianus ex Hispania primus Romæ publicam scolam aperuit, & salarium è fisco accepit & claruit. Domitianus Ioannem apostolum in feruentis olei dolium misit, sed inde ipse Deo amabilis Ioannes ita exiuit illæsus, sicut à corruptione libidinis semper fuerat alienus. Hic est Ioannes quem D. Iesus Christus semper amauit plurimum, quique in cœna super pectus eius recubuit, & cui dum penderet in cruce matrem virginem virgini commendauit. Hic etiam propter insuperabilem euangelizandi constantiam postmodum à præfato principe in Pathmos insulam relegatur, vbi

Euseb. in Chron.

Greg. Tur. lib. 1. hist. cap. 28.

D. Hieron. contra Iouin. lib. 1.

diuinitus consolatione accepta, vidit & audiuit plurima à Deo sibi reuelari, in quibus christiana fides maximæ deuotionis, & spei firmitatis suscipit nutrimenta. Inibi siquidem Apocalypsim scripsit manu sua, vt puta omni humano destitutus auxilio 7 Asiæ ecclesijs, quas ipse

102.	*Anacletus an.*	116.	
103.	*9.mens.2.d.10.*	117.	
104.		118.	*Adrianus an.*
105.		119.	21.
106.		120.	
107.		121.	*Alexander*
108.		122.	*an.8.mens.5.*
109.		123.	*dieb. 2.*
110.		124.	
111.	*Euaristus an.*	125.	
112.	10.	126.	
113.		127.	
114.		128.	
115.			

antea in christo fundauerat. Sed & Deus illum de loco illo misericorditer properauit educere. Nam Domitianus eodem anno quo apostolum exilio relegauerat à Senatu damnatus, in palatio est occisus: Cuius cadauer populari sandapila per Vespillones exportatum atque ignominiosissime sepultum est. Multa signa atq; portenta Romæ & toto orbe facta.

Sueton. in Domit. cap 17.

Euseb. in Chron.

Nerua admodum senex imperat anno 1. Hic cum fuisset priuata vita lenis, lenior fuit in regno. Senatus decreuit omnia deduci in irritum quæ Domitianus statuerat. Itaq; multi quos iniuste eiecerat, de exilio reuersi sunt, nonnulli bona propria receperunt. Aiunt & Apostolum Ioannem hoc tempore exilio resolutum Ephesum secessisse, in qua vrbe & hospitiolum, & amicos amantissimos hebebat: Vbi dum cõsisteret & etiam tũc hæreticorum semina pullularent, Cherinti scilicet & Ebionis vel cæterorum qui negant Christum in carne venisse, quos & ipse apostolus antichristos apellat, compulsus est ab Asię Episcopis & multarum Ecclesiarum legationibus de coæterna patris & Christi diuinitate altius sermonem facere. Indicto itaq; prius ieiunio, idem theologus Ioannes statim in sui euangelij exordio S. Spiritus gratia inebriatus, quod fidei necessarium erat patenter ostendit, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & quod idem verbum 1. christus Iesus in propria venit, & sui eum non receperunt. 1. Iudæi Iustus à Tyberiade Iudæorum scriptor agnoscitur. Nerua morbo perijt an. ætat. 72. cum iam Traianum adoptasset in filium.

D. Hieron. Proœm. cõment. in Math.

Euseb. in Chron.

Idẽ ibidem

Traianus genere hispanus, apud Agrippinam Galliæ vrbem imperij insignia suscipiens imperat an. 19. Hic Germaniam trans Danubium

& gentes multas superauit. Daciam fecit prouinciam, Iberos, Sauromatas, Afroenos, Arabes Bosforanos, Colchos in fidem accepit, Seleuciam, Thesifontem, Babylonem occupauit & tenuit, in mari rubro classem instituit vt per eam Indiæ fines vastaret. Hic etiam fuit liberalis inter amicos habens in re militari diligentiam, in ciuilibus largitionem, eratq; ei domi sanctitas, & in armis fortitudo & vtrobique prudentia. Vsq; ad huius principis tempora Ioannem apostolum Irenæus episcopus permansisse scribit. Hic siquidem B. Ioannes cum Ephesi moraretur vsque ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: filioli diligite alteruttrum. Tandem discipuli & fratres qui aderant tædio affecti quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister quare semper hoc loqueris? qui respondit dignam Ioanne sententiam: Quia præceptum Domini est, & si solum fiat sufficit. Cum autem esset an. 99. Domino sibi apparente vltimum diem vitæ suæ præsciens imminere, præsentibus discipulis descendit in defossum sepulturæ locum & ita migrauit ad dominum, tam liber à dolore mortis quam extraneus à corruptione carnis Post quem auditores eius insignes fuerunt Papias Hierapolitanus & Policarpus Smyrnæus & Ignatius Anthiochenus. Anno 4 imperij Traiani, Clemens papa mersus in mare martyrium tulit. Huius pater fuit Faustus, mater Matidia, frater Faustinianus, de quo Paulus Philippensibus scribit, Cum Clemente & cæteris adiutoribus meis. Hic instituit in canone. Te igitur. Fecit etiam 7 regiones diuidi notarijs fidelibus ecclesiæ qui gesta martyrum sollicite & curiose, vnusquisque per regionem suam diligenter perquirerent. Scripsit & multos libros zelo fidei, in quorum vno talem narrationem inseruit. Aiunt inquit B. Petrum, cum videret vxorem suam duci ad passionem, gauisum esse electionis gratia, ac regressionis ad propriam domum: & exclamasse post eam cum duceretur ac proprio nomine compellantem, dixisse: O coniux memento Dñi. Talia erant sanctorum coniugia, tam perfecta fuit affectio beatorum. Post Clementem, Anacletus pontificatum tenuit an. 9. Hic memoriam B. Petri construxit & composuit, dum presbyter factus fuisset à beato Petro, sed alia loca, vbi episcopi reconderentur sepulturæ. Romæ aurea domus à Nerone toris priuatis publicisq; rebus impensis condita, repentino conflagrauit incendio. Terræmotu quatuor vrbes Asiæ subuersæ sunt. Tres Galatiæ ciuitates, eodem terræmotu dirutæ. Pantheon Romæ fulmine concrematum. Terræmotus in Antiochia pene totam subruit ciuitatem. Traiano aduersum christianos persecutionem mouente, Symeon qui in Ierosolymis post Iacobum episcopatum tenuerat crucifigitur, cum esset 120 annorum. Hic filius Cleophæ, consobrinus secundum carnem Saluatoris fuisse dicitur, quia Cleopham fratrem fuisse Iosephi Egesippus testatur. Sub hac quoq; persecutione, Ignatius vir mirabilis & ardentissimo christi amore succensus, traditur de Syriæ partibus ad vrbem Romam à Traiano

D. Hiero. in Epist. ad Gal. lib. 3. cap.

Eusebius hist. lib. 3. cap. 30.

Euseb. in Chron.

principe transmissus fuisse, & ad bestias datus. Pro his nimio gaudio fluctuans, deuotus christi Athleta dixisse fertur: O salutares bestiæ quæ præparantur mihi, quando venient? quando emittentur. Quando eis licebit frui carnibus meis? quas ego & opto acrius parari, & inuitabo ad deuorationem mei, & deprecabor ne forte (vt in nonnullis fecerunt) timeant contigere corpus meum. Quinimo & si cunctabuntur, ego vim faciam, ego me ingeram. Date quæso veniam, ego noui quid expediat mihi, Nunc incipio esse discipulus christi. Facessat inuidia vel humani affectus, vel nequitiæ spiritalis. Ignes, cruces, bestiæ, dispersiones ossium, discerptionesque menbrorum, ac totius corporis pœnæ et omnia in me vnum supplicia diaboli arte quæsita conflentur, dummodo Iesum Christum merear adipisci. Item, frumentum inquit Dei sum ego bestiarum dentibus molar et subigar, vt christo panis mundus efficiar. Hic tandem Romæ præsente senatu, bestijs vt optauit suffocatus christo animam reddit 10 anno ipsius Traiani. Post quem Heros apud Antiochiam constituitur episcopus, apud Ierosolymam vero post Symeonem, Iustus. Apud Alexandriam post Abylium Cerdo cui Primus successit. Alij etiam plures hoc tempore passi sunt, veruntamen

Euseb. Eccl. hist. cap. 36 lib. 3.

Plinius secundus orator, cum quandam prouinciam regeret, & in magistratu suo plurimos christianorum interfecisset, multitudine eorum perterritus, quæsiuit à Traiano, quid facto opus esset, nuncians ei præter obstinationem non sacrificandi, et antelucanos cœtus ad canendum christo vt Deo, nihil apud eos reperiri. Præterea ad confœderandam disciplinam, vetari ab ijs homicidia, furta, adulteria et his similia. Ad quem commotus Traianus rescribit, hoc genus quidem inquirendum non esse, oblatos vero puniri oportere. In romana sede Anacleto Euaristus natione græcus successit annis 10. Hic titulos in vrbe Roma diuisit presbyteris et 7 diaconos ordinauit qui custodirent episcopum prædicantem propter stylum veritatis. Hoc tempore incredibili motu Iudæi quasi rabie efferati, per diuersas terrarum partes exarserunt. Nam et per totam Lybiam aduersus incolas atrocissima bella gesserunt, Ægyptum vero totam et Cyrenem et Thebaida cruentis seditionibus turbauerunt. In Alexandria autem commisso prælio victi et attriti sunt. In Mesopotamia quoque rebellantes præcepit Traianus imperator exterminari prouincia, aduersum quos Lysias aciem instruens, infinita milia eorum interfecit, et ob hoc procurator Iudeæ ab imperatore decernitur. Sane Salaminam vrbem Cypri, interfectis omnibus accolis, deleuerunt. Traianus apud Seleuciam Isauriæ, profluuio ventris extinctus est. Ossa eius in vrnam auream collata, et in foro Traiani sub marmorea columna esse posita referuntur, solus omnium imperatorum intra vrbem sepultus est.

Plinius lib. 10. Epist. 97. & 98. & Euseb. in Chron.

ex lib. de Rom. Ponti

Oros. lib. 7. cap. 12.

Euseb. in Chron.

Ælius Adrianus Traiani filius imperat an. 21. Hic græcis litteris impensius eruditus fuit, et non sermone tantum peritus, sed et cæteris disciplinis canendi medendique scientia pollens, Facetus & acer nimis ad lacessendum, et ad respondendum serijs, ioco maledictis: Sic enim

referebat

referebat carmen carmini, dictum dictui vt prorsus ad omnia premeditatum putares. Sed in puerorum amores parum continens fuit, vt Antinoum puerum regium eximiæ pulchritudinis cõsecrarit in Deum, ex cuius etiam nomine vrbs Antinoe appellata est. Hic Traiani inuidens gloriæ, de Assyria, Mesopotamia, Armenia exercitus reuocat, quas in prouincias Traianus redegerat. Post hæc reliqua tributorum vrbibus relaxat, plurimos etiam ipsis tributis liberos præstat. Euaristus martyrio coronatur cui Alexander succedit, ætate quidem iuuenis sed mentis senectute decorus, annis 8 romanam regens ecclesiam. Hic passionem Domini miscuit in * predicatione sacerdotum quando missæ celebrantur. Constituit etiam aquam sparsionis cum sale benedici in habitaculis hominum. Adrianus bellum contra Sauromatas gessit & vicit. Remp. iustissimis legibus ordinauit: vnde & vltra morem maiorum pater patriæ in Senatu appellatus est, & vxor eius Augusta. Basilides hæresiarcha in Alexandria commoratur à quo Gnostici. Alexander papa & cum eo Euentius presbyter & Theodolus diaconus martyrio coronantur. Post quem Sixtus pontificatum suscipit an 10. Hic constituit, vt ministeria sacrata non tangerentur nisi à ministris. Adriano, quidam vir Quadratus nomine apostolorum discipulus, Apologeticum librum oratione splendidissima pro nostra religione conscriptum, & validissimis assertionibus communitum obtulit: qui liber vsque hodie seruatur. In quo libro quodam in loco sic dicit. Nostri Saluatoris opera semper adecant viua & vera in his qui sanati fuerant, & in his qui à mortuis excitati sunt. Non enim visi sunt tantummodo vel resurgere vel sanari, sed perpetuo ab hominibus videbantur, non tantum saluatore præsente, sed & post discessum eius multis temporibus, ita vt aliquanti qui ab eo vel curati, vel resuscitati sunt etiam ad nostra vsque tempora perdurarint. Sed & Aristides vir fidelis & pietate nostræ religionis imbutus, Quadrato simile volumen ad Adrianum, pro fidei nostræ ratione conscripsit, cuius etiam nunc scripta seruantur. Sereonius quoque Granius legatus vir apprime nobilis, litteras ad imperatorem misit iniquum esse dicens clamoribus vulgi, innocentium hominum sanguinem concedi: & sine vllo crimine, nominis tantum & sectæ reos fieri. Quibus commotus Adrianus, Minutio Fundano proconsuli Asiæ scribit, non sine obiectu criminum christianos condemnandos. Terræmotu Nicomedia ruit, & plurima vrbis Nicænæ euersa sunt, ad quorum instaurationem, Adrianus impensas de publico largitus est. Hic Atheniensibus leges petentibus ex Draconis & Solonis reliquorumq; libris iura composuit, insignes & plurimas ædes athenis fecit, agonem ædidit, bibliotecamque miri operis extruxit. Sane Iudæos perturbatione scelerum suorum exagitatos, & palæstinam prouinciam quondam suam depopulantes, vltima cæde perdomuit, vltusque est christianos quos illi Cocheba duce, quia sibi aduersum romanos non assentirentur excruciabant. Præcepit etiam ne cui Iudæo introeundi Ierosolymam esset licentia, Christianis tantum ciuitate permissa: quam ipse in optimum statum

* precatione

Euseb. hist. lib. 4. cap. 3.

Idem in Chron.

Idē ibidem

Oros. lib. 7. cap. 13.

murorum extructione reparauit, & Æliam vocari de prænomine suo præcepit: Cuius opera factum est, vt loca sancta i. Dominicæ Passionis & Resurrectionis, quondam extra vrbem iacentia, nunc eiusdem vrbis muro septentrionali circundentur. De hac siquidem vrbe Ariston *Euseb. Hist lib.4.cap.6* Pellæus historiographus sic dicit. Ita factum est vt ciuitas post interitum Iudaicæ gentis, incolis mox in eam peregrinæ nationis confluentibus, per mutatis ciuibus etiam ipsa Ælia appellaretur, ex cognomento imperatoris Ælij Adriani, & in romanorum ius conuersa & ritum mutaret & nomen. Tradunt autem quod vsque ad hæc tempora, à Iacobo fratre Domini superius memorato, primo Ierosolymorum episcopo 14 ex circuncisione sibi breuissimis interuallis succedentes, propter persecutionis rabiem præsules præfuerunt. Horum nomina hæc sunt. Simeon, Iustus, Zachæus, Tobias, Beniamin, Ioannes, Mathias, Philippus, Seneca. Item Iustus, Leui, Effrem, Ioseph, & Iudas. Postquam autem ex gentibus inibi cœpit ecclesia, primus ei Marcus episcopus *Ex lib. pontif. Damasi Papæ.* præfuit ex gentibus constitutus. Præterea in romana ecclesia Sixto coronato, Thelesphorus papa successit annis 11. Hic constituit vt 7 hebdomadas ante Pascha ieiunium celebraretur, & in natali Domini noctu missæ celebrarentur. Et omni tempore ante horæ tertiæ cursum, nullus præsumeret missas celebrare, qua hora Dominus noster ascendit crucem. Et ante sacrificium diceretur Hymnus angelicus, hoc est, Gloria in excelsis Deo. Antiochiæ post Hieronem Cornelius subrogatur episcopus. Alexandriæ post Primum, Iustus, post Iustum Hymenæus. Hoc tempore floruit Aquila orator genere ponticus post 70 legis mosaicæ secundus interpres, Adrianus morbo intercutis aquæ, apud Baias moritur.

129.	*Sixtus an. 10.*		147.		
130.	*mens. 3. dieb. 21*		148.		
131.			149.		
132.			150.	*Hyginus an.*	
133.			151.	*4 mens. 3. d. 6.*	
134.			152.		
135.			153.		
136.			154.		
137.			155.		
138.			156.		
139.	*Thelesphorus*		157.		
140.	*an. 11. mens. 3.*	*Antoninus pius*	158.		
141.	*dieb. 22.*	*cum filijs suis*	159.		
142.		*an. 22. mens. 4.*	160.		
143.			161.		
144.			162.	*Pius an. 11. m.*	*Marcus Antoninus*
145.			163.	*4. dieb. 21.*	*nus verus cũ*
146.			164.		*fratre suo Lucio*

165.	*Aurelio Commodo an.* 19.	173.	
166.		174.	
167.		175.	*Sother ann.* 9.
168.		176.	*mens.* 3. *d.* 21.
169.		177.	
170.		178.	
171.		179.	
172.		180.	

Antoninus cognomento pius cum filijs suis Aurelio & Lucio imperat an. 22. Hic ita tranquille & sancte rempublicam gubernauit, vt merito pius & pater patriæ nominatus sit. Nam ad illum etiam Indi, Bactriani & Hyrcani misere legatos, tanti imperatoris comperta iustitia. Erat enim carens ostentatione & gloriæ appetentia. In vrbe roma post Thelesphorum martyrio coronatum, Hyginius pontifex substituitur annis 4. Hic clerum composuit & gradus distribuit. Quo præsulante Valentinus Heresiarches,& Cerdo magister Marcionis romam venerunt. Hyginio martyrisato Anicetus succedit an. 9. romanam regens Ecclesiam. Hic constituit vt clerus comam non nutriret secundum præceptum apostoli. Alexandriæ post Hymenæum, Marcus sacerdotium suscipit, qui Celadionem habuit successorem. Antiochiæ post Cornelium Heros constuitur Episcopus. His diebus floruit Iustinus in habitu philosophi diuinum prædicans verbum & fidei nostrę rationem, tam scriptis voluminibus, quam viuæ vocis assertione defendens, qui librum pro christiana defensione compositum, Antonino tradidit, benignumq; eum erga christianos fecit. Aduersus hunc Crescens Cynicus quia se gulosum & præuaricatorem philosophiæ coarguebat, persecutionem suscitauit, in qua ille gloriosum pro christo sanguinem fudit. Hoc tempore Iustus Episcopus Viennensis enituit, & Lugdunensis Fotinus. His etiam diebus Polycarpus Smyrnæorum Episcopus romam venit & multos ab hæretico errore correxit. Venit & Galenus romam medicus insignis à pergamo.

Euseb. in Chron. — *Idem Hist. lib. 4. ca. 11. & Oros. lib. 7. cap. 14.* — *Euseb. in Chron.*

Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio Aurelio Commodo imperat an. 19. Hi primum æquo iure imperium administrauerunt, cum vsq; ad hoc tempus singuli Augusti fuerint. Porro Marcus Antoninus vir tantę seueritatis & grauitatis fuisse dicitur vt ab infantia vultum nec ex lætitia neq; ex mœrore mutauerit. Lucius vero Aurelius dum Athenis sacrificaret, ignis ei in cælo ab occidente, in orientem ferri visus. Aniceto papa martyrium passo, Pius succedit an. 11. sub quo Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit angelus domini, cum veniret ad eum in habitu pastoris vt sanctum pascha die Dominica celebraretur. Hic constituit hæreticum venientem ex Iudęorum hæresi, suscipi & baptizari, & constitutum de Ecclesijs fecit. Anthiochiæ post Heroem Theophilus, post quem Maximus ordinatur Episcopus. Alexandriæ post Celadionem Agrippinus, & post

Idē ibidem — *Ex Lib. de Rom. Pont.*

eum præfuit Iulianus. Ierosolymis post Marcum ij sibi breui tempore successerunt. Casianus, Publius, Maximus, Iulianus, Gaianus, Symmachus, Gaius, Iulianus, Capito. Porro post Capitonem ij sunt secuti per ordinem, Maximus, Antoninus, Valens, Dulchianus, Narcissus, Helius, Germanio, Gordius, rursum Narcissus. Tantis apud Ierosolymam episcopis constitutis, non potuimus discernere tempora singulorum, eo quod vsq; in præsentem diem episcopatus eorum anni minime seruatentur. Marco Antonino & fratre eius Lucio imperantibus, cum rex Parthorum Armeniam, Syriamq; vastaret, Lucius per duces suos rebus magnis gestis, Seleuciam Assyriæ vrbem, super hydaspem fluuium sitam cum 400. hominum milibus cœpit, & cum fratre de victoria Parthica triumphauit. Post hæc anno regni sui 9 dum cum fratre in vehiculo sedet, casu morbi quem apoplexiam græci vocant suffocatus interijt. Eo defuncto Marcus Antoninus solus Reip. præfuit, sed in diebus parthici belli, 4 iam post Neronem vice, præcepto eius persecutio in christianos efferbuit, & tam in Asia, quam in Gallia multi sanctorum, martyrio coronati sunt In Asia siquidem sæuiente huius persecutionis impetu S Polycarpus, Ioannis Euangelistæ discipulus gloriose victor occubuit. Hic tranquillus moribus, orationibus maxime intentus, orabat pro pace Ecclesiæ & pro omni populo Dei. Ante triduum verò quam pateretur, in oratione positus per visionem vidit, quod ceruical capitis sui flammis combureretur. Euigilans intellexit & pronunciauit se pro christi nomine, vitæ exitum per ignem sortiturum. Qui cum à præfecto Cæsaris comprehensus esset, & sæpe monitus vt Deum Cæsarem agnosceret eique immolaret, minime acquieuit. Et ad vltimum dictum est ei. Iura fortunam Cæsaris, & dic conuitium in Christum. Respondit 80 & 6 annis seruio ei & nunquam me læsit quomodo possum maledicere & blasphemare regem meum. Rursumque dixit. Nobis immobilis stat sententia, non possumus de bono ad malum per pœnitudinem commutari, facta post hæc oratione, igni iniectus est, sed (res mira) flamma in modum cameræ, curuata specie quasi velum nauis vento sinuante supra martyris corpus stetit, quod corpus in medio positum, non quasi caro ardens sed quasi aurum in fornace illæsum fulgeret, odorem vero suauissimum naribus hauserunt discipuli, tanquam incensi thuris vel preciosissimi fragrantis vnguenti. Videntes ministri, corpus igne non posse consumi, mucrone illud mox transfixerunt vnde tantus sanguis exiuit, vt ipsum extingueret ignem. Postea vero combusto corpore, reliquiæ ipsius à fidelibus collectæ sunt ac condigno loco locatæ. Alij etiam 12 cum Polycarpo ex philadelfia venientes, apud Smyrnam martyrio coronati sunt. In Gallia quoque prędictæ persecutionis detonante procella, Iustus Viennensis episcopus & Lugdunensis Fotinus, cum innumerabili multitudine martyrizantur, quorum miræ passiones leguntur. Secuta est lues plurimis infusa prouincijs, totamque Italiam pestilentia tanta vastauit, vt passim villæ, agri, atque oppida sine cultura atque habitatore deserta, in ruinas syluasque con-

Euseb. in Chron.

Idem hist. lib. 4. ca. 15

Oros. lib. 7. cap. 15.

cesserint Exercitum vero romanum, cunctasque legiones, ita consumptas fecerunt, vt Marcomannicum bellum quod tunc exortum est, non nisi nouo delectu militum gestum sit. In quoquidem bello mira dei virtus apparuit. Nam plurimis gentibus ex Germania insurgentibus, cum Romanus exercitus, in fines earum progressus, hinc circunueniretur ab hostibus, hinc propter aquarum penuriam siti pene deficeret, quibusdam christianis militibus Christum inuocantibus, tanta vis pluuiæ, facta est, vt & romanos large reficeret, & e contra barbaros crebris fulminum ictibus alios interficeret, alios in fugam compelleret. Quorum terga romani vsq; ad internecionem cædentes, gloriosissimam victoriam rudi paruoq; militum numero, sed potentissimo christi auxilio reportarunt. Extat imperatoris epistola qua protestatur, illam tunc victoriam, ad inuocationem nominis Christi fuisse collatam. Idemque Antoninus imperator Commodum filium suum assumpsit in regnum, & post victoriam à Deo datam, in largitione munerum magnificus fuit, pecuniam quæ fisco debebatur prouincijs concessit, tabulas debitorum in medio romæ foro incendi fecit, ac ne quid bonitati deesset, duras quasque leges nouis constitutionibus temperauit. Hoc tempore Melito Sardiensis episcopus, Apolinaris Hierapolitanus, Corinthiorum Dionysius habentur insignes. Hęresis quæ Phrigastarum nominatur accepit exordium, Montano authore ex Priscilla Maximillaq; insanis vatibus. Apud pisas Peregrinus philosophus rogo quem ex lignis composuerat semetipsum superiecit. Post Pium papam Sother romanæ ecclesiæ sedem tenuit an. 9. Hic constituit vt nulla monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sanctam ecclesiam. Smyrna vrbs Asiæ terræmotu ruit, ad cuius instaurationem decennalis tributorum immunitas data est. Per idem tempus floruit Egesippus scriptor historicus, floruit & Irenæus episcopus Lugdunensis & martyr, Theodocion quoq; 3 diuinæ legis interpres. Antoninus in Pannonia morbo perijt.

Euseb. in Chron.

181.		*Commodus an.*	196.		18.
182.		13.	197.		
183.			198.		
184.	*Eleutherus an.*		199.	*Victor an.* 10.	
185.	15. *mens.* 6. *d.* 5.		200.	*mens.* 2. *d.* 10.	
186.			201.		
187.			202.		
188.			203.		
189.			204.		
190.			205.		
191.			206.		
192.			207		
193.			208.		
194.		*Ælius Pertinax*	209.	*Zephyrinus*	
195.		*& Seuerus an.*	210.	*an.* 9. *mens.* 6.	

211.		217.	*Callistus an.*
212.	*Antoninus Ca-*	218.	*5. mens. 2. d. 2.*
213.	*racalla an. 7.*	219.	
214.		220.	
215.		221.	
216.		222.	

Commodus filius Marci Antonini imperat an. 13. Hic aduersum
Liber sum Germanos bellum feliciter gessit. Post Soterem papam, Eleutherus
hist. Rom. pontificatum suscepit an. 15. Hic firmauit, vt nulla esca à christianis re-
Pontif. pudiaretur, quæ tamen rationalis & humana est. Ad hunc papam misit
Lucius rex Britonum literas & nuncios, petens vt ab eo christianitatem
acciperet, & impetrauit. Siquidem B. pontifex comperta eius de-
uotione, duos religiosos viros Fugatium & Damianum misit ad illum,
qui verbi Dei incarnationem prædicantes, ipsum fonte baptismatis
abluerunt, & gentem eius ad Christum conuerterunt, & templa deo-
rum vni Deo, vero & viuo, sanctisq; dedicauerunt, per totum regnum
Vetus mar- paganismo pene deleto, & ea cœtibus diuersis ordinatorum repleue-
tyrologium runt. Erant enim tunc in Britannia 20 & 8 flamines i. pontifices paga-
norum, nec non & 3 archiflamines, quorum potestati cæteri iudices
morum atq; phanatici submittebantur. Hos denique ex præcepto apo-
stolici, idolatriæ eripuerunt, & vbi erant flamines, Episcopos: vbi ar-
chiflamines, archiepiscopos posuerunt. Sedes autem archiflaminum,
in 3 nobilioribus ciuitatum erant, Londonij videlicet atque Eboraco,
& in vrbe Legionum, quam super Oscam fluuium in Glamorgantia,
veteris muri ædificia sitam fuisse testantur. Per illud tempus apud Ale-
xandriam, scolæ ecclesiasticæ præerat vir in omni eruditione nobilissi-
mus Pantænus, cui tantum studij & amoris erga verbum Dei fuisse tra-
Euseb. hist. ditur, vt etiam ad prædicandum Christi euangelium gentibus, quæ in
lib. 5. ca. 10. vltimis orientis secessibus reconduntur, fidei calore profectus sit, &
vsque ad citeriorem Indiam peruenerit, ibiq; Mathæi euangelium he-
braice scriptum, & à Bartholomæo apostolo, qui primus illic prædi-
cauerat derelictum repererit atq; detulerit. Apud Alexandriam deniq;
vitam clarissimam, optimo fine conclusit, & in librorum monumen-
tis thesauros scientiæ dereliquit. Antiochiæ post Maximum Serapio,
Idem eodē Alexandriæ post Iulianum Demetrius ordinatur. Per id tempus pax ec-
lib. cap. 21. clesijs per omnem terram propagabatur, & sermo Domini ex omni
genere hominum ad agnitionem & pietatem Dei summi, animas con-
gregabat. Interim romanum regebat imperium Commodus cunctis
incommodus, plurimos enim senatorum interfecit, maxime quos ani-
maduertit nobilitate, industriaque excellere. Per omnia quoq; luxuriæ
& obscœnitatis dedecore deprauatus fuit, gladiatorijs etiam armis sæ-
pissime in ludo pugnauit, & in amphiteatro feris se se frequenter obie-
cit: flagitia Regis pœna vrbis insequitur. Nam fulmine Capitolium
ictum, ex quo facta inflammatio, Bibliothecam illam maiorum cura

studioq; compositam, ædesq; alias iuxta sitas, rapaci turbine concremauit. Deinde aliud incendium postea Romæ exortum, ædem Vestæ & palatium, plurimamq; vrbis partem solo coæquauit, Nec multo post Commodus in domo Vestiliani strangulatus interijt. Post hunc à senatu creatus est Ælius Pertinax, qui 6 mense quam regnare cœperat, Iuliani iurisperiti scelere in palatio occisus est. Hic Ælius vir grandæuus & æquissimus fuit omniumque communis, & accepta iniuria nunquam ad vlciscendum ductus, quem cum obsecraret senatus vt vxorem suam Augustam, & filium Cæsarem appellaret, contradixit: sufficere sibi inquiens quod ipse regnaret inuitus. Iulianus interfecto Pertinace, inuasit imperium, sed mox à Seuero apud pontem Miluium, bello ciuili victus & interfectus est, mense 7 postquam cœperat imperare. Ita inter Pertinacem & Iulianum vnus assumptus est annus.

Oros. lib. 7. cap. 16.

Euseb. in Chron.

Idem Oros. loco supra ad

Seuerus genere Afer imperat an. 17. Hic natura sæuus fuit, & bellicosissimus omnium qui ante eum fuerant; Græcisque ac latinis literis sufficienter instructus, acer ingenio, & ad omnia quæ intendisset finetenus perseuerans, beneuolentia vero quo se inclinasset mirabili, atq; perpetua. Ad quærendum quoq; diligens, & ad largiendum liberalis; & in amicos & inimicos pariter vehemens. Multis lacessitus bellis fortissime quidem Remp. sed laboriosissime rexit, & in honore Pertinacis quem occisum vltus fuerat, Pertinacem se cognominari iussit. Pescennium Nigrum qui in Ægypto & Syria ad tyrannidem aspirauerat, apud Cizicum vicit & interfecit. Iudæos & Samaritas rebellare conantes, ferro coercuit. Parthos, Arabas, Adiabenosq; superauit. Post Eleutherium, romanam sedem victor tenuit an. 10. Hic constituit vt sanctum Pascha die Dominico celebraretur. Siquidem quæstione orta inter episcopos in Asia, an secundum legem Mosis 14 die mensis Pascha obseruandum esset; Victor prædictus papa & Narcissus vir sanctitate præcipuus Ierosolymorum episcopus, Policrates quoque Ephesiorum, Irenæus Lugdunensium, Corinthiorum Bachilus, insignes episcopi, plurimique ecclesiarum pastores apud Cæsaream Palæstinæ concilium celebrarunt, & quod eis probabile visum fuerat literis ediderunt. Hoc tempore Clemens Alexandrinus presbyter, in sacrarum eruditionum scolis, quam maxime effloruit. Hic beati Pantæni auditor extitit, de quo ipse scribit, quia cum per multas prouincias multos adierit amore discendi, ad vltimum in Ægypto vsus sit magisterio Pantæni, virtutis & scientiæ merito, omnibus præferendi: postquem scolæ ecclesiasticæ apud Alexandriam præfuit, ac docendi officium insignissime administrauit. Scripsit vero perplura, ex quibus liquet quam incomparabili fuerit eruditione præclarus. Sed & multi religiosi sacerdotes hoc tempore claruerunt. Nos vero interdum aliquos memoramus, quorum fides & scientia mirabilior & præclarior habita est. Seuerus 5 in christianos persecutionem exercuit, qua persecutione plurimi SS per diuersas prouincias passi referuntur, inter quos Leonides pater Origenis pro Christi nomine capite cæsus, teneræ adhuc ætatis eundem Originem

Idē cap. 17.

Euseb. in Chron.

Idem Hist. lib. 5. ca. 11.

Idem lib. 6. cap. 1. & 2.

cum 6 fratribus & matre vidua dereliquit. Sed ita erat præfatus Origines iam grammatica eruditus 17 agens annum, vt ad docendum sufficeret, & quæ ad victum erát ei necessaria, ex hoc pararentur: Census quippe Leonidis qui maximus fuerat, regio fisco per proscriptionem sociatus erat. Sub hac etiam persecutione, in Lugdunensi ciuitate passus est S. Irenæus episcopus cum maxima multitudine cleri sui & populi, cui successit Zacharias episcopus. Sed & Viennensem Paracodes regebat ecclesiam. Victor papa martyrio coronatur, post quem Zephyrinus sedit an. 9. Porro Victore sepulto inter recedentes de sepultura, fertur columba insedisse in capite Zephyrini, qui tūc inter eos erat. Quod videntes tam clerici quam populus, tali signo diuinitus ostenso dignum illum pontificali honore censuerunt, moxq; papa vrbis eligitur. Quidam vero tradunt hoc fuisse gestum, super caput Fabiani papæ post mortem Antheri rom. pontificis. Clodio Albino qui se in Gallia Cæsarem fecerat, apud Lugdunum interfecto, Seuerus in Britannos bellum transtulit vbi vt receptas prouincias ab incursione barbarica faceret securiores, vallum per 132 milia passuum à mari ad mare duxit. Per idem tempus claruit Symmachus elegans interpres post 70 quartus. Tertulianus Afer Centurionis proconsulis filius: omnium ecclesiarum sermone celebratur. Origenes Alexandriæ Clementis auditor, eiusque in docendi officio successor, cœpit opinatissimus haberi: ipsoq; instanter verbum Dei prædicante, multi ex auditoribus eius palmam martyrij consecuti sunt. Inter quos & Potamiena virgo, quæ post innumera tormenta tradita est cuidam Basilidi carnifici ad decolandum, quæ cum duceretur ad mortem, multitudo impudicorum conabatur ei illudere, quam idem Basilides carnifex miserationis obtentu, abigebat ab ea. At illa religiosum viri votum erga se, & propositum humanitatis complexa: Certus esto, inquit, quod cum abiero ad Dominum meum, sine mora boni huius tibi remunerationem parabo. Post hæc constanter martyrium sumpsit. Non multis post diebus Basilides cum inter collegas suos ob quandam causam iuramentum posceretur, ait sibi non licere omnino, pro eo quod esset christianus, & hoc publice fatebatur. Hac de causa pertrahitur ad tribunal, vbi cum perseuerasset in confessione vinculis traditur. Tunc visitantibus eum nostris, narrauit, quod Potamiena virgo, post diem 3 martyrij sui, noctu illi assistens coronam capiti suo imposuerit, dicens, deprecatam se pro ipso dominum, & impetrasse vt secundum quod scriptum est: qui recipit martyrem, mercedem martyris consequatur. Quibus auditis confestim signum Dominicum tradunt, & die postera ob Domini martyrium, capite punitur. Sed & alijs pluribus per illud tempus apud Alexandriam, cum quibus verbo Dei in Origenis scola operam dederat Potamiena, simile munus traditur præstitisse, assistens eis per visum; & coronas martyrij impetratas à Domino deferens. Claruerunt hoc tempore plurimi ecclesiastici viri, nobiles & stilo illustres, ex quibus Heraclitus & Maximus qui de famosissima omnium hæreticorum disseruit quæstione, qua quæritur

Euseb hist. lib. 6. ca. 21.

Idem in Chron.

Idem Hist. lib. 6. cap. 5.

quæritur vnde sint mala, vel vnde sit malitia, vel quod materia facta sit non infecta. Seuerus Eboraci in Britannia moritur relinquens duos filios Bassianum & Getam, quorum Geta hostis publicus iudicatus interijt. Bassianus assumpto regno potitus est. *Oros. ca 17. lib. 7.*

Aurelius Antoninus Bassianus, qui & Caracalla Seueri filius imperat an. 7. hic patre asperior exritit, omnibus autem hominibus, libidine intemperantior, qui etiam nouercam suam duxit vxorem. Sub hoc 5 editio diuinarum scripturarum in Hiericho reperta est in dolio. Post Zephyrinum papam, romanæ Ecclesiæ Callistus præfuit an. 5. Hic constituit ieiunium die Sabbathi, ter in anno fieri: frumenti, vini, & olei secundum prophetiam. Fecit & cœmeterium via Appia quod dicitur Callisti vbi multi sacerdotes & martyres requiescunt. Antiochiæ, post Serapionem Asclepiades, postquem Philetus, & post Philetum Zebennus. Alexandriæ vero post Demetrium Heraclas episcopus ordinatur. Ierosolymæ vero Alexander sacerdotium suscipit, adhuc viuente Narcisso, & cum eo pariter ecclesiam regit. Hic siquidem Narcissus mira sanctitate effulsit qui lampades aqua repletas, oratione ad Deum fusa ardere fecit. Antoninus Caracalla contra Parthos bellum moliens, inter Ædessam & Carras ab hostibus circumuentus, occisus est. Post hunc Macrinus præfecturam prætoriam agens, inuadit imperium, sed emenso anno, continuo apud Archelaidem militari tumultu occisus est. *Idē cap 18.* *Euseb. hist. cap. 6. lib. 6* *Oros. ibidē.*

Marcus Aurelius Antoninus, Antonini Caracallæ vt putatur filius & sacerdos Heliogabali templi imperat an. 3. Hic adeo impudice in imperio suo vixit, vt nullum genus obscœnitatis omiserit Tumultu autem militari Romæ exorto, cum matre peremptus est. In Palæstina, Nicopolis quæ prius Emaus dicebatur vrbs condita est, legationis industriam pro ea suscipiente Iulio Africano scriptore temporum. Per idem tempus fuit Hippolytus, qui inter cætera studiorum suorum opuscula decem nouennalem Paschæ canonem scripsit, quem Cyclum nominauit. *Euseb. in Chron.*

Aurelius Alexander, senatus ac militum voluntate imperator creatus an. 13. regnat. Hic expeditione in Persas facta, Xersem regem eorum gloriosissime vicit, & Vlpiano vsus assessore: summam sui moderationem Reipublicæ exhibuit. Disciplinæ quoq; militaris, tam seuerus corrector fuit, vt quasdam tumultuantes legiones integras exauctorauerit. Sed in matrem suam nomine Mamæam vnice pius fuit, & ob id omnibus amabilis. Alexandro imperante 6 æditio diuinarum scripturarum in Nicopoli Actiaca i Epyro in dolio reperta est. Callisto in vrbe Roma mortuo Vrbanus in pontificatu succedit an. 8. Per idem tempus, memorabilis Origenes claruit, quo in ecclesia post apostolos nullus tanto ingenio viguit, tanto eloquio floruit, tanta postremo in omni virtutum studio excelluit dignitate, Denique B Hieronymus 6 milia librorum eius, exceptis homelijs & epistolis se legisse fatetur. *Idē ibidem*

223.	*Vrbanus an.8.*	*Alexander an.*	247.		*an. 7.*
224.	*mens.11.d.12.*	13.	248.		
225.			249.		
226.			250.		
227.			251.		
228.			252.	*Cornelius an.*	*Decius ā.1.m.3.*
229.			253.	*2.mens.2.d.11.*	*Gallus cum Vo-*
230.			254.	*Lucius an. 3.*	*lusiano an.2.m.3.*
231.			255.	*mens.3.d.3.*	*Valerianus cum*
232.	*Pontianus an.*		256.		*Galieno filio*
233.	*5.mens.2.d.2.*		257.	*Stephanus an.*	*an.15.*
234.			258.	*4.mens.3.d.3.*	
235.			259.		
236.		*Maximus an. 3.*	260.		
237.	*Anter' ā.1 d.15*		261.	*Sixtus an. 2.*	
238.	*Fabianus ann.*		262.	*mens. 11. d. 6.*	
239.	*14. mens. 11.*	*Gordianus an.6*	263.		
240.	*dieb.11.*		264.	*Dionisyus an.*	
241.			265.	*2.mens.3.*	
242.			266.	*Felix an.2.m.*	
243.			267.	*10.dieb.25.*	
244.			268.	*Eutychianus*	
245.		*Philippus cum*	269.	*ā.9.m.10.d.4*	
246.		*Philippo filio*			

Euseb. hist. lib.6.ca.16. Mammæa quoque mater imperatoris fama eius excita, eum ad se Antiochiam venire fecit, cuius doctrina imbuta, fidem Christi recipiens inuiolabiliter custodiuit. De hoc in prouerbio vulgatum est, quod hic esset, qui qualem habebat vitam, talem habebat sermonem. Ex hoc tempore, idem Origenes conscribendi commentarios in scripturas *Ibidē cap.17.* sanctas, initium sumpsit: qui notarios 7 habuit, qui ei incessabiliter astarent, quique sibi inuicem illo pene indesinenter dictante succederent. Scriptores alios tantos, Sed & puellas apprime eruditas in scribendo totidem numero, in hoc ipsum vacare fecit. Ingentis enim studij ipse erat, cui quicquid arcanum & absconditum, in sacris literis tegebatur pene pandebatur. His diebus in vrbe Roma passa est B virgo Cæcilia, & duo inclyti martyres, Tiburtius & Valerianus. Vrbanus quoque papa martyrio coronatur, cui successit Pontianus annis 5 qui postea ab Alexandro exilio deportatus est cum Hippolyto presbytero in Sardiniam insulam, vbi & defunctus est. Post hunc Anterus ponti- *Liber Rom Pontif.* ficatum suscepit anno 1. Hic gesta martyrum diligenter à notarijs exquisiuit & in ecclesia recondidit, propter quendam Maximinum præfectum. Porro Antero martyrium passo, Fabianus substituitur an. 14 Hic regiones diuisit Diaconis & fecit 7 subdiaconos qui 7 notarijs imminerent, vt gesta martyrum in integro colligerent. Alexander Ma-

gontiaci tumultu militari occiditur.

Maximus qui & Maximinus interfector Alexandri, primus ex corpore militari, sine senatus auctoritate, ab exercitu Imperator electus, imperat an. 3. Hic propter christianam Alexandri, cui successerat & Mammææ matris eius familiam, vel præcipue propter Origenem presbyterum persecutionem in sacerdotes & clericos 6 post Neronem exercuit. Sed non multo post à Pupieno Aquileiæ interfectus, persecutionis & vitæ finem fecit. Moxq; Pupienus & Albinus frater eius, vsurparunt imperium: sed statim in palatio perempti sunt. Claruit his diebus Iulius Africanus historiographus, vir inter scriptores ecclesiasticos nominatissimus. *Oros. lib. 7. cap. 19.*

Gordianus admodum adolescens imperat an. 6. Hic ingentibus prælijs aduersus Parthos prospere gestis, cum reuerteretur ad patriam, suorum fraude haud longe à Cyrcesso interfectus est.

Philippus imperator creatus, Philippum filium suum consortem regni fecit, annisq; 7 regnauit. Hic primus omnium imperatorum Christianus fuit, ac 3 imperij eius anno, millesimus à conditione romæ annus impletus est, ob quam solemnitatem innumerabiles bestiæ in circo magno interfectæ sunt, ludiq; in campo martio theatrales, 3 diebus ac noctibus, populo peruigilante celebrati. Ad hunc siquidem Philippum & ad matrem eius Origenes literas fecit, Porro Origenes tam viuacis, & claræ ingenij extitit, quod dialecticam & Geometriam, Astronomiam quoq; & Arithmeticam, Musicam, Grammaticam & Rhetoricam, omniumq; philosophorum sectas ita didicit, vt studiosos quosq; secularium literarum sectatores haberet, & interpretaretur eis quotidie, concurfusque ad eum miri fierent, quos ille propterea recipiebat, vt sub occasione secularis literaturæ in fide christi eos institueret. Sed & tantum studij habuit in scripturis sanctis, vt etiam hebræam linguam contra ætatis, gentisque suæ naturam edisceret, & exceptis 70 interpretibus, alias quoque editiones in vnum congregaret, Aquilæ scilicet Pontici proselyti, & Theodotionis Hebionei, & Symmachi eiusdem dogmatis. Præterea 5 & 6 & 7 editionem, miro labore reperit, & cum cæteris editionibus comparauit. Philippus & filius eius, diuersis in locis nam alter Veronæ, alter Romæ tumultu militari & Decij fraude occisi sunt. *Euseb. in Chron.* *Oros. lib. 7. cap. 20.* *D. Hiero. de script. Eccl. in Origene.*

Decius imperat anno 1. Hic aduersum Christianos septimus post Neronem feralia dispersit edicta, plurimosq; Sanctorum ad coronas Christi de suis cruciatibus misit, qua persecutione martyrizatus est Romæ Fabianus papa qui Cornelium habuit successorem 2 annis romanæ Ecclesiæ præsidem. Hic rogatus à quadam matrona Lucina corpora apostolorum Petri & Pauli de Catacumbis leuauit noctu: Primum quidem corpus B Pauli, B Lucina posuit in prædio suo, via ostiensi, ad latus vbi decollatus est. B vero Petri corpus accepit beatus Cornelius, & posuit iuxta locum vbi crucifixus est, in monte aureo in vaticano palatij Neroniani. Præterea Deciana persecutione feruente, Alexander *Euseb. in Chron.* *Ex lib. rom. Pontif.*

Euseb. lib. 6 cap. 29. Ierosolymorum episcopus, veneranda canicie præfulgens, postea quam frequenter multis passionibus excruciatus glorificauerat Deum, dum de vinculis ad tribunal, & à tribunali reuocatur ad vincula, inter ipsa sibi succedentia tormenta defecit, cui Mazabanes in sacerdotium successit. Sed & Babylas qui Zebenno apud Antiochiam in pontificatu successerat passus est: Postquem Fabius substitutus est. Alexandriæ Dionisyus Heraclæ successit, qui multis sæpe confessionibus clarus, & pro tormentorum diuersitate toto orbe magnifice claruit, & inter auditores Origenis insignissimus fuit. Deniq; non possumus euoluere quantæ multitudines, persecutiones præfatæ, sæuiente procella in desertis & in montibus latitantes, fame, siti, frigore, languore, latronibus, bestijsque consumptæ sunt. His diebus Nouatianus romanæ ecclesiæ presbyter auctore Nouato Cypriani presbytero, hæresim condidit Nouatianorum, qui se catharos i mundos nominabant, lapsis spem veniæ denegantes. Ob quam rem concilium fit in vrbe Roma episcoporum 60 numero, & presbyterorum totidem, in quo statuitur, vt lapsis in certamine misericorditer venia promitteretur, & reconciliatio post dignam pœnitentiam concederetur. Quamlibet enim criminosis pœnitentia non negatur si vita mutetur, & pœnitentia peragatur: Sed quem adhuc peccare delectat, falsum est quod de præteritis vere pœniteat. Antonius monachus in Ægypto nascitur. Decius cum filio suo quem iam Cæsarem legerat in medio barbarorum sinu perimitur.

Gallus Hostilianus, cum filio suo Volusiano imperat an. 2. Per idem tempus Romæ Cornelio præsidente, Carthagini vero S Cypriano ambobus fide virtuteque præcipuis, orta est quæstio in Africæ partibus, vtrum oporteret hæreticos rebaptizari, sed tandem diffinitum est, sola eos manus impositione posse purgari. Porro regnum Galli Hostiliani, cum floreret in initio, & cuncta ei ex sententia cederent, sanctos viros, qui pro pace & prosperitate regni eius Domino supplicabant persequi cœpit, vnde & Cornelius papa martyrizatur. Postquem Lucius an. 3. pontificatum sortitur. Hic præcepit vt 2. presbyteri & 3 diaconi in omni loco episcopum non deserant propter testimonium ecclesiasticum.

Oros. lib 7. cap. 21. Statim exeritur vltio violati nominis Christiani, & vsque ad profligandas Ecclesias edicta decurrerunt, eatenus incredibilium morborum pestis extenditur. Nulla fere prouincia romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit, quæ non illa generali pestilentia correpta atque euacuata sit. Hac sola pernicie insignes, Gallus & Volusianus dum contra Æmilianum nouis rebus studentem, bellum ciuile moliuntur occisi sunt. Æmilianus tamen 3. mense inuasæ tyrannidis extinctus est. Hoc tempore Origenes 70 ætatis suæ anno moritur. In huius viri opusculis, plurima reperta sunt fidei catholicæ contraria, & reprehensione digna, de quo Hieronymus sic dixisse fertur, Origenes vbi bene locutus est, nemo melius: vbi male, nemo peius. Quidam vero dicunt, hæc eius libris odio ab æmulis fuisse inserta. *Cassiod. de instit. diui. lect.*

Valerianus in Rhetia ab exercitu, Galienus romæ à senatu impera-

tores creati imperant an. 15. Porro Valerianus ita primum sanctos venerabatur, vt domus eius, Dei esse Ecclesia crederetur. Sed deprauatus per quendam magum, fidem Christianorum detestari cœpit, & octauus à Nerone Christianos adigi per tormenta ad idolatriam iussit. Multum vbiq; sanguinis funditur, & innumera SS. caterua, martyrij gloria decoratur. Qua persecutione Cyprianus Afer primum Rhetor, deinde presbyter ad extremum Carthaginensis Episcopus, doctrina præcipuus, & omni virtute admirandus martyrio coronatur. Lucius quoq; papa martyr efficitur, cui successit Stephanus an. 4. sacerdotium administrans. Hic cõstituit sacerdotes & leuitas veste sacrata in vsu quotidiano non vti, nisi in ecclesia tantum. Sane Valerianus, non est diu tanti mali impunitate gauisus, nam dum aduersum Saporem regem Persarum congreditur, statim ab ipso capitur, ibique seruitute miserabili consenescit, id infamis officij gerens, vt ipse accliuis humi, semper ascensurum regem in equum, non manu, sed dorso attolleret. Ierosolymæ, post Mazabanem Hymenæus, Antiochiæ post Fabium Demetrianus, Alexandriæ post Dionisyum, Maximus ordinatur episcopus. Romæ Stephano martyrium passo, Sixtus in pontificatum succedit an. 2. Hic B Peregrinum presbyterum ciuemq; romanum ordinauit Episcopum. Marsum vero presbyterum, Corcodonũ diaconum, Iouianum vero virum per omnia eloquentem lectorem esse constituit; & ad Gallias gratia prædicandi direxit, qui nauali tramite massiliam petentes, Lugdunum vsque perducti celare se nullatenus potuerunt. Exinde ad Autricum peruenientes cœperunt publica voce, Christi gloriam prædicare, vbi nobilium ingens tunc resederat turba, deorum vanas obseruans culturas. Sciscitantibus vero paganis Christianos se esse testati sunt: quibus dum Christum annunciant, tam exhibitione signorum, quam prædicationis instantia, quicquid ipsius loci primorum fuit, ad Christianitatis gratiam conuolarunt. Moxque S Peregrinus episcopus paruo ambitu Ecclesiam construxit, Christique nomini consecrauit. Denique inibi omni paganitate deleta, socios ibidem relinquens Interannum expetijt, vbi tunc gentiles ad festa Iouis celebranda summopere concurrebant Porro quid ibi egerit, vel quos agones pro Christo pertulerit, historia passionis eius euidenter declarat. Compleuit autem martyrium suum abscisione capitis sub die 16 Cal. Iuliarum: Interea Sixtus papa dum Romæ præsidet, impetus persecutionis efferuet, in qua ipse & B Laurentius eius archidiaconus, & Hippolytus alijque innumeri, diuersis pro Christo supplicijs sunt necati. Post Sixtum Dionisyus pontificatum tenuit an. 2. Hic presbyteris ecclesias dedit, cœmeteria & parrochias diœcesis constituit. Antiochiæ, Demetriano, Paulus Samosatenus successit, Hic indigna de Christo sentiens, prædicabat eum hominem tantum communis naturæ fuisse, & de terra initium suscepisse, ob quam rem postea apud Antiochiam Episcoporum concilium congregatur, in quo Paulus conuictus est hæreticus, Malchione presbytero viro disertissimo aduersus eum irrefragabiliter disputan-

Euseb. in Chron.

Oros. lib. 7. cap. 22.

S. Peregrini protopræsulis Altiss. martyriu

Autricus eadem vrbs cum Altissiodoro.

Interannus siue Iterannes locus est in territorio vrbis Altiss. vt legitur in Hist. S. Peregr. quæ habetur in Breuiar. Altiss.

te. Paulo itaque deposito, & communione priuato, in locum eius quidam Doninus nomine subrogatus est. Interim vero Galienus romanum regebat imperium, qui dum se in omnem lasciuiam dissoluisset, in vltionem sanguinis Christianorum gentes plurimæ, in omnes romanorum fines inuehuntur. Germani, alpibus, Rhetia, totaque Italia pe-
Oros. lib.7. cap.22. netratis, Rauennam vsque perueniunt. Alemanni gallias peruagantes etiam in Italiam transeunt, Græcia, Macedonia, Pontus, Asia, Gothorum innundatione delentur. Nam Dacia trans Danubium imperpetuum aufertur. Quadi & Sarmatæ Pannonias depopulantur. Germani vlteriores abrasa potiuntur Hispania. Parthi Mesopotamiam auferunt Syriamq; corradunt. Verum cum Galienus lenius ac moderatius circa nostros agere cœpisset, & pacem ecclesijs reddidisset, statim ira Dei in misericordiam versa est. Nam Æmilianus tyrannus apud Moguntiacum cum res nouas moliretur, oppressus est. Marius quoq; qui in Gallijs imperium inuaserat continuo interfectus. Deinde Victorinus Cæsar à Gallis creatus, post paululum occisus est. At vero in oriente per Odenatum quendam collecta agresti manu, victi repulsiq; Persæ defensa Syria, recepta mesopotamia est, & vsq; ad Cthesifontem ciuitatem Syriæ cum Odenato suo vincendo venerunt. Romæ post Dionisyum Felix pontifex substituitur annis 2. Hic constituit super memorias martyrum missas
Ex lib. rom Pontif. celebrari. Porro post Felicem Eutychianus romanæ præfuit ecclesiæ an. 9. Hic constituit fruges super altare, fabæ tantum & vuæ benedici. Hic temporibus suis per diuersa loca 342 martyres manu sua sepeliuit.
Colobium est Tunica sine manicis. Qui hoc constituit vt quicunque fidelium, martyrem sepeliret sine dalmatica aut colobio purpurato nulla ratione sepeliret, quod tamen vsq; ad notitiam sibi diuulgaretur. Galienus cum Remp. deseruisset ac Mediolani libidinibus inseruisset occisus est.

Oros. lib.7. cap. 23. Claudius voluntate senatus imperator creatus imperat an. 1. Hic statim Gothos Illyricum Macedoniamq; vastantes bello adorsus, incredibi strage deleuit, cui à senatu clypeus aureus in curia, & in capitolio

270.		*Claudius an. 1.*	284.		
271.		*mens. 9.*	285.		
272.			286.		
273.			287.		*Carus cũ Carino*
274.		*Aurelianus an.*	288.		*& Numeriano*
275.		*5.*	289.	*Marcellinus*	*Diocle- (an.2.*
276.			290.	*an.7. mens. 2.*	*tianus cum Ma-*
277.			291.	*d.25. & cessa-*	*ximiano an. 17.*
278.	*Caius an.9.m.*		292.	*uit episcopatus*	
279.	*4. dieb. 9.*	*Tacitus mens.6.*	293.	*an.7. mens.6.*	
280.			294.	*dieb. 25.*	
281.		*Probus an.6. m.*	295.		
282.		*4.*	296.		
283.			297.		

298.	304. *Marcellus an.*	
299.	305. 6.	
300.	306.	*Maximianus*
301.	307.	*Galerius cũ Cõ-*
302.	308.	*stantio an. 3.*
303.		

statua æque aurea decreta est: sed continuo apud Syrmium priusquam biennium in imperio expleret, morbo correptus interijt Claudio mortuo Quintillus frater eius ab exercitu imperator creatus, vir quidem vnicæ moderationis, & solus fratri præferendus, 17 die imperij interfectus est.

Aurelianus imperat an. 5. Hic industria militari excellentissimus expeditione in Danubium suscepta, Gothos magnis prælijs profligauit, ditionemq; romanam antiquis terminis statuit: Inde in orientem conuersus, Syriam subiugauit. Hinc ad Gallias veniens nonus post Neronem crudelia in Christianos edicta proposuit. Veniens itaque apud vrbem Senonis quoscunq; Christianos ibi reperit, & S. Columbam gladio animaduerti præcepit, missis quoq; satellitibus sanctos iussit inquiri, & inuentos puniri. Porro funesti satellites, dum huc illucq; discurrerent, S. Priscum cum ingenti multitudine apud pagum Antissiodorensem in loco qui Cociacus dicitur, repererunt, eosque cum in fide inuicti persisterent, pariter trucidarunt. Sanctum quoque Benignum presbyterum, Andochium Tirsum, Simphorianum, Felicem, idem persecutor Aurelianus varijs affecit supplicijs. Sed & alios innumerabiles Christo martyres dedicauit. Galliæ vrbem antea Gennabum dictam, Aureliam nuncupari fecit, castrum Diuionum condidit, romam firmioribus muris cinxit. Iste primus apud romanos diadema capiti intexuit, gemmisq; & aurata omni veste quæ adhuc romanis moribus fere incognita visebatur vsus est. Romæ post Eutichianum Caius pontificatum suscipit an. 11. Hic constituit vt omnes ordines sic ascenderent, Si quis Episcopum fieri mereretur, vt esset prius ostiarius, Lector, exorcista, sequens subdiaconus, diaconus, presbyter, exinde episcopus ordinaretur. Ierosolymæ post Hymenęum Zaddas, Antiochiæ post Domninum Thimotheus, Alexandriæ post Maximum Theonas ordinatur Episcopus. Hoc tempore S. Marcellianus Antissiodorensem regebat ecclesiam, cui successit Valerius. Deniq; Aurelianus cum plurimum sanctorum sanguinem effudisset, fulmen ante eum cum magno pauore circunstantium ruit, ac non multo post in itinere occisus est. Postquem Tacitus imperium obtinet mensibus 6. quo apud Pontum occiso, Florianus mense 3 post quam regnare cœperat apud Tharsũ interfectus est.

Oros. loco suprad. — *Ann. sal. 275.* — *al. Tociacus* — *Ex lib. rom Pontif.*

Probus imperat an. 6. Hic Gallias iam dudum à Barbaris occupatas per multa & grauia prælia, deletis tandem hostibus ad perfectum liberauit. Bella deinde ciuilia duo gessit, vnum in oriente, quo Saturnium tyrannum oppressit, & aliud quo Proculum & Bonosum apud

Oros. lib. 7. cap. 24.

Euseb. lib. 7 cap. 27.

Agrippinam superatos occidit. hoc tempore Manes hæreticus à quo Manichæi dicuntur, malo suo emersit. hic genere Persa vita & moribus barbarus fuit, tam acer ingenio vt dæmonio plenus insanire videretur: Christi se nunc gerere formam conabatur ostendere, nunc se esse paracletum asserebat. Discipulos 12 elegit quos ad predicandum misit dogmata stulta & impia à diuersis hæreticis qui iam extincti fuerant mutuata disseminans, & nostro orbi persica venena propinans. hic inter alia quæ peruersissime adinuenit, duo principia esse asseruit, vnum boni, & alterum mali, vnum lucis & alterum tenebrarum; cum nihil sint tenebræ, nisi absentia lucis, nec aliud malum esse, quam non bonum existere. Antiochiæ post Tymæum Cyrillus ordinatur episcopus. Anatolius Laodicenus episcopus philosophorum disciplinis eruditus, plurimo sermone celebratur. Probus apud Syrmium militari tumultu peremptus est.

Idem Oros. dicto suprà.

Carus Narbonensis imperat an. 2. hic cum filios suos Carinum & Numerianum consortes fecisset imperij, bello parthico postquam duas nobilissimas Parthorum vrbes Colchen & Cthesifontem cœpit super Tigridem fluuium in castris fulmine ictus interijt. Numerianus qui cum patre fuerat, cum ob oculorum dolorem lecticula veheretur, insidijs Apri soceri sui occisus est.

Idē cap. 25.

Diocletianus genere Dalmata scribæ filius, ab exercitu imperator creatus, imperat an. 17. hic mox vt potestatis copiam habuit, Aprum interfectorem Numeriani manu sua interfecit. Carinum deinde quem Carus in Dalmatia Cæsarem reliquerat, flagitiose degentem, difficillimo bello victum extinxit. De hinc cum in Gallia Amandus & Ælianus collecta rusticanorum manu quos Bagaudas vocabant, perniciosos tumultus excitauissent, Maximianum cognomento herculium Cæsarem fecit misitq; in Gallias, qui facile agrestium hominum imperitam & confusam manum militari virtute compescuit. Sed in ipso itinere, Thebæa legio cui B. Mauritius præerat, dum sacrificare renuit, sub præfato Maximiano. Seduni Galliæ in loco Agauno, pro Christo tam fortiter, quam libenter occumbit suo sanguine roseo gloriose perfusa, gloriosissime coronata. Deinde per omnes fines rom. imperij, subitarum turbationum fragores concrepuerunt; Carausio in Britannijs rebellante, Achilleo in Ægypto, cum & Africam Quinquegentiani infestarent. Narseus etiam rex Persarum orientem bello premeret. hoc periculo Diocletianus permotus, Maximianum herculium ex Cæsare focit Augustum. Constantium vero & Maximianum Galerium Cæsares legit. Constantius herculij Maximiani priuignam Theodoram accepit vxorem, ex qua 6 filios fratres Constantini suscepit, Galerius vero filiam Diocletiani duxit Valeriam, & sic ambo vxores quas habuerant repudiare compulsi sunt. Carausius Britannia sibi per 7 annos fortissime vindicata, ac retenta, tandem fraude Allecti socij sui interfectus est. Alectus postea ereptam Carausio insulam per triennium tenuit, quem Asclepiodorus præfectus prætorio oppressit Britanniamq; post

Martyriū S. Mauricij & socioꝝ.

10 annos

ro annos recepit. Constantius vero Cæsar in Galliam primo prælio ab Alemannis profligato exercitu suo, vix ipse subreptus est, secundo autem secuta est satis secunda victoria. Nam paucis horis iuxta Lingonas 60 milia Alemannorum cæsa referuntur. At Maximianus, Quinquegentianos in Africa perdomuit. Porro autem Diocletianus Achilleum obsessum per 8 menses apud Alexandriam cœpit & interfecit, sed immoderata vsus victoria, Alexandriam direptioni dedit, Ægyptum totam proscriptionibus cędibusq; fœdauit. Præterea Galerius Maximianus cum 2 iam prælijs aduersus Narseum conflixisset, tertio inter Gallinicum & Caras congressus & victus, amissis copijs ad Diocletianum refugit, à quo arrogantissime receptus est, ita vt per aliquot milia passuum, purpuratus ante vehiculum eius cucurrisse referatur. Dehinc multas vndiq; copias contrahens, raptim in hostem reuersus, Narseum vicit, & extinctis Persarum copijs, ipsoq; Narseo in fugam acto, castra eius inuasit & immensam vim gazæ persicæ diripuit, captiuos quam plurimos Persarum nobilium abduxit. Reuersus in Mesopotamiam à Diocletiano plurimo honore receptus est, postea per eosdem duces Sarmatæ & Basternæ gentes deuictæ sunt. Interea Diocletianus in oriente, Maximianus Herculius in occidente vastari ecclesias, affligi interficiq; Christianos, decimo post Neronem loco præceperunt, quæ persecutio omnibus fere anteactis diuturnior immaniorque fuit: nam per 10 annos incendijs ecclesiarum, proscriptionibus innocentium, cædibus martyrum incessabiliter acta est. In tantam namq; superbiam Diocletianus mentem extulerat, vt se tanquam Deum faceret adorari, primusq; gemmas vestibus calciamentisq; iuberet inseri, cum ante eum omnes imperatores in modum iudicum salutarentur & chlamydem purpuream, à priuato habitu plus haberent. Nefarijs itaque edictis vbiq; propositis iubentur diuinæ scripturæ comburi, Ecclesiæ vbiq, ad solum dirui, & Ecclesiarum principes trucidari. In diebus Paschæ subuersæ sunt Ecclesiæ, non sexus, non conditio, non ætas excipitur, sed quisquis sacrificare renueret, exquisitis supplicijs necabatur. Flagris alij discerpebantur, alij vngulis fodiebantur, alij ignitis laminis vrebantur. In vrbe Roma Caio martyrium passo Marcellinus in pontificatum succedit an. 7. Huius tempore tanta vis persecutionis efferbuit vt intra 30 dies, 17 milia hominum promiscui sexus, per diuersas prouincias martyrio coronarentur. De qua re & ipse Marcellinus ad sacrificium ductus est vt thurificaret quod & fecit, & post paucos dies pœnitentia ductus, à Diocletiano pro fide Christi cum Claudio & Cirino & Antonio capite truncatus est, A quo die cessauit Episcopatus an. 7. mens. 6. Diocletiana persecutione immaniter sæuiente. His diebus apud Ægeam vrbem passi sunt Cosmas & Damian⁹ inclyti martyres, carne spirituque germani, vno partu editi, vno die martyrij gloria decorati. Hi primo à præside tenti & torti sunt, post in mare demersi sed cælitus eruti, post iniecti ignibus sed illæsi, post lapidati sagittatique sed prorsus intacti, lapidibus & sagittis in ipsos qui iecerant vi

Ann. sal. 300.

Eusebl. lib. 8 cap. 1. 2 & 3.

Ex lib. rom Pontif.

Insigne SS. Cosmæ & Damiani martyrium

diuina retortis, ad vltimum cæsi, capite triumpharunt. Sed & infinitæ multitudines, per omne rom. imperium, diuersis pro Christo punitæ sunt generibus tormentorum. Apud Phrigiam, vrbs quædam Christianorum ciuium, cum omnes simul fidem Christi inconcusse tenerent, iussa est à militibus circundari, & iniecto igne cum omni pariter populo concremari. In Britannia quoque fere deleta est christianitas, quæ à tempore Eleutheri papæ & Lucij eiusdem insulæ regis illic floruerat. Romanæ Ecclesiæ post septemnem episcopatus cessationem, Marcellus præsidet an. 6. Ierosolymæ post Zaddam Termon, Antiochiæ post Cyrillum Traianus, Alexandriæ post Thernam Petrus ordinatur episcopus. Factus est terræmotus circa hoc tempus in Syria, ex quo apud Tyrum & Sydonem passim labentibus tectis, multa milia hominum prostrata sunt. Diocletianus deniq; ab inuito Maximiano exegit vt simul purpuram imperiumq; deponerent, ac iunioribus in rempublicam substitutis, ipsi in priuato otio consenescerent. Itaque sub vna die Diocletianus apud Nicomediam, Maximianus apud Mediolanum potestatem imperij, simulq; cultum deposuerunt. Post quos Galerius Maximianus & Constantinus Augusti, in duas procurationes orientis scilicet & occidentis, primi romanorum imperium diuiserunt. Et Galerius Illyricum, Asiam & orientem. Constantius Italiam, Africam, Hispaniam & Gallias obtinuit. Veruntamen Constantius vir tranquillissimus, Gallia tantum Hispaniaque contentus, Galerio cęteris partibus cessit. Porro Galerius duos post se Cæsares legit, Maximinum, quem in oriente constituit, & Seuerum cui permisit Italiam, ipse in Illyrico constitutus. Hic persecutionem à Diocletiano & Maximiano missam atrocioribus edictis accumulauit, & cum esset nimiæ deditus superstitioni, iussit per orientem vetusta delubra reparari, tantaq; impietate Christianos cepit persequi, vt omnes qui eum pręcesserant Christiani nominis persecutores, magnitudine scelerum anteiret. Sanctorum quippe membris singulis, specialia gestiebat inferre supplicia. Sub huius persecutionis impetu passus est apud Alexandriam, Petrus eiusdem vrbis episcopus, vir inclytus, & maximis virtutibus adornatus. Huic siquidem Petro dum teneretur in vinculis, apparuit pius dominus Iesus in specie pueri, cum ingenti lumine: colobio candidissimo coopertus, quod à summo vsq; deorsum scissum erat, quodq; ambabus manibus ad pectus suum constrinxerat. Quem vir beatus vt vidit ipsum esse Dñm intellexit, & ait Domine, quis scidit hanc vestem tuam? Cui Dominus: Quotidie inde es tectus, & nescis quomodo sit scissa. Hoc mihi fecit Arrius, qui separauit à me populum hæreditatis meæ comparatum sanguine meo. Vide ergo ne ei amplius communices, sed cum presbyteris tuis Achilla & Alexandro, qui tibi in tua sede successuri sunt, eum excommunicatum habe, hæc B. Petrus postea narrauit duobus præfatis presbyteris, & sicut ab ipso prædicta sunt, ita postmodum contigerunt. Nam & Petro martyri Achyllas & Achillæ, Alexander in sacerdotium successit, & Arrius pro sua perfidia apud Constantinopolim postea visceribus

Euseb. in Chron.

Oros. lib. 7. cap. 25.

Ex actis martyrij quæ leguntur apud Sur. tom. 6. die 25. Nou

disruptis interijt. Passus est etiam hac persecutione Pamphilus Cæsariensis presbyter, inter præcipuos tam moribus, quam doctrina præcipuus, qui tantam in Bibliotheca sua librorum copiam adunauit, vt cunctos qui eum in hoc labore præcesserant, superarit. Siquidem in Bibliotheca sua, prope 30 librorum milia dicitur habuisse. Huius vitam describit Eusebius Cæsariensis episcopus, qui & Eusebius Pamphili dictus est, qui etiam eiusdem Pamphili in omni studio & virtute & sacræ Bibliothecę diligentissima peruestigatione ita æmulator extitit vt alter Pamphilus crederetur. Præterea passi sunt sub persecutione prædicta, Lucianus Antiochenus presbyter, in scripturis disertissimus diuinis & *Euseb. in* Quirinus Sciscianus episcopus, qui manuali mola ad collum ligata, è *Chron.* ponte præcipitatus in flumen, diutissime supernatauit, & cum spectantibus collocutus, ne sui terrerentur exemplo, vix orans vt mergeretur obtinuit. Hæc quidem in oriente Galerius, Verum Constantius in occidente, multa clementia erga homines, erga Deum vero, religione magna vtebatur, Qui tandem Eboraci in Britannia diem obijt, & Constantinum filium ex concubina Helena procreatum, imperatorem Galliarum reliquit. Arnobius Rhetor in Africa clarus habetur. Qui cum in *D. Hieron.* ciuitate Siccæ ad declamandum iuuenes erudiret, & adhuc ethnicus *in Chron.* ad credulitatem somnijs compelleretur, neq; ab episcopis impetraret *addito ad* fidem quam semper impugnauerat, elucubrauit aduersus pristinam re- *Euseb.* ligionem luculentissimos libros & tandem velut quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetrauit.

309.		*Constantinus*	325.
310.	*Eusebius an.2.*	*Augustus ann.*	326.
311.	*mens. 2.*	30. *mens.*10.	327.
312.	*Melchiades an.*		328.
313.	3.*mens.*7.*d.*8.		329.
314.			330.
315.			331.
316.	*Siluester an.* 23		332.
317.	*mens.* 10. *d.*11.		333.
318.			334.
319.			335.
320.			336.
321.			337.
322.			338.
323.			339.
324.			

Constantinus igitur 34 ab Augusto, in Britannia gubernacula imperij à Constantio patre suscepit, quæ 30 annis mens. 10 felicissime tenuit qui statim vt imperator creatus est, mira quadam Dei gratia ciuibus charus, exercitui acceptus, viris fortibus imitandus, facinorosis

vero & ignauis terribilis fuit. In vrbe roma post Marcellum papam Eusebius põtificatum tenuit an. 2. Postquem Melchiades substitutus est an. 3. Hic constituit vt nulla ratione die Dominico, aut quinta feria ieiuniũ quis de fidelibus ageret, quia eos dies pagani quasi sacrum ieiunium celebrabant. Post hunc Siluester præfuit an. 24, cuius tempore maxime est deleta gentilitas, & Christianitas dilatata. Vsq; ad hunc Siluestrum quotquot romanæ præfuerunt ecclesiæ, martyres asseruntur fuisse. Ierosolymæ post Hermonem, Macarius. Antiochiæ post Dorotheum Tirannus. Alexandiæ post Petrum Achyllas ordinatur episcopus. Imperante in Gallijs Constantino, & imperij consorte Licinio: Romæ Maxentius Maximiani Herculij filius, à prætorianis militibus imperator creatur, aduersus quem Galerius Augustus Seuerum Cæsarem cum exercitu mitit. Sed Seuerus dum Romam obsidet, à suis deseritur, fugiensq; Rauennæ occiditur. Porro Maximianus Maxentium filium suum deponere nisus imperio, sed repulsus transit ad generum suum Constantinum, vt ipsum quoq; dolis imperio deturbaret: Veruntamen per filiam detectus Massiliæ fugiens occiditur. Interea Galerius cum multis Christianorum cœtibus exhausisset prouincias, alios proscribens, alios inauditis tormentis afficiens, morbo supra modum horrendo correptus est, ita vt ei pectus introrsus putrefieret, dissoluerentur vitalia, per os etiam vermes eructaret. Sed cum medicos, iam eius vltra fœtorem non ferentes, crebro iuberet occidi, quia nihil conferrent remedij: à quodam medico ei responsum est, non hunc humanum esse morbum, sed diuinam vindictam ob sua scelera irrogatam. Quibus commotus imperator edictis late missis imperat proscriptis sua restitui, & à Christianorum persecutione cessari. Ipse autem cruciatus non sustinens miserabiliter interijt. Interim Maxentius in vrbe Roma, plus se tyrannum exhibens quam Augustum, in tanto impuritatis cœno versabatur, vt per vicia cuncta difflueret, nullumq; genus flagitij prætermiteret. Deinde inter Constantinum & Maxentium bellum exoritur. Cum itaque Constantinus de bello imminenti sollicitus, multa secum peruolueret, vidit per soporem in cælo signum crucis rutilans, angelosq; dicentes. Constantine in hoc vince. Tum vero euigilans, de victoria spem concipit, & signum quod viderat tam in fronte sua, quam in militaribus vexillis depingit. His itaq; religionis armis instructus, aduersus hostem progreditur, & ecce Maxentius agitur in occursum & cum exercitu portis Romę proruens, præcurrit armatus. Cumq; vtrimque acriter pugnaretur, & non tam armis quam virtute crucis Constantino victoria cederet, Maxentius exterritus ad vrbem refugit, & pontem quem super fluuium nauigijs dolose sterni iusserat incautus ascendit. Cumq; festinaret, lapsu equi in præceps agitur & in profundum demergitur, quo demerso bellum dirimitur, & Constantinus triumphat. Cumq; triumphanti sibi ob honorem imagines senatus erigeret, vexillum Crucis Dominicæ in dextera sua iubet depingi, & subter ascribi. Hoc est signum inuincibile Dei viui. His ita gestis Maximianus quem

Ex lib. rom. Pontif.

Oros. lib. 7. cap. 28. & Euseb. hist. lib. 8. ca. 18.

Idem lib. 9. cap. 9.

Galerius Cæsarem legerat, aduersus collegam Constantini Licinium bellum parat, contra quem Licinius congreditur, & deuincit. Cumq; ferro Licinij, Maximini exercitus cecidisset, pars quæ superfuerat imperatorem suum deserit, & Licinio victori se subdit. Maximinus fugit, iterumq; instaurat exercitum, vt rursus ineat cum hoste conflictum, sed statim maxima ægritudine corripitur, & interno dolore viscerum vehementer torquetur ita vt morbo, lumina amitteret, & miserabiliter interiret. Diocletianus autem haud procul à Salonis in villæ suæ palatio moritur, & solus omnium priuatus inter Deos refertur. Crispus & Constantinus filij Constantini, & Licinius adolescens Licinij Augusti filius, Constantini ex sorore nepos, Cæsares appellantur, quorum Crispum Lactantius latinis literis erudiuit: vir omnium in suo tempore eruditissimus, sed adeo in hac vita pauper, vt plerumq; etiam necessarijs indiguerit. Post hæc Licinius sororis Constantini coniux, repentina rabie suscitatus, omnes Christianos de palatio suo eiecit multosq; sanctorum vel incarcerat vel occidit, mox bellum inter ipsum & Constantinum efferbuit. Sed Constantinus, Licinium in Pannonia primum vicit, Deinde apud Cibalas oppressit. Vniuersa græcia potitus, Licinium crebris bellis terra mariq; assurgentem & repressum, tandem iussit occidi. Sic itaq; omnibus ministris nefariæ persecutionis extinctis, ad Constantinum monarchia deuenit. Nec mirum si semper vinceret, qui non tam armis, quam signo crucis innitens confideret. Siquidem hoc signum bellicum illi semper inter alia pretiosius erat, quod semper se faciebat præcedere, & ante ordines vniuersos proponi, & à militibus adorari. Vnde & decus imperij romani in signum crucis mutatum est, vt frequenti visione atque cura desuescerent à priore more subiecti, & eum solum arbitrarentur Deum, quem coleret imperator. Constantinum vero à B Siluestro papa baptizatum, eiusdem pontificis actus declarant, vnde plurimum admiramur quid sit, quod tripartita historia asserit, cum distulisse baptismi gratiam, eo quod intenderit in extremo, in ipso flumine iordanis baptizari, quodque rursum dicit. Hunc pijssimum principem in Nicomedia ciuitate, vltimo vitæ suæ anno suscepisse baptismum. Postquam igitur omni Tyrannorum discussa caligine pijssimus imperator, monarchiam orbis adeptus est, christianæ fidei augmenta dedit, gratias deo referens, non sibi arrogans, quod eum Deus habere ministrum consilij sui dignatus sit, quatinus per eum à Britanno mari, vsque ad orientem, christiana religio augeretur, Denique incredibile est memoratu, quam breui eius studio S. creuerit ecclesia. Publico siquidem edicto statuit, paganorum templa claudi sacrificia prohiberi, per diuersa loca ecclesias construi, earumq; in construendo expensas ex imperiali fisco largissime ministrari, ex terra sibi subdita & ex vnaquaque ciuitate, detrahens publico certum vectigal ecclesijs prouincialibus cleroque distribuit, & imperpetuum hoc manere sanciuit Sed & per totum rom. imperium priuilegia singulis ciuitatibus dedit, vt omnis populus christianus, sub Episcoporum ordina-

EusEb. in Chron. an. 319.

Oros. lib. 7. cap. 28.

Hist. trip. lib. 3. ca. 12.

Lib. 1 eius hist. cap. 9

tione libere Domino deseruiret. Signo crucis signari, tam nummum, quam arma, milites fecit. Die Dominico sanciuit à iudicijs vacandum. Supplicium etiam crucis, quod prius apud Romanos erat in vsu lege prohibuit. Antiochiæ post Tirannum Vitalis, Alexandriæ post Achillam Alexander sanctitate præclarus ordinatur episcopus. Huius presbyter Arrius extitit, qui à veritate fidei catholicæ deuians, exitiale plurimis dogma constituit. Qui simul vt primum Alexandriæ vel notus, vel notatus inter confusos vulgo sectatores insectatoresque factus est, ab eodem Alexandro ecclesia pulsus est. Cumque homines quos in errorem seduxerat, etiam in seditionem excitaret, apud Nicæam vrbem Bithyniæ conuentus 318 episcoporum iussu ipsius Constantini factus est, per quos Arrianum dogma exitiale, & miserum esse, euidentissime deprehensum, & omoousij compositione deiectum est, multaq; ibidem alia fuere salubriter instituta. Huic concilio B. Nicolaus Myrræorum episcopus interfuisse asseritur, sicut in verioribus Græcorum historijs reperitur. Repellenda est proinde scriptura quæ dicit, quod vsque ad Iustiniani tempora perdurarit, cum vitæ ipsius historia ipsum Constantini tempore comprobet claruisse, & secundum Chronicorum fidem certum sit quod 200 fere annis Iustinianum, Constantinus præcesserit. Fertur quoque S Agræcius Senonensis Archiepiscopus prædicto affuisse concilio, quem in pontificali sede post beatos Sauinianum Potentianumq; martyres, feruntur isti per ordinem præcessisse quorum nomina infra subjecimus. Leontius, Seuerinus, Audatus, Eraclius, Lunarius, Simplicius, S. Vrsicinus, Theodorus, Siclinus S. Ambrosius. Post S. vero Agræcium isti pontificalem sedem sortiti sunt. Eraclius, Paulus, Leo, quorum idcirco tempora non digessimus quia ad manum habere nequiuimus. Fuit autem vt dicitur Synodus nicæna anno imperij Constantini 20 celebrata. Porro vicennalia Constantini Nicomediæ facta, & sequenti anno Romæ sunt edita. Huc vsque chronica sua perduxit Eusebius Pamphili martyris contubernalis, qui vt ait B Hieronymus in scripturis diuinis studiosissimus, & bibliothecæ diuinæ cum Pamphilo martyre diligentissimus peruestigator, edidit infinita volumina. De quo alibi idem Hieronymus, Eusebius inquit Cæsariensis clauis scripturarum, custosq; noui testamenti multis maior in conscriptione esse à Græcis commendatur. Ab hinc B Hieronymus sui temporis digessit historiam. Per idem tempus Helena Constantini mater fœmina incomparabili fide diuinitus admonita, Ierosolymam adit, & loco sibi cœlitus ostenso, Crucem Domini & clauos dominicos reperit, & omnibus rite dispositis, partem preciosi ligni, desiderabile munus, filio detulit: partemque thecis argenteis conditam dereliquit, templo ibidem mirifico regia ambitione constructo. Sed hic insolubilis exoritur controuersia, cum legatur in gestis pontificum, quod sub Eusebio papa Crux Domini sit inuenta: Sed nec satis mirari possumus quomodo illa apocrypha scriptura, in qua plenius describitur huius inuentionis fictitiæ historia, ad legendum sit in ecclesiam introducta. Nam nul-

Oros. loco cit.

Conc. Nicænum.

S. Agræcius Archiep. Seno.

D. Hieron. de script. eccl. in Euseb.

Ruff. Hist. Eccl. lib. 10. cap. 7. & 8.

Ex lib. rom Pontif.

latenus stare potest si temporum series discutiatur & veritas inquiratur. Ibi enim traditur quod Constantinus an. 6 regni sui, dimicaturus contra barbaros super Danubium, tunc ei signum crucis cœlitus sit ostensum: cum teste Eusebio temporum descriptore verissimo, hac visione tunc sit lætificatus, cum circa pontem Miluium esset cum Maxentio conflicturus. Asserit quoq; idem Eusebius se ab ipso Constantino audisse referente, quod circa meridiem, declinante iam sole viderit crucis signum ex lumine factum, & scripturam consignatam ei dicentem, In hoc vince. Dumq; cogitaret quid esset, nox superuenit & dormienti Christus apparuit cum signo quod viderat in cœlo, iussitq; vt signum hoc depingeret, quo semper de hostibus triumpharet. Consideremus nunc, & singula refellamus. Refertur ibi quod Ierusalem deserta tunc esset, cum innumeræ testentur historiæ quod eam Ælius Adrianus extruxerit & ex suo nomine, Æliam nuncuparit. Refertur ibi quod 3 milia Iudæorum, tunc illic inuenta sunt: cum à prædicti imperatoris tempore, vsq; in præsens, prorsus Iudæi à Iudeæ finibus sint exclusi. Proinde Episcopis & circuncisione cessantibus, illic constitui ex tunc Episcopi cœperunt ex gentibus. Porro refertur ibi Constantinum ab Eusebio papa suscepisse baptismum, cum in hoc reclament actus B Siluestri, qui & si videantur apocryphi, tripartitam relegamus historiam; in qua nobis aliud innuitur de baptismate Constantini Quod autem Constantinum, nequaquam baptizauerit Eusebius, facile conuincitur si tempus pensetur. Siquidem Eusebio præsulante, & post ipsum aliquanto tempore persecutionis adhuc rabies grassabatur. Vnde & Siluester, secundus post Eusebium pontifex, montem Soractem petijt, vt lateret, eo quod adhuc persecutio deseuiret. Sub Siluestro autem innumeris attestantibus historijs, initiatus est Constantinus fidei christianæ mysterijs, & detumescente turbine persequentium, recepit Ecclesia pacem, pariter & prouectum. Deniq; refert illa pseudoscriptura quod Quiriacus Ierosolymorum præfuerit ecclesiæ Constantino regnante, cum in Catalogo patriarcharum qui Ierosolymis præfuerunt, nomen eius nullatenus reperiatur ascriptum, præsertim cum luce clarius constet, Macarium sub Constantino Ierosolymorum fuisse Episcopum, qui & Nicæno concilio affuit, & inter cæteros confessores mirabili sanctitate præfulsit. Sub quo & regina Helena Ierosolymam venit, inuenitq; Crucem Dominicam. De isto vero Quiriaco nusquam fit mentio, vt pote qui non fuerit, sed fuisse confictus sit, aut si fuit plane tempora ista non habuit. Absurdum vero est credere cæteris Ierosolymæ patriarchis in ordine digestis, istum fuisse Quiriacum aut obliuione aut negligentia prætermissum. Confutandum est igitur, quod sic & auctoritas refellit & ratio: arbitrandumque est figmentum esse falsitatis, cum ibi nullum eluceat vestigium veritatis. Quod si quis asserat hoc ideo esse tenendum, quia recitari in ecclesia ex longa consuetudine sit inductum, sciat, quia vbi ratio repugnat vsui, necesse est vsum cedere rationi. Sed de his hactenus, nunc intermissum ordinem

Euseb. in vita Constāt. lib. 1. ca. 23.

Auctor Chronici histo. inuct. Dominicæ Crucis discutit.

Ruff.lib.10 cap.8. repetamus, Beata igitur Helena Cruce Dominica, cum clauis inuenta, quibus Dominicum corpus fuerat affixum, cum parte ligni salutaris clauos ipsos portat ad filium, ex quibus ille frenos composuit quibus vteretur ad bellum, & ex alijs galeam, nihilominus belli vsibus aptam fertur armasse. Postea idem princeps fretus pietate, Sarmatas, Gothos, aliasq; barbaras nationes nisi qui vel amicitijs & deditione sui præuenerant, in solo proprio armis edomuit. Etenim quanto se religiosius, & humilius Deo subiecerat, tanto amplius ei Deus vniuersa subdebat. Floruit hoc tempore S Antonius monachorum regula, Anachoretarum forma, exemplar virtutis, speculum sanctitatis. Ad hunc Constantinus literas suppliciter misit, vti pro se, ac liberis suis domino supplicaret. *Athan. in vita Anton.* Donatus hæreticus agnoscitur, à quo per Africam Donatistæ. Antiochiæ post Vitalem Philogonus ordinatur episcopus, cui succedit Paulinus, postquem Eustachius. *D. Hiero. in Chron.* Quo in exilium truso, ob fidei testimonium, Arriani Ecclesiam occuparunt, Quorum idcirco non digessimus tempora quia non eos iudicauimus Christi episcopos sed potius inimicos. Alexandriæ post Alexandrum Athanasius vir mirabilis & æterna memoria dignus, pontificatum suscepit. Quantas hic persecutiones pro fide catholica sustinere meruerit, tripartita historia, & liber vitæ ipsius, quamuis non ad plenum, tamen ex parte commemorant. Hic pro integritate Catholicæ fidei ostendenda, *Quicunq; vult. &c.* composuit. In Antissiodorensi Ecclesia post Valerium, Valerianus successit. *S. Valerianus 4. Antiss. Episco.* Hic vir miræ simplicitatis & sanctitatis extitit qui cum à progenitoribus S Amatoris ad eius fuisset nuptias venire rogatus, vt vtrosque benediceret, Dei nutu arrepto sacramentorum libello, pro benedictione coniugali leuiticam eis imposuit. Hic etiam cum cæteris coepiscopis Senonensi, Carnotensi, Trecensi, Meldensi, & Parisiensi, S Euurtium Aurelianorum ordinauit Episcopum. *S. Euurtius factus Aurelian. Episc.* Porro S Euurtius romanæ Ecclesiæ subdiaconus tunc Aurelianis forte deuenerat in peregrino habitu constitutus, vbi tunc conuenerant quamplures Episcopi ciuitati pontificem electuri. Cumq; triduano ieiunio celebrato, omnes orationi incumberent, sanctusq; Euurtius iuxta ecclesiæ ianuas staret, ecce columba per fenestram aduolat Ecclesiæ & supra caput eius visa est insedisse. Mox cum omnium fauore eligitur, & in pontificem sublimatur Hic cum quadam die mysteria sacra conficeret, super eum apparuit manus, sicut nix candida tertio benedicens oblata. Romæ Constantinus extruxit Domino Saluatori, & S Ioanni baptistæ ecclesiam intra Lateranense palatium, quam voluit esse caput & verticem omnium ecclesiarum, in qua etiam baptisterium consecrauit quod est ex lapide porphyretico, & exornauit illud intus argento purissimo, & posuit in medio eius columnam porphyreticam, quæ gerebat phialam auream, vbi ardebat die ac nocte balsamum probatissimum. *Ex libell. de munif. Constantini.* Fecit & basilicam B Petro apostolo in templo Apollinis, cuius loculum cum corpore ære, & cupro omni ex parte conclusit 5 pedibus grosso. Fecit & Basilicam B Paulo apostolo, cuius corpus ita reclusit sicut B Petri.

Fecit &

Fecit & basilicam in palatio Sessoriano vbi de ligno S. Crucis posuit, & in auro & gemmis conclusit, quam nominauit Ierusalem. Fecit & basilicam S. martyris Agnetis, rogatu filiæ suæ. Fecit etiam basilicam B Laurentio martyri via Tiburtina. Ædificauit præterea Bizantium maritimam ciuitatem, diuersisq; fabricis adornauit, & duas inibi construxit Ecclesias, quarum vnam Irenem apellauit, alteram apostolorum titulo dedicauit. Omnes quoque pene nobiles romanorum Consulares viros, & ordinem Senatorum, cum vxoribus & liberis eo transtulit, & ex suo nomine Constantinopolim vocauit, & in tantum prouexit, vt sola Romæ tot seculis miserijsque prouectæ, forma & potentia merito possit æquari. Priuilegium vero romanæ sedis SS. Apostolis Petro & Paulo, & S. Syluestro eiusq; sequacibus inperpetuum reliquit. Sanciuit etiam & instituit testamento, vt omnia quæ ad ecclesiasticum ordinem pertinent, romani pontificis iudicio dispositionem accipiant. Imperialem vero sedem apud Constantinopolim statuit, dignitate tamen Romani, non Constantinopolitani imperatores apellati sunt qui post eum imperium tenuerunt. Vnde & Constantinopolis dicta est altera Roma, & circa eam regio, Romania. Præterea cum consilio Augusti S. Syluester post Nicænum concilium, aliud quoque in vrbe roma concilium 277 episcoporum celebrauit, in quo Arium & Fotinum, Sabelliumque damnauit. Hic constituit ab episcopo chrisma confici, & vt baptizatum consignet, & vt liniat presbyter chrismate leuatum de aqua. Et vt nullus laïcus crimen clerico audeat inferre, Et vt Diaconi Dalmaticis in ecclesia vterentur. Et vt nullus clericus propter causam quamlibet, in Curiam intret, nec ante iudicem causam dicere nisi in ecclesia, & sacrificium altaris non in serico neque in panno tincto celebrari nisi tantum in lineo, sicut Corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone linea & munda sepultum est. Iuuencus Presbyter natione Hispanus Euangelia heroicis versibus explicat. Nazarius rhetor insignis habetur qui filiam habuit quæ etiam patri in eloquentia coæquata est. Pestilentia & fame innumerabilis multitudo in Syria Ciliciaque perijt. Romæ post Siluestrum Marcus pontifex subrogatur annis 2. Hic constituit vt episcopus Ostiæ qui consecrat episcopum vrbis Romæ pallio vteretur. Constantinus donec vixit, habitum regium gemmis, & caput suum perpetuo diademate exornauit, Nutriuit semper bonas artes sed præcipue studia literarũ, nunc legens, nunc scribens aut meditans. Tricennalibus suis Dalmatium Cæsarem legit. Sciendum est autem quod Constantinus duos fratres habuerit, non quidem ex eadem matre, sed ex eodem patre quorum vnus Dalmatius, alter Constantius vocabatur: & Dalmatius quidem sui nominis habuit filium, quem diximus in tricennalibus Constantini Cæsarem constitutum. Constantius vero duos habuit filios, Gallum scilicet & Iulianum, quorum Gallus modico tempore sub Constantio Augusto Cæsar factus, sed ab ipso peremptus fuit. Iulianus vero imperium postea solus obtinuit. Constantinus cum bellum pararet in Persas in villa publica iuxta Nicomediam, dispositam

Ex lib. pontif. Damasi Papæ in Syluest.

bene rempublicam filijs tradens, diem obiit anno ætatis 66. Poſtquem 3 eius liberi Conſtantinus, Conſtantius & Conſtans ex Cæſaribus apellantur Auguſti

340.	*Marcus an. 2.*	*Conſtantinus cū*	354.		
341.	*menſ.8.d.20.*	*Conſtantio &*	355.	*Liberius an.10.*	
342.		*Conſtante fra-*	356.	*menſ.7.*	
343.	*Iulius ann. 11.*	*tribus ſuis ann.*	357.		
344.	*menſ.2. d.7.*	24.	358.		
345.			359.		
346.			360.		
347.			361.		
348.			362.		
349.			363.		
350.			364.		*Iulianus ann. 1.*
351.			365.	*Felix an.1.*	*menſ.8*
352.			366.	*Iterum Libe-*	*Iouinianus mēſ.*
353.				*rius an. .*	7.

Conſtantius cum Conſtantino & Conſtante fratribus ſuis adeptus imperium imperat an.24. Fuit inter ſucceſſores Conſtantini & Dalma-
Oroſ. lib. 7. tius Cæſar fratris filius, ſed continuo factione Conſtantij patruelis & tu-
cap. 29. multu militari occiditur. Imperauit autem Antiochiæ Conſtans, Romæ Conſtantius, Conſtantinopoli Conſtantinus. Conſtantius autem in regno confirmatus magis Arrianis quam orthodoxis fauere cœpit: factus eſt enim Arrio cæteriſq; eius diſcipulis promptus aditus & facilis via. Suadetur Conſtantio vt quoſdam in Deo gradus credat, & qui per ianuam ab errore idolatriæ fuerat egreſſus, rurſus in ſinum eius dum in Deo deos quærit tanquam per pſeudothyrum inducitur. Peruerſo igitur zelo poteſtas armatur illuſa, & ſub nomine pietatis, vis perſecutionis agitatur. Tanta denique rabies Arrianorum & cæterarum hæreſum hoc tempore efferbuit vt in multis ciuitatibus epiſcopi & diuerſi ordinarentur. Antiochia enim Alexandria, & Conſtantinopolis multo tempore, binis ſiue trinis præſulibus diuidebantur in ſemetipſis, & interdum miſerabili contentione diſſentiebant, cædeſq; plurimas catholicis ingerebant. Celebrata ſunt hoc tempore plura concilia propter Arrij infidelitatem nequiſſimam, cuius complices multarum vrbium præſules, dolo inimici decepti ſunt, errantes & in errorem mittentes. Siquidem 5 imperij Conſtantij anno actum eſt Antiochiæ epiſcoporum 70 concilium, vbi Nicæna fides confirmata eſt. Item in Syrmio fuit Concilium vbi Fotini dogma, & Sabellij Libyenſis & Pauli Samoſateni damnatum eſt, & recta fides expoſita ſub præſentia Conſtantij, Hoc tempore multæ orientis vrbes terræmotu horribili conciderunt. Conſtantinus dum Conſtantem fratrem bello inſectatur incauta petulantia periculo ſeſe offerens, à ducibus eius iuxta Aquileiam occiſus

eſt. Romæ poſt Marcum Iulius 11. annis ſedit. Hic conſtituit vt nullus clericus cauſam quamlibet in publico ageret niſi in eccleſia. Floruit hoc tempore Hilarius Pictauienſis epiſcopus, qui nimia profunditate ſubtilis, & cautiſſimus diſputator, altas ſcripturarum diuinarum abyſſos in medium reuerenter adduxit, theſaurus ſcientiæ, lux doctrinæ, cuius dicta qui legerit non credit dicere ſed tonare. Floruit & Euſebius natione Sard* & ex lectore romanæ vrbis Vercellenſis epiſcopus. Maximus quoque Treuerenſis à quo Athanaſius Alexandrinus, cum à Conſtantio quæreretur ad pœnam honorifice ſuſceptus eſt. Hi omnes & doctrina præcipui, & ſanctitate præclari, velut luminaria quædam eccleſiæ immobileſque columnæ, magnam fidelibus conſtantiam verbo fidei, atq; miraculis, in tanta perſecutione prębuerunt. Erat enim eccleſiæ facies tunc deformis, cum hinc premerentur catholici, hinc inualeſcerent Arriani. His diebus Sapor rex Perſarum Meſopotamia vaſtata, duobus ferme menſibus, Niſibin romanis ſubiectam obſedit, in qua tunc erat pontifex vir ſanctiſſimus nomine Iacobus, cuius meritis vrbs illa fugatis hoſtibus, diuinitus eſt liberata hoc modo. Rex ſiquidem præfatus, ingenio fecit aquas continere mygdonij fluuij qui per mediam vrbem præterfluebat, fecit hoc in ſuperiori parte, ſpem habens vt impetus retenti fluuij poſtea irruendo, muros ciuitatis euerteret quod ita accidit. Dilapſis igitur violentia irruentis fluuij muris, illo die non ſunt hoſtes vrbem ingreſſi propter inundantiam aquæ, quæ cuncta repleuerat, operiebanturq; vt diluculo vniuerſa pro ſuo libitu diriperent. Mirum dictu facto mane, muri ciuitatis vndiq; erecti & integri, diuina virtute reperti ſunt. Quædam etiam fulgens inſolita claritate perſona, ſupra murum ab hoſtibus viſa eſt, ita vt rex Perſarum putaret imperatorem hunc eſſe, qui diademate et purpura tam mirabiliter reſplendebat. Minabatur etiam rex ſuis qui illi aſſeruerant ibi imperatorem non fuiſſe. Sagittam igitur contra illum dirigere imperauit vere inſanus qui incorporeum, corporali ſe iaculo transfodere poſſe arbitrabatur. Intellexit demum rex cœleſtem hanc eſſe perſonam: & ait, Deum bella gerere pro romanis. Videntes hoc ciues, S. pontificem exorabant, vt hoſtibus mala imprecaretur. Ille vero oratione ad Deum fuſa, innumerabiles cinyphes in hoſtes inferri obtinuit, quarum aculeis conſtricti in fugam omnes conuerſi ſunt. Sic quoque liberauit Deus à paganis vrbem meritis electi antiſtitis ſui. Fertur etiam hic beatus vir non ſolum virtutum excellentia, ſed etiam ſpeciali claruiſſe doctrina, & plurima conſcripſiſſe. Neocæſaria in ponto ſubuerſa eſt, excepta Eccleſia & epiſcopis cæteriſque qui ibidem reperti ſunt. Dirachium terræmotu corruit. Per loca etiam alia facti ſunt terræmotus multi & magni, quibus multi populi perierunt. Sed & Roma 3 diebus ac noctibus nutauit, & pericula populo minabatur: plurimæq; campaniæ vrbes vexatæ ſunt. Euſebius epiſcopus Emeſenus Arrianæ ſigniſer factionis, multa & varia deſcribit. Solis facta defectio. Conſtans aduerſus Perſas & Saporem, qui Meſopotamiam vaſtauerat, 9 prælijs

Lib. 5. Hiſt. Trip. cap. 4.

D. Hieron. in Chron.

Oroſ. loco ſuprad.

parum proſpere decertauit. Nouiſſime ſeditione atque intemperantiâ militum, nocte adoriri pugnam coactus, patratam pene victoriam inſuper victus amiſit. Poſt cum ſe intolerandis vitijs dediſſet, ac pœna prouincialium, fauorem militum compararet, Magnentij dolis in oppido, cui Helena nomen eſt in proximo Hiſpaniæ interfectus eſt. Magnentius enim apud Auguſtodunum arripuit imperium, quod continuo per Galliam, Africam Italiamq; porrexit. In Illyrico autem Veteranionem ætate grandæuum, imperatorem ſibi milites creauerunt, virum natura ſimplicem, cunctiſq; iucundum, ſed qui ne prima quidem vnquam elementa literarum didiciſſet. Itaq; cum primas literas, literarumq; ſyllabas imperator ſenex interdum intentus meditaretur, à Conſtantio deponere iuſſus imperium, abijciens cum literis purpuras, palatium ſimul ſcholamque dimiſit. Nepotianus deinde Romæ Cóſtantini ſororis filius, inuadit imperium, qui deinde cum improbus eſſet, à Magnentianis ducibus oppreſſus eſt, caputque eius pilo per vrbem circumlatum. Sequitur bellum illud horribile inter Conſtantium Magnentiumque, apud Murſam vrbem geſtum, in quo multa Romanorum virium profligatio etiam in poſterum nocuit, Magnentius tamen victus aufugit, ac non multo poſt apud Lugdunum propria ſe manu interfecit. Decentius quoque frater eius, quem Cæſarem Gallis præfecerat, apud Senonas laqueo vitam finiuit. Continuo Conſtantius Gallum patrui filium Cæſarem elegit: quem rurſus crudeliter ac tyrannice agentem, paulo poſtquam crearat occidit. Romæ poſt Iulium Liberius pontificatum tenuit an. 10. Hic pro fide catholica à Conſtantio in exilium detruſus eſt, quo facto omnes clerici iurauerunt, vt nullum alium ſuſciperent. Verum Felice Liberij preſbytero ab Arrianis in ſacerdotium ſubſtituto, plurimi peierarunt. Qui tamen Felix fidem Nicænam inconcuſſe ſeruauit, & celebrans Romæ concilium cum duos ibi preſbyteros Vrſaticium & Valentem agnouiſſet infectos Arriana peſte, Conſtantio conſentire, eos à conclio expulit, & ab eccleſiaſtica communione præcidit. Vnde indignatus Conſtantius, Felicem depoſuit, & Liberium reuocauit, qui deinceps tædio victus exilij, in hæretica prauitate ſubſcripſit. Facta eſt proinde perſecutio in clero & populo, ita vt intra eccleſiam preſbyteri & clerici tum ab Arrianis, non prohibente Liberio, ſint necati. Qua perſecutione B. Euſebius preſbyter quodam cubiculo incluſus occubuit, Felix vero depoſitus ceſſit in quendam locum non longe ab vrbe, ac poſtea pro fide capite plexus eſt. Ieroſolymæ poſt Macarium, Maximus ordinatur Epiſcopus. Poſtquem eccleſiam Arriani inuadunt 1 Cyrillus Eutichius, rurſum Cyrillus Hireneus, tertio Cyrillus Hilarius, quarto Cyrillus. Quorum Cyrillus cum à Maximo fuiſſet preſbyter ordinatus, & poſt mortem eius ita ei ab Acatio epiſcopo Cæſarienſi & cæteris epiſcopis Arrianis epiſcopatus promitteretur, ſi ordinationem Maximi repudiaſſet, Diaconus in Eccleſia miniſtrauit. Ob quam impietatem ſacerdotij mercede penſatus, Heraclium quem moriens Maximus in ſuum locum ſubſti-

Ex lib. pontif. Damaſi P. in Liberio.

D. Hieron. in Chron.

tuerat, varia fraude sollicitans, de episcopo in presbyterum regradauit. Constantinopoli post Alexandrum ordinatur Paulus, in parte vero Arrianorum Macedonius. Sed post paululum de tali ordinatione, Constantius imperator indignatus, Eusebium Nicomediæ Episcopum fecit transmigrare in Constantinopolim, & illam ecclesiam gubernare, qui Omousianorum omnimodum erat inimicus. Hic Synodum iterum fieri petijt à Constantio & impetrauit. Facta est conuocatio episcoporum in Antiochia Syriæ: venerunt itaq; illuc episcopi 90 vbi fides transformata est Nicæni concilij. His gestis, Paulus recuperat sedem suam Constantinopolis, quod imperatori valde displicuit. Contra hunc rursus Arrianus Macedonius a quo hæresis Macedoniana insurrexit, eiectoque Paulo ecclesiam recepit. Porro Paulus crudelitate præfecti Philippi fautoris Macedonij & Arrianorum insidijs strangulatur. Arrianus igitur sæuientibus & persecutionem mouentibus, Constantius fauens parti eorum catholicos episcopos in exilium iubet trudi, inter quos Eusebius Vercellensis, qui postmodum gloriosus martyr effectus est, & Hilarius pictauiensis, Lucifer Caralitanus, Dionysius Mediolanensis illustres episcopi, & Pancratius quoq; Romanus presbyter & Hilarius diaconus exilio sunt damnati. Hoc tempore Antonius monachus eremi cultor, & totius religionis exemplar 105 ætatis anno migrauit ad Christum cuius sepultura longo tempore fuit incognita. Hic diuinitus admonitus interiora deserti nimio feruore penetrans, S. Paulum reperit primum eremitam iam centenarium, qui 60 annis in eremo conuersatus, diuinitus sibi victu administrato, coruo baiulo vixerat. Huius animam de corpore egressam, postmodum vidit S. Antonius inter apostolos & patriarchas assumptá, & dignissime collocatam. Corpus vero ipsius leone comitante, diuino nutu sepeliuit. Sarmata, Amathas & Macharius discipuli Antonij insignes habentur, quorum Sarmata à Sarracenis in monasterium B. Antonij irruentibus postea est peremptus. Timothei apostoli reliquiæ, & ossa Andreæ apostoli, nec non & Lucæ Euangelistæ à Constantinopolitanis miro fauore suscepta sunt. Synodus apud Ariminum & Seleuciam Isauriæ facta est, in qua patrum antiqua fides decem primo legatorum, dehinc omnium proditione damnata est. Omnes pene toto orbe ecclesiæ sub nomine pacis & regis Arrianorum consortio polluuntur. Victorinus Rhetor natione Afer & Donatus Grammaticus præceptor Hieronymi clari habentur. Paulinus Treuerorum episcopus in Phrygia ob fidem exulans moritur. Nicomedia terræmotu funditus euersa est, vicinis vrbibus ex parte vexatis. Nata est in Syria hæresis Antropomorphitarum, Syro quodam Audeo nomine, huius peruersi dogmatis inuentore. Hic nempe fatue intelligens quod scriptum est, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, humanam formam asserebat habere Deum, partibusq; corporeis circumscriptum. Nam quod scriptura plerumq; commemorat Deum oculos habere, vel manus cæterasque huiusmodi corporis partes, nequaquam intelligenda est corporalis formæ distinctio,

D. Hieron. in vita S. Pauli.

Idem in Chron. an. 363.

Epiph. tom. 1. lib. 3. hæres. 70.

sed potius quædam potentiæ spiritales. Hoc tempore, Antissiodorensem regebat ecclesiam Valeriani successor Eladius. Ad hunc S. Amator & sponsa eius venerunt, seque virginitatis propositum velle tenere professi sunt, quorum vota considerans, alteram religiosarum numero, alterum clericatus assignauit officio. Hilarius cum apud Constantinopolim librum pro se Constantio porrexisset, ad Gallias rediit propriamque sedem recepit, & ab Ariminensis concilij perfidia, Galliam sanæ doctrinæ profusione defendit. Constantius Augustus 19 imperij sui anno, Iulianum patruelem suum Galli fratrem sublimat in Cæsarem, dansq; ei coniugem Constantiam sororem suam, contra barbaros eum destinauit ad Gallias. Hic Iulianus ab initio christianus tam secularibus quam diuinis literis fuit eruditus. Sed post ex christiano in paganum declinans vt interim suspicionem celaret, attonsus monachicam simulabat vitam, deniq; in ecclesia Nicomediæ lector est constitutus. Itaque à Constantio Cæsar factus euersas oppressasq; Gallias ab hoste strenuissime in integrum restituit, Alemannorum paruis copijs, magnam multitudinem strauit, Rheno Germanos reuinxit. His elatus successibus fastigium vsurpauit Augusti, & mox Italiam Illyricumq; peruadens, Constantium Parthicis prælijs occupatum, regni parte priuauit. Constantius Iuliani scelere comperto, dimissa expeditione Parthorum, dum ad ciuile bellum reuerteretur in itinere inter Ciliciam Capadociamq; defunctus est. Ita factum est vt qui ecclesiæ vnitatem disciderat, totum tempus imperij bellis tam in consanguineos quam in externos duceret inquietum, ac sub eo acciderent innumeræ tam populorum quam locorum ruinæ quas superius ex parte retulimus.

Eladius Episcop. Altissiod.

Lib. 6. Hist. trip. cap. 1.

Oros. lib. 7. cap. 29.

Iulianus iamdudum Cæsar, post autem Augustus imperat anno 1. m. 8. Hic christianam religionem arte potius quam potestate insectari cœpit, honoribus magis illiciens quam tormentis impellens. Aperto tamen præcepit edicto, ne quis christianus, docendorum liberalium studiorum professor esset. Sed tamen omnes vbiq; propemodum præcepti conditiones amplexati, officium quam fidem deserere maluerunt: inter quos etiam Prohæresius Atheniensis Sophista cum sibi specialiter Iulianus concederet vt Christianos doceret, scolam sponte deseruit. His diebus Eusebius Vercellensis, & Lucifer Caralitanus episcopi de exilio reuertuntur: e quibus Lucifer ascitis alijs duobus confessoribus, Paulinum Eustachij episcopi presbyterum, qui se numquam hæreticorum communione polluerat, in parte catholica Antiochiæ episcopum facit. Siquidem ante hunc Paulinum Acatius & Georgius Arriani episcopi Meletium Sebastiæ Armeniorum episcopum Antiochiam transtulerant, qui tamen non multo post cum presbyteros qui ab Eudoxio antecessore suo depositi fuerant suscepisset, exilij iustissimam causam subita fidei mutatione delusit. Georgio per seditionem populi incenso, qui in locum Athanasij ab Arrianis ordinatus fuerat, Athanasius Alexandriam redit. Iulianus paulatim erga idolorum cultum fortius insanire cœpit, templaq; reserari præcepit. De hinc publice iubet edici, vt

Idem ca. 30 eiusdē lib.

D. Hiero. in Chron.

Christiani milites aut sacrificarent, aut cingulum militare deponerent. Dicebat enim procurationem prouinciarum, militiæ cingulum, & iuris dicendi officium Christianis non debere committi, vt pote quibus lex propria gladio prohibeberet vti, in quaquidem persecutione, multi ex nostris voluntate propria corruerunt, multi vero in fide viriliter persistentes, palmam martyrij perceperunt. Inter quos Ioannes & Paulus Constantiæ, magni Constantini filiæ cubicularij, glorioso sunt martyrio coronati. Tunc Arthusij & Gazæi sacrarum virginum diuiserunt vteros & ordeo cumularunt, & porcis ad comedendum dederunt. Heliopolitani Cyrillum diaconum non solum peremerunt, sed etiam secantes ventrem ex eius iecore comederunt: Sed non impune, nam huius auctores sceleris, dentes & linguas visumque perdentes, tabe consumpti sunt. Arethusij Marcum suæ vrbis episcopum, sanctitate & canicie reuerendum, primum per plateas tractum ac dilaceratum, truncatum auribus, graphijs transfixum à pueris, dehinc in fœtentia loca depositum, post liquamine ac melle perunctum, appendentes in sporta exposuerunt vespis & apibus comedendum. Innumera quoque alia in omni terra & mari, ab impijs contra pios commissa sunt. Tunc maxima ecclesiæ vastatio fuit, & paganitas vehementer efferbuit. Tunc Hilarion monachus vita & signis admirandus, & plurium in palæstina monasteriorum fundator, per diuersa fugiebat loca, cupiens latere nec valens, quia nomen eius & sanctitas vbique per dæmones vulgabatur. Per idem tempus Valentinianus postmodum imperator erat millenarius, & circa palatium constitutus. Hic zelum quem pro pietate habuit non celauit, dum enim quadam die quoddam templum ingrederetur Augustus, & ex vtraque parte ianuarum, astarent ministri templi, qui aspersione aquæ, sicut ipsi dicebant purgarent ingredientes, Valentinianus præcedens principem, aspersionis guttam sua vidit in chlamyde. Et indignatus, pugno, templi ministrum percussit, dicens se illa aspersione maculatum potius quam purgatum. Quod respiciens imperator, iussit eum in custodiam recipi, & demum ad eremum destinari. Iudæis quoq; licentiam dedit, templum in Ierosolymis reparandi, qui ex diuersis locis conuenientes cum omnia reædificationi templi necessaria præparassent, terræmotus ingens oboritur, & non solum fundamentorum saxa longe iactantur, sed & totius pene loci ædificia complanantur. Porticus quoq; in qua conmanebat multitudo Iudæorum operi insistentium, subito corruit. & omnes qui ibi reperti sunt oppressit. De quadam etiam æde in qua ferramenta & alia operi necessaria seruabantur, repente globus ignis emicuit, & per medium plateæ discurrens, omnes qui aderant de Iudæis adussit. Sequenti etiam nocte, in vestimentis omnium qui residui erant, signum crucis apparuit ita euidens vt deleri non posset. Sic deterriti Iudæi mane cæptum deseruerunt & locum. Porro Iulianus bellum aduersum Parthos parans, christianorum sanguinem diis suis vouit palam persecuturus ecclesiam., si potuisset adipisci victoriam, Nam & amphiteatrum Hierosolymis ex-

Ruff. lib. 10 cap. 32.

Hist. trip. lib. 6 ca. 12.

Item ca. 35. eiusdē lib.

Item ca. 45. eiusdē lib.

Oros. lib. 7. cap. 30.

trui iussit, in quo reuersus à Parthis episcopos, monachos, omnesque eius loci sanctos bestiis sæuissimis objiceret laniandosque spectaret. Itaq; postquam à Cthesifonte castra mouit dolo cuiusdam, transfugæ in deserta perductus cum fame & siti apostatam perdidisset exercitum, & inconsultius à suorum erraret agminibus ab obuio forte equite hostium, conto ilia perfossus est. Acceptoque vulnere blasphemiam in Christum protulit dicens: vicisti Galilæe, vicisti: atq; in his vocibus miser expirauit. Sicq; misericors Deus impia consilia, impii morte dissoluit.

Hist. tripar lib. 6. c. 47.

Iouinianus in summo rerum discrimine ab exercitu imperator creatus imperat mens. 8. Hic fuit vir fortis & nobilis, & illo tempore millenarius quo Iulianus militibus suis proposuit optionem, vt aut militiæ cederent, aut idolis immolarent. Maluit vero cingulum deponere quam impiis præceptionibus obedire. Hunc tamen Iulianus ad bellum Parthicum proficiscens, propter belli necessitatem inter viros militares habebat. Qui cum violenter post Iuliani necem à militibus ad imperium traheretur, dixit, non se velle paganis hominibus imperare, cum ipse christianus existeret. Cumque vox omnium ei communiter proclamasset, dicentium, se quoq; christianos esse, voluntati eorum acquieuit, imperiumq; suscepit. Factus igitur imperator cum & locorum iniquitate captus & hostibus circumseptus, nullam euadendi facultatem perspiceret fœdus cum Sapore rege Persarum pepigit, & Nisibim partemq; superioris Mesopotamiæ illi concessit. Mox rex Persarum romano exercitu inedia iam pene consumpto forum venalium statuit in deserto, sicq; Iouinianus de medio hostium exercitum reduxit illæsum. Inde ad Illyricum rediens cum in cubiculum quoddam nouum se se cubitum recepisset, calore prunarum & nidore parietum calce nuper illitorum aggrauatus, vitam finiuit.

Item lib. 7 cap. 1.

Ammian. lib. 25.

367.		*Valentinianus*	383.		*fratre & Theo-*
368.		*cum fratre Va-*	384.		*dosio an. 6.*
369.		*lente an. 10.*	385.		
370.			386.		
371.	*Damasus ann.*		387.		*Theodosius cum*
372.	*18. m. 2. d. 10.*		388.		*Valentiniano*
373.			389.	*Ciricius an. 15.*	*an. 11.*
374.			390.	*mens. 11. d. 25.*	
375.			391.		
376.			392.		
377.		*Valẽs cum Gra-*	393.		
378.		*tiano & Valen-*	394.		
379.		*tiniano an. 4.*	395.		
380.			396.		
381.		*Gratianus cum*	397.		
382.		*Valentiniano*			

Valentinianus

Valentinianus magnus tribunus ſcutariorum, e Pannonia Cibalenſis apud Nicæam vrbem conſenſu militum imperator creatus, imperat an. 11. Hic ab impio Iuliano pro fidei conſtantia mlitiæ tribunatu expulſus, ſed retribuente domino reſtitutus, non modo fortitudine, ſed & temperantia atq; iuſtitia & corporis magnitudine præfulgebat. Vir per omnia egregius & Aureliano moribus ſimilis, niſi quod ſeueritatem eius nimiam & parcitatem, quidam crudelitatem & auaritiam interpretabantur. Sic etiam regalis & vrbanus extitiſſe perhibetur, vt dum ei alium dare conſortem tentaret exercitus, ille reſponderet: veſtrum o milites fuit mihi dare regimen imperii. Verum vbi hoc ego ſuſcepi, meum iam & non veſtrum eſt de rebus cogitare communibus. Moxq; fratrem ſuum Valentem aſſumpſit in regnum, ſibi quidem partes occiduas retinens, illi vero orientales regendas concedens. Porro Valens cum eſſet ante catholicus, coniugis ſuæ quæ Ariana erat alloquio eſt ſeductus. Valens itaque ab Eudoxio Arianorum epiſcopo qui tunc conſtantinopolitanam regere videbatur eccleſiam, ſecundo baptizatus & perſuaſus, in ſæuiſſimam hæreſim declinauit: Iuramento ſe coram Eudoxio obligans, quod in illa impietate permaneret, & vndiq; contraria ſapientes expelleret, malignam tamen inſectationem diu texit, nec voluntati poteſtatem admiſcuit, quouſq; aduenientis fratris auctoritate compreſſus eſt. Terræmotus per totum orbem factus, ita turbatum quoque pelagus excuſſit, vt per vicinas terrarum campeſtrium parteſ, refuſo mari, plurimæ inſularum vrbes concuſſæ & ſubrutæ perijſſe referantur. Procopius qui apud conſtantinopolim tyrannidem inuaſerat: apud Phrygiam extinctus eſt, & plurimi Procopianæ partis cæſi atq; proſcripti. Romæ poſt Liberium Damaſus ordinatur epiſcopus, & non multo poſt Vrſinus quidam diaconus à quibuſdam epiſcopus conſtitutus. Sicinium baſilicam cum ſuis inuadit, quo Damaſianæ partis populo confluente, crudeliſſimæ interfectiones diuerſi ſexus perpetratæ ſunt: verum pars Damaſi præualuit. Hic inuidioſe de adulterio accuſatur, & facta ſynodo purgatus eſt à 47 epiſcopis, qui & accuſatores damnarunt. Hic in verſibus componendis elegans ingenium habuit, multaq; & breuia metro ædidit. Hic conſtituit vt pſalmi die noctuq; canerentur per omnes eccleſias. Anno Valentiniani & Valentis imperii 3 Gratianus Valentiniani filius Ambianis factus eſt imperator. Eodem anno tanta conſtantinopoli tempeſtas orta eſt, vt miræ magnitudinis decidens grando, nonnullos hominum interfecerit. Apud Atrebatas lana è cœlo pluuiæ mixta defluxit. Nicæa quæ ſæpe ante corruerat, terræmotu funditus euerſa. Hoc etiam anno S. Hilarius Pictauienſis migrat ad Dominum de quo ſic Hieronymus ait. Hilarius epiſcopus, romanorum lucifer eccleſiarumq; lucerna, & pretioſus lapis ad quem mortalia vix aſcendunt, pulchro ſermone aureoque ore vniuerſa loquitur. Anatharicus rex Gothorum chriſtianos in gente ſua crudeliſſime perſecutus, plurimos barbarorum ob fidem Chriſti interfectos, ad coronam martyrij ſublimauit, Quorum tamen plurimi in

Oroſ. ca. 32. lib 7.

D. Hieron. in Chron.

Idem lib. de ſcrip. eccle. in Damaſo.

Idem in Chron.

Oroſ. loco ſuprad.

D. Hieron. in Chron. an. 374. romanum solum intrepidi pro Christi confessione fugerunt. Lucifer Caralitanus episcopus moritur: qui cum Gregorio episcopo Hispaniarum & Philone Lybiæ, nunquam se Arianæ miscuit prauitati. Presbyter Syrmij nequissime decollatur quod Octauianum ex Proconsule apud se latitantem prodere noluisset. Floruit hoc tempore Didymus

Idem libr. de script. Eccl. in Didimo. Alexandrinus, qui a parua ætate luminibus orbatus, & ob id elementorum quoq; ignarus, tantum miraculum sui omnibus præbuit, vt Dialecticam & Geometriam, Astronomiam quoq; & Arithmeticam quæ vel maxime visu indigent, vsq; ad perfectum didicerit. Is plura nobiliaq; conscripsit, commentarios in psalmos omnes, & in euangelium Mathæi & Ioannis. Librum quoq; de spiritu S. composuit quem Hieronymus de græco in latinum transfudit. Per idem tempus patres mo-

Ruff. Hist. lib. 11 ca. 4. nachorum vita & antiquitatis merito, Macarius & Isidorus aliusque Macarius atq; Heraclides, & Pambus Antonij discipuli, Moyses, Benjamin, Paulus, Ioseph per Ægyptum & maxime in Nitriæ partibus habebantur, viri qui consortium vitæ & actuum, non cum cæteris mortalibus sed cum supernis angelis habere credebantur. Anno Valentiniani imperij 8. B. Martinus Turonensibus datur episcopus, vir omni virtute mirabilis, signis & prodigijs inclytus. Eodem anno Athanasius Alexandrinus post multos agones multasq; patientiæ coronas, anno sacerdotij sui 46 migrat ad Dominum. Qui sciscitatus de successore,

D. Hieron. in Chron. Petrum tribulationum suarum participem ac socium delegit sibi in sacerdotium subrogandum. Hic post Valentis interitum tam affabilis in recipiendis hæreticis fuit, vt nonnullis suspicionem acceptæ pecuniæ intulerit. Sub hoc tempore Ambrosius adhuc cathecumenus Mediolanensibus datur episcopus. Hic dum plebem alloqueretur, vt seditionem

Paulinus in vita S. Ambros. inter catholicos Arianosq; compesceret, pro loco & officio præfecturæ suæ, subito vox infantis insonuit. Ambrosium episcopum, moxque Ambrosius capitur & baptizatur & 8 die cum summa lætitia pontifex consecratur. Hic cum quadam die verbum in ecclesia faceret quidam Arianus vidit angelum qui ei susurabat in aure, quid deberet populo

Oros. loco suprad. prædicare. Interea Valentinianus, Saxones gentem in Oceani littoribus & paludibus inuijs sitam, virtute atq; agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus eruptionem magna mole meditantes, in ipsis Francorum finibus oppressit. Francos quoq; multis prælijs lacessiuit.

Origo gentis Francorum. Porro Franci origine fuere Troiani. Hi post euersionem Troiæ, Priamo quodam duce inde digressi, iuxta Thraciam super ripas Danubij consederunt, ædificauereq; ibi ciuitatem, vocabant eam Sicambriam, manseruntq; ibidem vsq; ad tempora Valentiniani imperatoris, à quo inde expulsi, pro eo quod tributa romanis iuxta morem cæterarum gentium soluere recusarent. Egressi inde Marcomiro Summone & Genebaudo ducibus venerunt, & habitauerunt circa ripam Rheni in confinio Germaniæ & Alemanniæ. Quos cum multis postmodum idem Valentinianus prælijs attentasset, nec vincere potuisset, proprio eos nomine Francos i feroces apellauit. Ab illo tempore in tantum vir-

cus Francorum exercuit, vt totam tandem Germaniam & Galliam vsq; ad iuga Pyrenæi & vltra subjugarent. Alij Francos à quodam Francione apellatos volunt. Dicunt namq; quod post excidium Troiæ, multitudo magna inde fugiens, ac deinde in duos populos se diuidens: alia Francionem quendam super se regem leuauerit, alia Turcum nomine secuta sit, atq; ex eo duos populos sumpto nomine Francos & Turcos vsq; hodie vocari. Præterea Burgundiones, qui plusquam 80 milia, vt ferunt armatorum ripæ Rheni fluminis insederant, Valentinianus bello perdomuit. Hi quondam subacta interiore Germania à Druso & Tiberio adoptiuis filijs Augusti, per castra dispositis in magnam coaluerant gentem, & ita nomen sumpserunt ex locis, quia crebra per limites habitacula constituta, burgos vulgo vocant. Hoc tempore Melania nobilissima mulierum romanorum, & Marcelli quondam consulis filia, vnico prætore tunc Vrbano filio derelicto Ierosolymam nauigauit, vbi tanto præcipue virtutum, humilitatis miraculo fuit, vt nomen Teclæ acceperit. Valentinianus denique cum Sarmatæ se se per Pannonias diffudissent easque vastarent, bellum in eos parans, apud Brigionem oppidum subita effusione sanguinis quod Græci apoplexiam vocant suffocatus & mortuus est. Postquem filius eius Gratianus occidentis imperium tenuit, fratremque suum Valentinianum admodum paruulum consortem creauit imperij, Valente patruo in orientis partibus constituto. Porro iste Valentinianus, Valentiniani filius natus est de Iustina, quam viuente Seuera priore coniuge, Valentinianus vxorem habuisse probatur. Ex qua etiam tres filię natę sunt Valentiniano Augusto, Iusta, Grata, & Galla, quarum duæ, in virginitate manserunt. Gallam vero maior Theodosius postea vxorem duxit, de qua Placidiam progenuit, Nam Arcadium & Honorium ex Placella coniuge noscitur genuisse. Eunomius agnoscitur à quo hæresis Eunomiana. Aquileienses clerici quasi chorus beatorum habentur. Theodolus miserabilis presbyter dum aduersum conscientiam furoris sui sacrificia Deo offerre audet in medijs precibus eliditur.

Oros. lib. 7. cap. 32.

D. Hieron. in Chron. an. 377.

Valens cum Gratiano & Valentiniano nepotibus imperat ann. 4. Hic legem dedit vt monachi militarent, nolentesque iussit fustibus enecari vnde tribuni & milites per Ægyptum missi sunt qui multa Sanctorum agmina dum militare renuerent occiderunt. Clarebant hoc tempore Gregorius Nazianzenus & Basilius Cæsariensis insignes episcopi. Hi ambo nobiles ambo collegæ, cum Athenis ambo eruditi fuissent, ambo de auditorio digressi, ad profitendam rhetoricam rogabantur. Quod opus magnifice quidem implebat Basilius, Gregorius vero magnificentius contemnebat. Quique cum se totum Dei seruitio mancipasset, tantum de collegæ amore præsumpsit, vt sedentem Basilium de doctoris cathedra deponeret, ac secum ad monasterium manu iniecta perduceret. Ibique per annos (vt aiunt) 13 omnibus Græcorum secularium libris remotis, solis diuinæ scripturæ voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex

Ruff. lib. 11. cap. 9.

maiorum scriptis & auctoritate sequebantur. Porro Gregorius apud Nazianzon oppidum postea in locum patris episcopatum suscepit, & hæreticorum turbinem fideliter tulit, cuius se gloriatur Hieronymus fuisse discipulum in explanationibus scripturarum. Basilius vero postea episcopus Cæsareæ in Cappadocia tam miraculis claruit, quam doctrina, Valens denique cum multas orientis ecclesias pastore nudasset præfectum suum ad hunc Basilium misit, qui eum vt sibi faueret aut minis deflecteret. At præfectus S. Basilium euocans, cæpit nunc dona, nunc imperatoris amicitias polliceri, dicens propter paruam dogmatum subtilitatem, non debere sinere ecclesiam perturbari. Cui S. Basilius, hæc inquit pueris congruunt, illi & illorum similes talia promissa respiciunt. Nam qui diuinis saginantur eloquijs, corrumpere de diuinis dogmatibus, nec vnam syllabam patiuntur, sed pro his si contingat etiam omnes mortis species amplectuntur. Amicitias autem imperatoris, magnas quidem cum pietate iudico, sine qua perniciem potius has apello. Cumque præfectus in eum sæuiret, stultumque vocaret, hanc ait Basilius stultitiam semper habere exopto. Sed & sibi mortem numitanti, respondisse fertur: vtinam aliquid mihi esset digni muneris quod offerrem huic, qui maturius Basilium de nodo follis huius absolueret. Cumque daretur ei nox quæ erat media, ad spatium deliberandi: respondisse denuo perhibetur. Ego crastino ipse ero qui nunc, tu, te vtinam non mutares. Et illa quidem nocte, vxor imperatoris velut tortoribus tradita cruciatur: filius vero qui eis erat vnicus extinctus est. Ita ante lucem missi sunt qui rogarent Basilium vt pro ipsis intercederet, ne & ipsi similiter interirent. Sicque factum est, vt cum omnes pene catholicos Valens expulisset, Basilius vsque ad vitæ exitum liber in ecclesia perduraret. Alia quoque vice, cum eundem Basilium, Valens in palatium euocasset, contigit adesse Demosthenem Valentis dapiferum, & in loquendo facere barbarismum. Tunc subridens S. Basilius vidimus inquit sine literis Demosthenem. Cum autem ille è contra minaretur, S. ait Basilius: Tuum est de pulmentarijs cogitare, non dogmata diuina decoquere. Interea in Africæ partibus Firmus tyrannidem arripuit & Africam Mauritaniamque vastauit. Contra quem comes Theodosius, Theodosij postea imperatoris pater à Valentiniano missus, effusas Maurorum gentes, multis prælijs fregit ac fudit, ipsumque Firmum ad mortem coegit nec multo post stimulante inuidia iussus interfici, prius apud Carthaginem voluit baptizari, quod assecutus vltro præbuit iugulum percussori. Gratianus interim imperator admodum iuuenis apud Argentariam oppidum Galliarum, plusquam 30 milia Alemannorum longe impari numero militum interfecit. Per idem tempus gens Hunnorum diu inaccessis seclusa montibus, repentina rabie percita exarsit in Gothos: eosque sparsim conturbatos ab antiquis sedibus expulit. Gothi fugientes Danubium transierunt, & à Valente sine vlla fœderis pactione suscepti sunt. Feruntur autem fuisse 4 Scythiæ gentes ï Gothi ipagothi, Gepidæ, & VVandali vnam linguam habentes sed nomine

Hist. tripar lib. 7. ca. 36

Oros. lib. 7. cap. 33.

Idem ibidē

tantum diuersi, quibus duo duces præerant Frigidernus & Athanaricus. Porro ij cum inter se post Danubij transitum dissiderent, Athanaricus ad Valentem confugit à quo susceptus cum fœdere & adiutus, Frigidernum deuicit. Huius beneficij gratia Gothi à Valente deposcunt episcopos sibi mitti, qui eos fidei essent regula instructuri. Tunc Valens Arianos episcopos eis misit, à quibus perciperent non tam fidei sacramenta quam execramenta perfidiæ. Deinde per intollerabilem Maximi ducis auaritiam, fame & iniurijs adacti in arma consurgunt, & victo Valentis exercitu sese per Thraciam rapinis, cædibus, incendijsque diffundunt. Porro Valens de Antiochia exire compulsus sera pœnitentia ductus, episcopos cæterosque Sanctos reuocari de exilijs iubet. Itaque 13 imperij sui anno lachrymabile bellum, in Thracia cum Gothis gessit, vbi primo statim impetu Gothorum, perturbatæ romanorum equitum turmæ, nuda peditum deseruere præsidia. Mox legiones peditum vndique à Gothis cinctæ ac primum nubibus sagittarum obrutæ, deinde cum fugerent, gladijs insequentium cæsæ funditus perierunt. Ipse imperator Valens cum sagitta saucius fugeret, & ob dolorem nimium sæpe equo laberetur ad cuiusdam villulæ casam deportatus est. Quo persequentibus barbaris, & incensa domo, communi quoq; sepultura caruit. Hucusque Hieronymus presbyter sui temporis digessit historiam. Ab hinc Sigebertus Gemblacensis monach⁹ incœpit Chronographiam suam. Cui nos sicut & in præcedentibus quædam ex diuersis locis excerpta adnexuimus, quæ his locis possent satis necessarie & competenter aptari, & prædicti viri satisfacerent nimiæ breuitati. *D. Hieron. in Chron. sub an. 382.*

Gratianus cum Valentiniano fratre post mortem patrui imperat an 6. Is pietate & religione omnes pene qui ante fuerant principes superabat, vsu armorum strenuus, velox corpore, & ingenio bonus, sed iuuenili exultatione plus fere lætus quam sufficiebat, & plus verecundus quam reipublicæ intererat. Fuit etiam admodum litteratus, parcus quoq, cibi ac vini victorque libidinis. Hic cum afflictum & pene collapsum Reipublicæ statum videret, accersiuit ab Hispania Theodosium virum militia strenuum, moribus & ætate maturum, eumq; apud Syrmium purpura induens orientis imperio Thaciæque præfecit, sibi vero ac fratri, partes occiduas reseruauit. Porro Theodosius gentes illas Sythicas quas etiam magnus Alexander dicitur euitasse. Hoc est Alanos, Hunnos & Gothos, incunctanter aggressus est, multisque ac magnis prælijs vicit, & sic mira celeritate lassam rempublicam in orientis partibus reparauit. Verum ne romanum exercitum assidue bellando atteteret, fœdus cum Athanarico rege Gothorum percussit. Qui confœderatus Theodosio, & ab eo Constantinopolim inuitatus, mox 15. die quo venerat ibidem obijt, vniuersi vero Gothi postquam rege destituti sunt, romano sese imperio dediderunt. Ijsdem diebus Persæ ad Theosium legatos miserunt, pacemque supplices poposcerunt. Clarebat eo tempore Ambrosius Mediolanensis qui libros de Spiritu S. ad Gratianum imperatorem scripsit vir lactei sermonis emanator, cum grauitate *Ruff. lib. 11. hist. Eccl. cap 13.* *Oros. lib. 7. cap. 34.*

acutus in violenta persuasione dulcissimus, cui fuit æqualis doctrina cum vita, quando ei non paruis miraculis gratia diuinitatis arrisit. Clarebat Martinus Turonensis, clarebat & Miletius Antiochenus episcopus, per hoc clarior quod Theodosius in somnijs præuidit se ab eo indui chlamyde imperiali & diademate coronari. Clarebat Pacomius vir apostolicæ, gratiæ, tam in docendo quam in signa faciendo, & fundator cœnobiorum Ægypti, qui scripsit regulam vtrique generi monachorum aptam, quam angelo dictante didicerat. Clarebat & Ruffinus Aquileiensis presbyter non minima pars doctorum ecclesiæ, qui maximam partem Græcorum bibliothecæ latinis exhibuit, in transferendo de græco in latinum elegans satis habens ingenium. Florentinus & Bonosus & Rufinus insignes monachi habentur. E quibus Florentinus tam misericors in egentes fuit, vt vulgo pater pauperum nominatus sit.

Sigebert in Chron. sub an. 381.

S. Amator Antissiod. Episcopus.

Clarebat S. Amator Antissiodorensis episcopus. Hic iuuenili ætate coactus est a parentibus quandam virginem desponsare, Sed cum iam tempus copulationis vrgeret, vterque se mutuo adhortantes votum virginitatis fecerunt, & ecce angelus affuit, qui duas eis coronas attulit, propositum laudans, & ad perseuerandum exhortans. Porro altera virginum cœtui se tradidit, alter vero in clericatum tanto præconio virtutum enituit, vt post excessum S. Eladij mereretur in pontificatum substitui: Factus itaque pontifex, multis effulsit miraculis, cæcos illuminans, paraliticos curans mortuos etiam reducens ad vitam. Cum autem multos subiecisset iugo fidei, tum exhibitione signorum, tum instantia prædicandi: videns paruam adhuc ibidem esse basilicam, nec posse capere christianorum multitudinem tam ingentem, petijt à quodam Antissiodorensi ciue Ruptilio nomine, vt sibi concederet domicilium quod intra claustrum vrbis habebat amplum atque excelsum. Ille statim abnegat, sed non multo post grauissime infirmans sancto annuit quod rogauit. Tunc vir Dei, eandem domum basilicam fecit, in qua S Germanum postea tonsurauit. Hæc est hactenus basilica, in honorem prothomartyris Stephani christianis populis frequentata. Hic deniq; febre correptus, cum sibi inminere obitum præsensisset, clerum & populum conuocans, thronum pontificalem ascendit, & inter manus obsequentium clericorum emisit spiritum Quemquidem beatum spiritum, videre multi in specie columbæ ab angelis in cœlum deferri. Per idem tempus Paula inter nobiles romanorum matronas prænobilis, cum filia sua Eustochio mundo abrenuncians Ierosolymam adit, omni pompa seculari postposita, Christi pauperiem amplexata. Theophilus Alexandriæ episcopus clarus habetur. Hic cyclum de obseruatione paschæ per 100 annos digestum, quem laterculum vocauit, à primo anno imperij Theodosij inchoauit. Psalterium quod secundum 70 interpretes in omnibus ecclesijs cătabatur Hieronymus correxit, Quo iterum vitiato psalterium nouum composuit quod & à 70 interpretum editione non multum discordaret, & cum hebraico multum concordaret. Quod vt omnibus clarum fieret, ipsum psalterium distinxit per

Sigebert in Chron. an. 382.

asteriscos i stellas ** & per obelos i virgam iacentem / docens ea quæ continentur sub asterisco vsq; ad duo puncta, in hæbreo non haberi, & a 70 intermissa esse. Ea vero quæ continentur sub obelo vsq; ad duo puncta, in hæbreo non haberi, sed à 70 addita esse, iuxta Theodotionis duntaxat translationem. Hoc psalterium Damasus papa rogatu Hieronymi in Gallicanis ecclesijs cantari instituit, & propter hoc gallicanum vocatur, romanis psalterium secundum 70 retinentibus sibi, propter quod romanum vocatur. Hæc duo psalteria cum non sufficerent ad proponenda testimonia de Christo contra Iudæos, qui non recipiunt nisi ea quæ habentur in hebræo, addidit & tertium quod vocatur hebraicum, pro eo quod rogatu Sophronij viri sapientis, transtulit illud de hebraica veritate, in latinum verbo ad verbum. Quod psalterium & alia Hieronymi opuscula idem Sophronius, de latino in græcum transtulit. Damasus papa instituit rogatu Hieronymi dicere in ecclesia in fine psalmorum Gloria patri &c. Instituit etiam psalmos in ecclesia nocte dieq; cantari. Vt autem chori in duas partes diuisi ipsos psalmos alternatim cantarent iam tempore Constantij imperatoris in ecclesia Antiochena instituerant, primi Flauianus & Diodorus viri probatæ vitæ, & doctrinæ, quod inde ad terminos totius orbis vsq; peruenit. Basilius Cæsariensis qui gemina philosophia, scientia & sanctitate claruerat, cui Deus apparens ad precem eius eum docuit, vt proprijs verbis S. Sacrificium consecraret. Cui reuelatum est quod Mercurius miles & martyr, Iulianum imperatorem peremerit: qui iuuenem qui ob amorem virginis sibi per diabolum conciliatæ negauerat Christum reconciliauit Christo, palam altercans cum diabolo. Qui impetrauit à Deo vt S Effrem Syrus græce loqueretur: qui peccata peccatricis scripta & signata, orando obliterauit. His & multis alijs clarus, dum medicus hebræus imminere sibi statim mortem per tactum venæ reuera prænunciaret, mortem orando in crastinum distulit, & ita medicum cum suis ad Christum conuertens, feliciter moritur. Apollinaris Laodiciæ episcopus conuersus in hæresim sui nominis, à Damaso papa damnatur, quia dicebat quod Christus natus, solam carnem non animam susceperit, aut si suscepit non rationalem, sed tantum viuificalem animam susceperit. Sed potentia deitatis, susceptæ carni pro anima fuerit, & ipsa caro non de Maria suscepta sit, sed caro & verbum vnius substantiæ fuerint. Damasus papa decreuit ne quid contra episcopos presumant Archidiaconi qui dicuntur etiam corepiscopi i regionum vel villarum episcopi, χώρα enim græce, villa vel regio latine. Corpus Pauli Constantinopolitani episcopi sub Constantio in exilio ab hæreticis pro Christo suffocati, Constantinopolim refertur cum gloria à Theodosio imperatore: In Gallia S. Romanus blauiensis obijt. Francis post Priamum, Marcomirus Priami filius, & Sumno filius Antenoris principantur, Quorum ducatu Sicambria egressi, consedere secus Rhenum in opidis Germaniæ. Interea Theodosius cum subactis barbaris Thracias liberasset filiumque suum Arcadium ad imperium pro-

Idem ibidē an. 382. (margin, beside "Hieronymi in Gallicanis")

an. 383. (margin, beside "les & martyr")

An. 384. (margin, beside "Theodosio imperatore")

An. 385. (margin, beside "Rhenum in opidis")

Oros. lib. 7. cap. 34. mouisset, Maximus vir quidem strenuus, & Augusto dignus, nisi contra rempublicam aspirasset, in Britannia propemodum inuitus, ab exercitu imperator creatus est. Qui cum Pictos & Scotos Britanniam incursantes vicisset in Gallias transiit, vbi Gratianum Augustum dolis circumuentum occidit, fratremq; eius Valentinianum, simulato pacis fœdere per triennium Italia expulit. Valentinianus nece fratris audita, ad Theodosium refugit, qui eum & paterne suscepit, & imperio reformauit.

Theodosius qui cum Gratiano iam 6 annis in oriente regnauerat, post mortem eius cum Valentiniano imperat an. 11. Secunda Synodus vniuersalis 150 patrum iubente Theodosio, & annuente Damaso papa Constantinopoli congregatur, quæ Macedonium negantem Spiritum S. Deum esse condemnans, consubstantialem patri & filio, Spiritum S. esse docuit, dans symboli formam, quam tota latinorum & Græcorum *Sigebert in Chron. an. 386.* confessio in ecclesijs ad missas solemnibus diebus decantat. Hic decretum est vt Constantinopolitanus tanquam nouæ Romæ episcopus, post romanum pontificem habeat priuilegium. Exorta est hoc tempore hæresis Priscillianistarum, Priscillianus enim in Hispania episcopus, à fide deuians personas Trinitatis confundebat dicens, eundem esse patrem quem filium & Spiritum S. carnium escas pro immundis habebat, coniuges viros à nolentibus fœminis, fœminas à nolentibus viris separabat, opificium omnis carnis non Deo bono & vero, sed malis angelis assignabat, animas eiusdem naturæ & substantiæ cuius est Deus esse dicebat, & eas ad agonem quendam spontaneum, non tamen in terris exercendum per 7 cœlos, & per quosdam principatus gradatim descendere, & in malignum principem incurrere, à quo mundum istum factum esse dicebat. Atq; ab hoc principe per diuersa carnis corpora seminari: homines vero fatalibus stellis colligatos, corpusq; nostrum secundum 12 cæli signa compositum esse dicebat. Constituens arietem in capite, taurum in ceruice, geminos in humeris, cancrum in pectore, leonem in manibus, virginem in ventre, libram in vmbilico, scorpium in coxis, sagittarium in virili, aquarium in vesica, capricornum in tibijs, pisces in plantis. Super his auditus in concilijs episcoporum romam petijt, ibiq; à sanctis Damaso & Ambrosio repudiatus. In Gallijs quoq; in Synodo Burdegalensi à S. Martino alijsq; hæreticus iudicatus, vbi se damnandum intellexit. Maximum imperatorem appellat, à quo auditus, & episcopatu pulsus, Treueris ab Euodio præfecto perimitur cum multis suis sequacibus, edicente imperatore, vt huius sectæ complices in Hispania perimerentur. Itacius & Vrsatius episcopi accusatores Priscilliani, communione ecclesiæ priuantur ab episcopis nefas esse dicentibus cuiuscumq; modi hominem episcoporum accusatione necari, Maximo imperatore & aliquibus episcopis Itacium & Vrsatium defendentibus, & hac de causa S. Martinus à Maximo molestatur, quia nolebat communicare Itacianis, vix tamen obtinuit vt Priscillianistæ non occiderentur, Paula romæ præponens Bethleem,

ibi cum

ibi cum filia sua Eustochio ancillatur Christo, & sancte viuendo, multas ad æmulationem sanctitatis inuitat. Damaso prope octogenario feliciter defuncto, Siricius pontificatum suscipit an. 15. Hic præcepit pœnitentibus viaticum non negari & addidit in canone, Communicantes & diem sacratissimum. Constituit etiam hæreticum pœnitentem per impositionem manus sacerdotalis ab Ecclesia esse recipiendum. Hic Manichæos Romæ inuentos exiliauit. Ierosolymæ post Cyrillum Ioannes, Alexandriæ post Petrum Timotheus, post quem Theophilus, Antiochiæ post Meletum Flauianus ordinatur episcopus. Ambrosius episcopus ritum antiphonas in Ecclesia canendi, primus ad latinos transtulit à Græcis, apud quos hic ritus iam dudum inoleuerat, ex instituto Ignatij Antiocheni episcopi & apostolorum discipuli, qui per visionem in cœlum raptus vidit & audiuit quomodo angeli per antiphonarum reciprocationem hymnos S. Trinitati canebant. Hic etiam B. Ambrosius post Hilarium Pictauiensem, hymnos in Ecclesia canendos primus composuit. Corpora BB. martyrum Geruasij & Prothasij diuinitus reperit ita incorrupta, ac si eodem die fuissent sepulta. Augustinum quoq; adhuc manichæum, ad fidei integritatem reduxit, & relictis scholis mundiq; negotijs baptizauit. Franci Quintinum & Eraclium romanorum duces cum omnibus pene suis iuxta Treuerim delent. In Ægypto Ioannes anachoreta sanctitate & prophetiæ spiritu claret. Theodosius in vltionem necis Gratiani, aduersus Maximum totis viribus orientis insurgit. Porro Maximus apud Treuerim, sedem imperialem statuerat, Sed tunc audiens Theodosium aduersus se congressurum, Aquileiæ insederat, Andragatio comite summam belli administrante, qui cum largissimis militum copijs, omnes alpium ac fluminum aditus occupasset Dei iudicio dum nauali expeditione, incautum hostem præuenire & obruere parat, sponte eadem quæ obstruxerat claustra deseruit. Ita Theodosius nemine sentiente, alpes transmeans, Aquileiam improuisus aduenit, & hostem illum magnum Maximum clausit, cepit, occidit. Andragatius autem comes, vt Maximi necem comperit se se in vndas præcipitem è naui dedit & perijt. Ita Theodosius incruentam victoriam Deo procurante suscepit. Igitur Valentinianus iunior extincto Maximo eiusque filio Victore, quem imperatorem Gallijs reliquerat, imperio restituitur tam Gallia quam Italia in ius pristinum reformata. In Hispania Prudentius Lyticus poeta clarus habetur. Per idem tempus Theodosius instigante diabolo, facinus immane commisit. Nam Thessalonicæ seditione orta, cum quidam iudices fuissent occisi, Theodosius repentini nuntij atrocitate succensus, iussit pariter omnes interimi, nec à nocentibus innocentes secerni. Hac itaque cæde fere 7 milia hominum perempta sunt. Hanc cladem audiens vir virtutis Ambrosius, cum princeps Mediolanum veniens, templum ingredi voluisset, eum ab ingressu modeste obiurgando prohibuit. Quam ille obiurgationem, & ab Ecclesia exclusionem patienter excipiens, commissum facinus imitabili pœni-

An. 387. *An. 388.* *An. 389.* *Oros. lib. 7. cap. 35.* *An. 390.* *An. 391.* *Theod. hist. trip. cap. 30 lib. 7.*

tentia diluit, & humillime satisfecit. Qui cum denique post longa lamenta, publicamque pœnitentiam à B. Ambrosio absolutus fuisset, hanc legem statuit vt intra 30 dies sententia necis atq; proscriptionis in literis tantum scripta permaneat, & interim examinetur causa, ratio consulatur, vt demum quid facto opus sit, sub libra iudicij proferatur. De hinc à S. præsule imperator in Ecclesiam introductus, statim se pauimento prosternit, flet largiter, capillos euellit. Cumq; hora venisset qua fieri solet oblatio, surgens cum lachrymis ad altare munus obtulit, & rediens intra cancellos stetit. S. Ambrosius requirit quid ibi expectaret, illeq; respondit, quia sacri perceptionem mysterij sustineret. Cui S. præsul per archidiaconum remandat: O Imperator interiora loca solis sacerdotibus, eorumque ministris scito esse collata, Egredere itaq;, & hanc expectationem cum cęteris communem habe. Purpura namque imperatores, non sacerdotes facit. Quam ille traditionem gratanter suscipiens non audaciæ (inquit) causa intra cancellos mansi, sed apud Constantinopolim hanc esse consuetudinem noui. His diebus Gregorius Nazianzenus vir vitæ purissimæ & incomparabilis eloquentiæ diem obijt. Hic dum adhuc viueret episcopum in loco suo ordinauit quo episcopante, ipse ruri vitam monachi exercuit. Caput Ioannis baptistæ à Theodosio imperatore Cōstantinopolim translatum est, quod cum Valens imperator, olim illuc voluisset trans-ferre, vehiculum in quo S. caput ferebatur nullomodo mouere potuit.

Sigebert an. 392. Terribile in cœlo signum columnæ per omnia simile apparuit. Alexandriæ iussu Theodosij templa idolorum à Theophilo episcopo destruuntur, & euerso famoso Serapis fano, martyrium ibi consecratur, & in eo ossa S. Ioannis Baptistæ reconduntur, quæ hoc modo Alexandriam translata fuerant. Apostata Iuliano imperante, & contra Christum furente, pagani ossa Ioannis Baptistæ in vrbe Samaria sepulti, *Ruff. lib. 2 hist. Eccl. cap 28.* effracto sepulchro extrahentes dispergebant per agros, eaque rursus collecta igni cremabant, & sanctos cineres pulueri immixtos, per aera dispergebant. Sed quidam monachi ex Ierosolymis immixti furentibus paganis quotquot potuerunt ossa collegerunt & ad abbatem

An. 394. suum Philippum Ierusalem detulerunt. Philippus ea Athanasio episcopo Alexandriæ misit. S. Patricius Scotus in Hibernia cum suis sororibus venditur, vbi cum esset regis portarius, angeli sæpe colloquio

An. 395. fruitur. Arsenius romæ claret, qui vsque ad 40 ætatis annum in aula imperatorum gloriose militans, ex senatore fit monachus, & per annos 55. in eremo sanctitatis exemplo, omnibus mirabilis enituit. Hieronymo sacras scripturas veteris testamenti, de hebraica veritate in latinam linguam vertente, æditio 70. interpretum quæ tenebatur à cunctis & græcis & latinis, cępit in secundis haberi: quod cum contra inueteratum Ecclesiæ vsum fieri, quamuis sancti & docti viri ægre ferrent, præualuit tamen auctoritas hebraicæ veritatis, postquam patuit quantum ab ea discreparent 70 interpretes. Hoc tempore in castello

Sigebert an. 396. Iudeæ Emaus, natus est puer perfectus, ab vmbilico & rursum diui-

ſus, vt haberet 2 pectora & 2 capita, & vnuſquiſq; ſenſus proprios, & vnus edebat & bibebat, alter non edebat, vnus dormiebat & alter vigilabat: nonnunquam inſimul dormiebant: inſimul ludebant ad alterutrum, & flebat vterque & percutiebant ſe inuicem. Porro vixerunt annis ferme 2, & vnus quidem mortuus eſt, alter vero ſuperuixit diebus 4. Corpora Abacuch & Micheæ prophetarum reuelantur. Didimus anno ætatis 85 Alexandriæ obijt. Valentinianus iunior cum transiſſet in Galliam, & tranquillam rempublicam in pace ageret, apud Viennam dolo Arbogaſtis comitis ſui vt ferunt, à ſuis cubicularijs ſtrangulatus, atq; vt voluntariam ſibi conſciuiſſe mortem putaretur, laqueo ſuſpenſus eſt, cum adhuc cathecumenus eſſet: baptiſmum enim diſtulerat, quia pro deuotione à B. Ambroſio baptizari cupiebat. Quod cum audiſſet idem antiſtes vehementiſſime doluit, & de eius morte lamentationis librum compoſuit. Porro Arbogaſtes comes, occiſo Valentiniano, mox Eugenium tyrannum creat, vt ſic ipſe imperium ageret, ille vero imperatoris titulum obtineret. Arbogaſtes innumeras vndiq; contrahit copias, tam barbarorum auxilijs quam præſidijs romanorum. Eugenius & Arbogaſtes inſtructas acies campis expedierant, & alpium tranſitus occuparant. At Theodoſius in ſummis alpibus conſtitutus, deſtitutus ſuis & clauſus alienis, dum imminens periculum conſpicit, ad Deum tota deuotione recurrit. Dehinc poſtquam inſomnem noctem precum & lachrymarum continuatione tranſegit, fiducialiter arma corripit, de ſe quidem diffidens ſed in Domino ex toto confidens. Prima ſalutis via extitit Arbitrio, hoſtilium partium comes, qui cum ignarum imperatorem circumpoſitis excepiſſet inſidijs conuerſus ad reuerentiam eius, non ſolum liberauit periculo, ſed & inſtruxit auxilio. At vbi ad contigua miſcendæ pugnæ ſpatia peruentum eſt, continuo maximus turbo ventorum in ora hoſtium ruit, ferebanturq; per aera ſpicula miſſa noſtrorum, atque vltra menſuram humani iactus per inane deportata nuſquam cadere priuſquam impingerent ſinebantur, & quæ ipſi vehementer intorſerant ventorum impetu ſupinata, & coacta retrorſum, ipſos infeliciter configebant. De hac quidem victoria, ſic loquitur Claudianus, poeta quidem eximius ſed paganus,

Oroſ. lib. 7. cap. 35.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hiemes, cui militat æther
Et coniurati, veniunt ad claſsica venti.

Claudian. in Panegy. ad Hon. imp.

Videns autem pars aduerſa, illa tempeſtate ſe deprimi, hoſtes vero protegi, pugnare deſinunt & victori Theodoſio ſe proſternunt. Eugenius captus atque interfectus eſt. Arbogaſtes vero, ſua manu ſe perculit. Ita cælitus iudicatum eſt inter partem de Deo ſolo humiliter ſperantem, & partem de viribus ſuis arrogantiſſime præſumentem. Igitur Theodoſius, adepta victoria redijt ex hoc in Deum deuotior, quem ſic ſemper adiutorem ſentiret, qui ſe tot tantiſq; victorijs inſigniſſet. Fertur autem idem princeps, à Traiano imperatore originem dedu-

xiſſe. Religioni ſacræ ſemper ſtuduit propagandæ, templa cum idolis funditus diruit: expulit hæreticos, orthodoxos fouit. Fuitque vir clemens animo: & ita amicis communis, vt ſolo habitu differre ſe ab eis putaret. Præterea fuit in omnes homines munificus: ſed effuſius in bonos. Simplicia ingenia diligere, erudita mirari: largiri magno animo magna & iraſci quidem rebus indignis, ſed flecti cito. Hic etiam conſobrinarum nuptias vetuit, tanquam ſororum. Vxor quoq; eius nomine Placella multis erat virtutibus admiranda. Nam claudorum atque debilium maximam habebat curam, non ſeruis, non alijs vtens miniſtris, ad hæc officia peragenda: ſed per ſemetipſam hoc agens ad eorum habitacula veniebat, & vnicuique quod opus habebat præbens, & per eccleſiarum Xenodochia diſcurrens, ſuis manibus infirmis miniſtrabat, ollas eorum extergens, ius guſtans, offerens coclearia, panem frangens, cibos miniſtrans, calices diluens: & alia cuncta faciens quæ ſeruis & miniſtris mos eſt ſolemniter operari. His autem qui eam de rebus talibus prohibere nitebantur, dicebat: Aurum diſtribuere, opus imperij eſt, Ego autem pro ipſo imperio hoc opus offero bona mihi tribuenti. Theodoſius autem bene iam tranquillata republica, apud Mediolanum conſtitutus diem obijt: anno regni ſui 17. vitæ vero ſuæ 60. Poſtquam filij eius Archadius & Honorius commune imperium diuiſis tantum ſedibus tenuerunt: Corpus denique Theodoſii Conſtantinopolim tranſlatum eſt atque tumulatum.

Theod.hiſt. trip.cap.31. lib.7.

Arcadius cum Honorio fratre ſuo imperat annis 13. Verum Arcadius partes tenuit Orientis & Honorius Occidentis, vtriuſque tamen cura & palatii diſciplina, duobus potentiſſimis viris erat: Ruffino ſcilicet & Stiliconi commiſſa: Ruffino aulæ Orientalis & Stiliconi occidentalis.

398.			412.		*Theodoſio nepote ſuo an. 15.*
399.		*Arcadius cum*	413.		
400.		*Honorio fratre*	414.		
401.		*ſuo annis 13.*	415.		
402.			416.		
403.			417.		
404.			418.		
405.	*Anaſtaſius*		419.		
406.	*an. 2. dieb. 26.*		420.		
407.	*Innocentius*		421.		
408.	*an. 15. menſ.*		422.		
409.	*2. dieb. 20.*		423.	*Zozimus an.*	
410.			424.	*1. m. 8. d. 25.*	
411.		*Honorius cum*	425.	*Bonifacius an. 3. m. 8. d. 15.*	

Gildo etiam comes Africæ præerat. Ruffinus magiſter militiæ orientalis rebellans à Stilicone magiſtro militiæ occidentalis perimitur.

Porro Gildo Africæ comes, vt defunctum comperit Theodosium rebellare cœpit? & consueta stipendia Romanis substraxit. Huic Malcelzel frater fuit, qui nouarum rerum in fratre molitiones perhorrescens, relictis apud Africam in militia duobus filijs adolescentibus, in Italiam redijt. Gildo & absentiam fratris, & presentiam filiorum eius suspectam habens, adolescentes dolo circumuentos interfecit. Anno imperij Arcadij & Honorij 2. B. Martinus obijt, anno ætatis suæ 81. episcopatus vero sui 26. Hoc quidem secundum quosdam. Sed secundum Prosperum anno 5. Arcadii & Honorii idem S. Antistes obiit & sic secundum Seuerum, qui scribit in vita eius cum post mortem Prisciliani 16. an. vixisse. Anno quoq; sequenti B. Ambrosius obiit. Hic tantæ pietatis tantæq; dulcedinis extitit: quod cum illi aliquis lapsum suum confessus esset, ita compungebatur in fletu, vt etiam confitentem flere compelleret. Ante paucos equidem dies obitus sui, cum 43. psalmum dictaret, excipiente Paulino eius notario: Idem Paulinus se vidisse testatus est, ignem in modum scuti breuis cooperuisse caput eius, atque paulatim per os ipsius fuisse ingressum, Post quod facta est facies eius candida sicut nix: postea vero reuersus est vultus eius ad speciem suam. Romæ post Siricium Anastasius presidet, annis 2. De hoc dicit Hieronymus, quod eius diuturna vita, mundus immeritus sit frui. Hic constituit vt quotiescunq; Euangelia sancta recitantur, sacerdotes non sederent, sed curui starent. Aduersus Gildonem in Africa rebellantem Mascelzel frater eius, ab Honorio missus est, qui & eius contumaciam retunderet: & filiorum suorum à Gildone occisorum sanguinem vindicaret. Itaque Mascelzel Caprariam insulam adiit: vnde secum sanctos seruos Dei aliquot permotos precibus suis sumpsit: Cum his orationibus, ieiuniis, psalmis, dies noctesq; continuans, sine bello victoriam meruit, ac sine cæde vindictam. Ardalio fluminis nomen est, quod fluit inter Thebastem & Metrideram ciuitatem: vbi cum 5 millibus militum contra 70 milia hostium castrametatus est. Sed cum inde loci angustias fugere cupiens, latiorem campi planitiem expetere deliberaret: nocte superueniente non potuit. Igitur dum sopori membra dedisset, vidit in somnijs B. Ambrosium paulo ante defunctum, baculo quem gerebat locum victoriæ sibi demonstrantem atque dicentem. Hic, hic, hic. Quo vir sapiens protinus intellexit, verbo locum, numero diem significari. Substitit ergo: & in diem 3 ab ipsis cælestium sacramentorum mysterijs procedit in hostem circumfusum. Et cum ad eos, qui primi occurrerant, verba pacis loqueretur: signiferum insolenter resistentem: iam iamque pugnam excitantem gladio percussit in brachio. Qua percussione, protinus ille pronum inclinauit vexillum. Quod cernentes reliquæ cohortes, deditionem priorum fieri putantes: statim Mascelzeli certatim se signis tradidere conuersis. Barbari vero quos Gildo coadunauerat territi, in diuersa fugerunt. Gildo ipse fugiens nauem intrauit: sed volens nolens cogentibus ventis in Africam remeauit. Quo, cum degeret: post aliquot dies strangulatus interijt, & non post mul-

Sigebert an. 398.

Oros. lib. 7. cap. 36.

An. 403.

Paul. in vita S. Ambros.

Oros. loco supra d.

Idem ibidē.

tos iterum dies Mascezel elatus insolentia fortunæ: cum sanctos quorum meritis victor extiterat nequiter inquietaret, occisus est. In oriente Gainas quidam genere Celticus consilio barbarus, qui post Ruffinum susceperat militiæ magistratum: dum imperium cogitaret arripere, capite plexus est. Roilus dux Scythiæ cum innumero exercitu Danubium transiens, terrasq; depopulans: ipsam quoq; regiam vrbem obsedit: sed & ipsum & omnem eius exercitum vis diuina fulminibus

Sigebert an. 404. concremauit. Romæ post Anastasium Innocentius papa presidet an. 15. Hic decreuit pacis osculum ad missas dari, Sabatho ieiunium celebrari. oleo ad vsus infirmorum ab Episcopo consecrato licere vti non solum presbyteris, sed etiam omnibus christianis, in suam suorumq; necessitatem vngendo. Ierosolymæ post Ioannem, Parillus postquem Iuuenalis. Antiochiæ post Flauianum Porphirius, postquem Alexander? Alexandriæ post Theophilum Cirillus, postquem Dioscorus ordinatur

Ex Breuiario Rom. die 17. Iulij Episcopus. Anno Arcadii & Honorij 8. Romæ Alexis Romanorum nobilissimi vita mirabilis declarata est: qui prima nuptiarum nocte sponsam relinquens, pro Christo peregrinatus est per 17 annos, & tandem apud Ædessam Syriæ vrbem, imagine sanctæ Dei genitricis Mariæ eum diuulgante: inde quoq; fugit: & ad portum Romanum non sponte appulsus, a patre suo vt pauper excipitur, ibique nulli cognitus 17 annos agens, tenore vitæ suæ descripto in charta obijt, & diuina voce ma-

An. 406. nifestatus: totam Romam stupore & gaudio afficit. Anno Arcadii 9. Paula Bethleem obiit, cuius vitam Hieronymus scribit. Augustinus Afer Hipponensis oppidi Episcopus in Ecclesia philosophatur: vir eruditione diuina & humana orbi clarus, fide integerrimus, vita purissimus, debellator hæreticorum, defensor fidelium & famosorum palma certantium. Huius librorum, tractatuum & epistolarum numerus plusquam ad 1030. extenditur, multis numero non comprehensis. Scripsit enim quanta nec inueniri possunt, vt merito illud ei dictum conueniat. *Mentitur qui te totum legisse fatetur.* Hic in quibusdam libris nimia est difficultate reconditus: in quibusdam vero sic est planissimus vt etiam paruulis probetur acceptus. Cuius aperta suauia sunt, obscura vero magnis vtilitatibus referta pinguescunt. Huius vero ingenii viuacitatem si quis nosse desiderat libros ipsius confessionum legat, vbi se refert omnes mathematicas disciplinas sine magistro comprehendisse: quas aliis sub doctis expositoribus vix datur attingere.

An 410. Honorius post mortem Arcadii cum fratruele suo Theodosio imperat an. 15. Constantinopoli post Ioannem Chrisostomum Nectarij

An. 416. successorem, Atticus ordinatur Episcopus. Romanæ Ecclesiæ post In-

An. 420. nocentium Zozimus præsidet. Post Zozimum qui anno vno & 8. mens. pontificatum tenuit, Bonifacius præsidet annis 3. Anno Honorii 11. B. Hieronymus apud Bethleem obiit, anno ætatis suæ 96. Hic vsque ad

An. 421. finem vitæ virginitatem corporis custodiuit, totumq; tempus vitæ suæ

D. Hieron. obitus. interpretando & exponendo scripturas expendit, literis hebraicis græcis ac latinis incomparabiliter eruditus, totus diuinæ scripturæ deditus,

ſemper aut legens aut ſcribens ſanctæ Eccleſiæ murus immobilis, firmamentum & columna veritatis, paupertatis amantiſſimus, forma virtutis, monachorum regula, ſpeculum ſanctitatis. Hic denique libris ſuis per annos 56 confectis, ita corpore præ laboribus exhauſto defecerat: vt de lecto ſurgere nequiret niſi apprehenſo manibus fune, qui ad hoc pendebat e trabe. Hoc eodem anno qui erat ab incarnatione Domini 421. B. Amator Antiſſiodorenſis antiſtes migrat ad Dominum ac per manus Sancti Germani iam tunc preſbyteri miraculis comitantibus in monte Autrico iuxta prędeceſſores ſuos ſepultus eſt. Poſt eum vir illuſtriſſimus Germanus pontificatum ſuſcipit, in quo per 30. annos, tanquam clariſſimum ſydus incomparabili luce reſplenduit. Hic patre Ruſtico matre Germanilla, genere nobiliſſimis editus: & ab infantia ſtudijs liberalibus extitit adprime imbutus. Dehinc Romam adijt, ibiq; iuriſcientiam perfecte addiſcens, tantum dignitatis adeptus eſt: vt eum ad Gallias reſpublica tranſmitteret: vt illic ducatus apicem obtineret. Accidit autem quadam die vt Germanus ſuis conſtipatus, Eccleſiam S. Stephani ingredi voluiſſet. Quod comperiens B. Amator, tunc Antiſſiodorenſis Epiſcopus ei fuit obuius, ipſumq; & ſuos admonet: vt prius arma deponant, quam templum introeant. Quibus depoſitis poſtquam ſunt ingreſſi: prædictus pontifex Eccleſiæ fores præcipit obſerari. Mox cum clericis Germanum apprehendit, & tonſurat, exhortans eum vt amodo commiſſum ſibi à Domino honorem immaculatum cuſtodiret: nam poſt eius exceſſum ipſe adepturus eſſet paſtoris officium quod & factum eſt. Paulo poſt enim S. Amator fœliciſſime obijt: & ſubito plebs vniuerſa Germanum vno ore proclamat Antiſtitem. Quibus ille diu multumq; renititur, ſed tandem reſiſtere non valens in pontificem promouetur. Mox ſubſtantia in pauperes diſpenſata, Chriſti pauper efficitur & omni ſecularitate calcata, totum ſe contulit vt Chriſti veſtigia ſequeretur. Iam vero qualem quantumq; ſe exhibuerit, lingua mortalis expedire non ſufficit: quia ſupra hominem fuit omne quod geſſit. Cuius talis extitit vita vt ſi miraculis caruiſſet, incredibilis videretur: tanta fuerunt miracula, vt niſi piæ conuerſationis merita præceſſiſſent, phantaſtica putarentur. Eccleſiam cui præfuit: non ſolum ſpiritalibus, ſed etiam temporalibus incrementis copioſe prouexit Cuius facultas, cum ante eum fuerit perexigua, ipſo procurante multipliciter eſt adaucta, Omnium enim quæ ex paterno iure habuit, Eccleſiam hęredem conſtituit. Sunt autem prædia quæ habuit numero per plura quantitate permaxima, ſibique contermina: ac redituum vbertate præclara. Horum in vno cui Eponiacus nomen eſt, venerabiles parentes eius Ruſticus & Germanilla decenter ſunt conditi. Baſilicæ S. Stephani B. præſul hæc contulit. Varziacum, Verziſum, Pauliacum, Marciniacum, Tociacum, Patrimacum, Cutiacum cum omnibus omnium appenditijs. Fecit & monaſterium in honore SS. martyrum Coſmæ & Damiani, vbi & monachos eſſe conſtituit: eorumq; ſtipendijs hæc prædia delegauit i villam cui Monticellus nomen eſt, ad vinum

D. Germanus factus Antiſsiod. Epiſcop.

colligendum. Fontanetum vero ad frumenta serenda: agrum autem cui miciglis vocabulum est: ad bucularum cæterarumq; pecudum nutrimenta seruanda: vbi & postmodum S. Marianus à fratribus eiusdem monasterij missus est ad eadem pecora custodienda. Monstratur hodieque in eodem monasterio oratorium eiusdem S. Germani nomine consecratum: vbi incunctanter nouimus fuisse cellulam afflictionum eius & cruciatuum consciam cui nescio ostiolum an fenestram dixerim, tanta erat humilitate perexiguum: vt nemo quamuis tantilli corporis, nisi pronus perinde repere potuerit. Fecit & basilicam in honore SS. martyrum Agaunensium Mauricij scilicet & sociorum eius, in qua etiam S. Saturnum vitæ probatissimum, suumq; discipulum ordinauit presbyterum, vt sub professione sacerdotalis rituli, martyrum inibi memorijs deseruiret. Fecit & basilicam sancti Albani martyris infra muros ipsius vrbis, quam in honore eiusdem martyris dedicauit reliquiasq; ipsius quas secum à Britannijs detulerat, ibidem honorifice composuit. Sacratissima deniq; corpora multitudinis illius quam cum B. Prisco apud locum Tociacum Aureliana persecutio trucidarat, diuinitus reperit: quæ propter sæuientem rabiem à Christianis, qui tunc existebant rarissimi, clam subducta fuerant, & in cisterna quadam vetustissima, passim ea congesserant. Quorum memoria longis temporibus obscurata, ad tempus vsq; Germani delituit: sed per ipsum Domino reuelante innotuit. Illic itaq; Ecclesiam condidit, ac monasterium monachorum constituit. Siquidem hoc cœnobium permansit vsq, ad tempus persecutionis hunnorum, quibus Galliam deuastantibus, funditus est euersum. Caput quoq; B. Prisci martyris eidem Sancto pontifici Deus mirifice reuelauit: cui recondendo 4 ab vrbe milibus basilicam construens, consecrauit. Honorius Constantium virum sororis suæ
An. 423. Placidiæ in imperium asciscit: sed non multo post idem Constantius moritur 8 scilicet mense quam ceperat imperare. Honorius Tricennalibus suis de pompa capti Maximi Tyranni Rauennæ celebratis, obijt.

426.	*Bonifacius an.*	*Theodosius minor cum Valentiniano genere suo, an. 27.*	440.	
427.	*3.m.8.d.13.*		441.	
428.			442.	
429.	*Celestinus an.*		443.	
430.	*8.m.1.d.9.*		444.	
431.			445.	*Leo primus ã.*
432.			446.	*21.m.1.d.27.*
433.			447.	
434.			448.	
435.			449.	
436.			450.	
437.	*Sixtus ann. 8.*		451.	
438.	*d. 19.*		452.	
439.				

Ioannes Cassianus claret, qui a Ioanne Chrysostomo diaconus ordinatus sed postea de Constantinopolitana Ecclesia, ab ipso ejectus apud Massiliam Galliæ presbyteri honorem adeptus est. Hic scripsit experientia magistrante librato sermone, & vt apertius dicamus, sensu verba inueniens & actione linguam mouens, res omnium monachorum professioni necessarias & compertas in Ægypto vitas patrum doctrinasq; & regulas, datis ad plurimos libris exposuit. Vallia Rex Gothorum VVandalos odio insectans, etiam in Africa eos persequi disponit: sed morte præuentus obijt: eique in regnum Theodericus successit. VVandali nauibus Africæ irruentes prouinciam vniuersam deuastant, rapinis, cæde, incendijs, nulli sexui, nulli parcentes ætati vel ordini. Sub hoc turbine tribulationis B. Augustinus amarissimam & lugubrem præ cæteris suæ senectutis iam pene extremam duxit vitam: videns tantam hostium sæuitiam vbiq; grassari, videns alios hostili nece extinctos, alios effugatos, Ecclesias Sacerdotibus viduatas, ciuitates cum accolis dissipatas. Accreuit deniq; eius mœroribus: quod sub ipsius tempore Hipponem vrbem cui pontifex præerat barbari obsedere. Sed ecce tertio obsidionis mense febribus decubuit, sibi 7 pœnitentiales psalmos scribi iussit: ipsosq; quaterniones iacens in lecto contra parietem positos, diebus infirmitatis suæ intuebatur ac legebat, & vbertim ac iugiter flebat. Et ne à quoquam impediretur eius intentio, ante ferme decem dies migrationis suæ, petijt nullum ad se ingredi, nisi his tantum horis quibus medici ad inspiciendum ingrediebantur, vel cum ei refectio offerretur. Obsidionis demum mense 13 coram positis fratribus migrauit ad dominum: anno ætatis suæ 73. Clericatus vero vel Episcopatus sui 40. Hic sapientiæ lumen perfulgidum, propugnaculum veritatis, errorum excidium, fidei tutamentum, omnes Ecclesiæ doctores tam ingenio quam scientia vicit, incomparabiliter florens tam exemplis virtutum, quam affluentia doctrinarum. Etenim tanta scripsit, vt non solum ab aliquo toto vitæ suæ tempore scribi, sed nec quidem possint lectione percurri. Obijt autem anno Domini 440. Hoc tempore sub Vorciguo rege Britanniæ, surrexit quidam Ambrosius Merlinus vocatus, spiritu prophetiæ canens plurima per secla futura: qui Sibyllæ more de Regibus Britonum, multa præcinuit Hoc etiam tẽpore ex Britannijs directa legatio, Gallicanis Episcopis nunciauit, Pelagianam peruersitatem in locis suis late populos occupasse, & quamprimum fidei Catholicæ debere succurri. Ob quam causam Synodus numerosa collecta est, omniumque iudicio duo præclara religionis lumina, vniuersorum precibus ambiuntur: Germanus ac Lupus apostolici Sacerdotes, terram corporibus, cœlum meritis possidentes. Hi itaque Oceanum mare Christo duce conscendentes, Britanniam peruenerunt, eamque suis prædicationibus atq; virtutibus impleuerunt. Tandem peracto conflictu cum Pelagianis: confirmant fidem, verbo veritatis simul & miraculorum signis. Sed & bellum Saxonum Pictorumq; aduersus Britones, eo tempore iunctis viribus susceptum, di-

Sigebert An 427.

Possid. in vita S. Augus. cap. 29 & 30.

Prosper refert obitum S. August. sub an. 430

An. 436.

uina virtute retundunt, cum Germanus ipse dux belli factus, non tubæ clangore, sed clamore Alleluya, totius exercitus voce ad sydera leuata, hostes in fugam vertit immanes. Compressa itaq; peruersitate damnabili, beatissimi Sacerdotes reuersi sunt.

An. 448. B. Germanus cum Seuero Treuerensi Episcopo, iterum missus in Britanniam trans-fretat, ibique renascentem hæresim pelagianam extirpat Porro rediens Italiam adijt, vbi apud Rauennam à Valentiniano & Placidia matre eius, cum summa reuerentia susceptus, paucis transactis diebus vidit in somnijs se à Christo vocari, datoq; viatico, de peregrinatione ad patriam inuitari. Igitur post aliquot dies, idem gloriosissimus Præsul singulariter præclarus, millies felix & innumerabiliter beatus migrauit ad Dominum, cuius corpus cum deuotione multa & frequentia populorum, vt ipse petierat reportatum, à proprijs ciuibus cum ingenti honore & amore Cal. Octobris susceptum est, & condigne traditum sepulturæ. Obijt autem anno incarn. Dominicæ 450. Episcopatus vero sui 30. Hic tam in vita, quam post transitum, tanta enituit virtute signorum, vt non scripto digeri, non verbis valeanr explicari. Si quidem & tres mortuos suscitauit: vnum quando Aurelianis transiens à S. Aniano totius populi concursu reuerenter exceptus, mortuum iam elatum obuiam habuit, quem mox virtute precis, vitæ pristinæ reformauit. Alterum vero cum apud Italiam Præfecti filium, quem vis febrium extinxerat, reuocauit ad vitam. Sed & quodam ex discipulis suis mortuo, sepulchrum reuelli iussit, ipsumq; vocans ex nomine, quid ageret, an secum adhuc militare cuperet, requisiuit. Mox vitali resumpto spiritu defunctus residet, cunctaq; sibi constare suauia, ac se nolle huc vlterius reuocari respondet. Tum Sancto annuente vt quiesceret, ille capite deposito rursus obdormiuit in Christo.

Alodius Antiss. Episcopus. Porro post B. Germanum Alodius in Sacerdotium subrogatur, qui B. Germano adhuc superstite, monasterio illius archimandrites præfuerat, & tam vitæ meritis, quam doctrina clarebat.

An. 451. Theodosius imperator obit, post quem Marcianus ab aulicis militibus imperator creatus est, Valentiniano iuniore adhuc in occidentis partibus imperante.

453.	*Marcianus &*	465.	
454.	*Valentinianus*	466.	*Hilarius ann.*
455.	*an. 7.*	467.	*6. m. 3. d. 10.*
456.		468.	
457.		469.	
458.		470.	
459.		471.	
460.	*Leo primus im-*	472.	*Simplicius an.*
461.	*perat an. 17.*	473.	*15. m. 1. d. 7.*
462.		474.	
463.		475.	
464.		476.	

477.	Zeno an.16.	485.	
478.		486.	
479.		487.	Felix ann. 8.
480.		488.	mens.11.d.17.
481.		489.	
482.		490.	
483.		491.	
484.		492.	

Marcianus cum Valentiniano imperat an. 7. Hic literis a prime deditus, in scripturis studiosissimus fuit. Decreta etiam edidit, Chronica scripsit, plurimum oblectationis legentibus conferentia. An. 2. imperij Marciani Attila rex Hunnorum, VValemeris Ostrogothorum regis & Ardarici Gepidarum regis, & multarum aquilonarium gentium sibi subiectarum auxilio fultus, à Pannonijs egressus occidentale imperium inuadit, cum 500 armatorum milibus, & primo per totas Gallias tanta per eos Dei efferbuit indignatio: vt nullam omnino ciuitatem Castellum vel oppidum, aliqua à furore eorum potuerit tutari munitio. Postremo Aurelianis vrbem eis obsidentibus ad subsidium Galliarum aduolauit Patricius Romanorum Ætius, fultus & ipse Theoderici VVisigothorum regis & Merouei Francorum regis, aliarumq; gentium copijs militaribus. Conserto prælio in campis Catalaunicis, pugnatum est vsq; ad direptionem noctis. Ætius superior quidem recessit, Attilam tamen non vsq; ad internecionem deleuit. Cæsa sunt ibi 180 pugnatorum milia inter quos etiam cecidit Theodericus Rex VVisigothorum, cui Thurismundus filius eius successit in regnum. Porro Attila victus in claustra quæ de plaustris præparauerat, se recepit, Ætius vero Patricius inde digressus, ad patriam remeauit. Attila quoq; resumpta spe ex Ætij recessu repatriauit, mature rediturus suppleto exercitu. Porro in reditu nunc huc nunc illuc irruens per Gallias, strages dedit innumeras, vrbes Vesuntionem & Tullum, Lingonis & Treueris diruens, sed maxime Tungris quæ funditus est euersa. Metis prorsus incensa est, excepto prothomartyris oratorio quod quidam desuper in armis splendidus à talium hostium flammis defendit. Ventum est Trecas, pugnatur ad portas desuper B. Lupus hostem compellans, Quis nam tu es inquit qui sic nos impetis? Cui Rex: Ego sum Atila flagellum Dei. Quo contra humilis præsul gemens, & ego sum inquit Lupus heu vastator gregis Dei, & dignus nimium flagello Dei. Mox B. Lupus portas aperit, intrant hostes, sed mirum dictu diuinitus cœcati à porta ad portam transeunt, neminem aut videntes aut lædentes.

Sigebert an. 453.

Greg. Turon. Hist. Fran. lib. 2. cap. 6.

Omnibus bellis famosius fuit bellum quod candidatus Sanctarum 11. milium virginum exercitus bellauit, duce sancta virgine Vrsula quæ filia vnica Nothi nobilissimi & ditissimi Britannorum principis, cum nundum nubilis à filio cuiusdam ferissimi Tyranni ad nuptias expeteretur, & patrem suum super hoc anxiari videret qui Deum metuebat, si *An. 453.*

filiam iam Deo deuotam nubere cogeret & Tyrannum timebat si filiam ei denegaret diuinitus inspirata nutanti patri suasit, vt Tyranno assentiretur, ea tamen illi proposita conditione, vt ipse & Tyrannus 10 virgines, genere forma & ætate electas sibi traderent, & tam sibi quam singulis illarum, mille virgines subscriberent & comparatis ad numerum ipsarum 11 triremibus inducias triennij sibi darent ad exercitium virginitatis suæ: nouo vsa consilio, vt aut difficultate propositæ conditionis animum eius à se auerteret, aut hac opportunitate omnes coæuas suas Deo secum dicaret. Et ex hoc condicto virginibus, triremibus & sumptibus comparatis per triennium belli præludia cunctis mirantibus, tandem sub vno die agente vento, ad portum Galliæ qui Ticla dicitur, & inde Coloniam sunt appulsæ, ibiq; ex Angeli monitu Romam tendentes, ad vrbem Basileam nauibus, à Basilea Romam vsq; pedibus profectæ eodem eundi tenore Coloniam sunt reuersæ, ab Hunnis vndique obsessam. A quibus cunctæ martyrizatæ, nouo & mirabili modo triumpharunt, & Coloniam sanguine & sepultura sua clariorem reddiderunt. Hæc de historia Britonum. Veruntamen de B. Collegio ac sacro martyrio 11 milium virginum, aliter sentiendum venerabilis sanctimonialis Elizabeth nomine in sua reuelatione dignissime manifestat, quæ iam in nostro seculo, anno videlicet incarnati verbi 1156 diuinitus mirabiliter meruit edoceri non solum quo tempore prædictæ passæ sint virgines, verum etiam quis pater Vrsulæ, quæ cognatio eius, quantis religiosis personis tam laicis quam ecclesiasticis, Collegium virginum fretum fuerit, & qui & quomodo etiam ipsi pro Christo cum sacris virginibus martyrium pertulerunt. Dicit enim quod quidam papa vrbis Romæ Quiriacus nomine 19 post Petrum, cum illis passus sit, fuit si quidem iste Pontiani papæ successor & rexit Ecclesiam an. 1. & mens. 10. & sic in loco suo virum sanctum qui Anteros dictus est ordinauit, & cum 11. millibus virginum discedens, sedem suam reliquit. Nam & ipse de Britannia natus, plures consanguineas in sanctarum numero puellarum asseritur habuisse, & quia sedem Apostolicam inuito Clero reliquit, nomen ipsius de Cathalogo Romanorum põtificum idem clerus erasit. Ipse tamen secure hoc fecit quia diuinit' sibi fuerat reuelatum cum eisdem virginibus martyrij palmam se percepturum. Passum est autem sanctum virginum Collegium iuxta præfatã narrationem circa annum incarnati verbi 237. Claruerunt hoc tẽpore viri Ecclesiastici scripturarum eruditione pręcipui, Eucherius Lugdunensis Episcopus elegans in sententijs, ornatus in verbis, qui ad Hilarium Arelatensem Episcopum eremi deserta petentem, edidit opusculum vnum de laude eiusdem eremi luculentissimo & dulci sermone dictatum: Idem quoq; Hilarius Arelatensis Antistes vir paupertatis amator & erga inopum prouisionem, non solum mentis pietate sed & corporis sui labore solicitus. Nam pro reficiendis pauperibus etiam rusticationem contra vires suas homo genere clarus & longe aliter educatus exercuit, sed nec in spiritalibus neglexit. Nam & in docendo gratiam habuit & absque perso-

Gennad. de scrip. Eccl. cap. 69.

narum acceptione omnibus castigatum opus prædicationis ingessit ingenio vero immortali aliqua & parua edidit quæ eruditæ animæ & fidelis linguæ inditió sunt, in quibus vitam parentis & prædecessoris sui B. Honorati Episcopi scripsit suaui & præclaro præditam eloquio. Auitus à Romanis imperator creatur: cum quo Marcianus vnanimitatis fœdus composuit. Sed cum ambo rempublicam concorditer administrarent: Marcianus 6 imperij sui anno obit. *An. 457.* *An. 468.*

Per idem tempus B. Mammertus Viennensis Episcopus floruit, qui tres dies Rogationum ante Ascensionem celebrari instituit. In diebus enim Episcopatus eius, maximus terræmotus in Vienna vrbe accidit, qui multas Ecclesias domosq; subuertit. Sed & lupi aliæq; Syluaticæ bestiæ per vrbem discurrebant & homines deuorabant. Denique cum per totum annum hoc fieret, ad hanc cladem multum terroris addidit, quod ipso die Sancto Paschæ regis palatium cœlesti est incendio concrematum. Cumque hi peruersi casus quotidie fierent, appropinquante Ascensionis die prefatus Sanctus præsul, omni populo ieiunium triduanum indixit, & sic illa tribulatio conquieuit. Deinde totius Cleri ac populi Episcoporumq; consensu statuitur, vt per omnes Galliarum Ecclesias hic litaniæ & ieiuniorum ritus imperpetuum teneretur. Quæ quidem obseruantia multum necessaria esse cognoscitur: tum pro pace tum pro conseruandis frugibus, tum pro cæterarum necessitatum occursibus. Dicitur autem hæc litania minor, ad differentiam illius quæ romana consuetudo 7. Kal. Maij induxit: quæ maior vocatur, vt pote a maiori hoc est à B. Gregorio instituta. *An. 475.*

Saluianus Massiliensis Ecclesiæ presbyter floret, qui humana & diuina litteratura instructus, & Episcoporum magister scripsit scolastico & aperto sermone multa. Hoc tempore apud Antissiodorum presulante Alodio, & regente monasterium sancti Germani viro digno ac venerabili Mamertino, S. Marianus à partibus Bituricensium adueniens, prædicto monasterio sociari se postulabat, quia idem monasterium antiquæ beatitudinis retinens statum odore suauissimo redolebat. Porro hic B. vir quantæ sanctitatis extiterit libellus de vita ipsius editus plenius ostendit. Claret Auitus Viennensis Episcopus, scientia secularium literarum doctissimus, & sanctitate præcipuus. Hic metrice de conditione mundi libros composuit. Hic aduersus hæresim Arrianam, quæ tunc non solum Africam, sed & Galliam Italiamq; ex parte occupauerat, magno sudore decertauit: quod clarissima opera eius testantur. Scribit enim dialogum satis elegantem, hæresim illam oppugnans fidelissimo & doctissimo immortaliq; ingenio, ad Gundebaudum Burgundionum Regem filium Gundouei. Item alios libellos duos contra Nestorium Episcopum & Euticem abbatem auctores erroris scribit, luculentissimo & castigato sermone. Fuerunt & alia illius plura eximia opera in Christi Ecclesia probatissima. Hic Sigismundum Regem in fide pietatis erudiuit. Qui agente illo postmodum monasterium SS. martyrum Agaunensium Mauricij sociorumq; eius construxit. Quem post- *S. Marian. Antissiod. aduenit.* *An. 490.*

modum captum & à francis occisum, vehementer doluit, huius in præsulis epithaphio inter alia sic dicitur.

Ado 6. ætat.

Vnus in arce fuit, cui quolibet ordine fandi,
Orator nullus similis, nullusque poeta.
Clamant quod sparsit, per crebra volumina libri
Qui vixit, viuit, perq́; omnia secula viuet.

An. 492. Zeno imperator obit.

493.		*Anastasius an. 26.*	511.		
494.			512.		
495.			513.		
496.	*Gelasius an.*		514.		
497.	*4.m.8. d.19.*		515.		
488.			516.		
499.			517.	*Hormisda an.*	
500.	*Anastasius*		518.	*9. dieb. 27.*	
501.	*ã.1.m 11.d.24*		519.		*Iustinus an. 9.*
502.	*Simmachus ã.*		520.		
503.	*15.m.7.d.28.*		521.		
504.			522.		
505.			523.		
506.			524.		
507.			525.		
508.			526.	*Ioannes an.2.*	
509.			527.	*mens.9.*	
510.					

An. 496.

Anastasius imperat annis 26. Hic decus Romani imperij Euthicianæ hæreseos illuuie maculauit, fauensq; hæreticis catholicos persequutus est. Clodoueus rex Thuringiam sibi subiugat, ac deinde regnum suum vsq; Sequanam dilatat. Post vsq; Ligerim procedit, castrumque Meledunum capit. Erat autem adhuc gentilis tam pertinax, vt nec vxor sua Clothildis Christianissima eum ab errore gentili auocare posset, licet id sæpius attentasset, verum tandem cum Alemannis congressurus esset, vidensq, immensos globos hostium expauisset, votum vouit Domino, quod si victoriam tribueret, ipse Christianismum susciperet:

An. 499. voto itaq; fidei suscipiendæ se obligans, victoria potiri meruit, & perempto Alemannorum rege Alemaniam sub tributo redegit. Porro reuersus S. Remigium adijt, petens se fieri Christianum. Cumque ad fontem sacri Baptismatis peruenisset, nec adesset, qui afferre Chrisma debuerat, ecce subito columba cælitus elapsa ampullam cum chrismate rostro detulit, de quo B. Pontifex regem in baptismo liniuit. Siquidem hæc ampulla in Remensi ecclesia hodieq; seruatur, & inde reges Franciæ inunguntur. Baptizata sunt quoq; multa Francorum milia, sui regis exemplo permota. Porro Clodoueus Remensem Ecclesiam mul-

tis nobilitauit honoribus, prædijsq; ditauit. Ex quibus multa B. Remigius Ecclesiæ Laudunensi contulit, sedemq; Episcopatus inibi esse constituens primum illic Genebaudum Episcopum ordinauit, eumdemq; in fornicatione cum sua quondam vxore prolapsum, sed septennali pœnitentia purgatum, & de reclusione diuino iussu eductum, sedi suæ restituit. Clodoueus itaq; Christianitate suscepta, cepit in fide proficere, honorare Ecclesias, prædijsq; prouehere, ac regni magnificentiam ampliare. Erat autem annus ab incarnatione Domini 500 regni vero sui 15. quando idem rex fidei suscepit initia, in gente Francorum est Christianitas dilatata. Apud Antissiodorum Alodio defuncto, mansit eadem ciuitas absque Episcopo annis 10. Quibus finitis Fraternus consecratur Episcopus, qui eodem die consecrationis suæ a barbaris vrbem vastantibus est martyrio coronatus. Post hunc Censurius sedit, annis 38. cuius tempore Constantius Lugdunensis presbyter & Rhetor facundissimus, obtentu S. Patientis Lugdunensis Episcopi, vitam S. Germani mirabili stilo edidit, omnique diligentia elaboratam eidem postmodum Episcopo Censurio habendam direxit, anno fere 40. post transitum eiusdem Germani Antistitis gloriosi. Per id tempus florebat Theudechildis, Clodouei Regis filia, virginitate pariter & pietate famosa. Hæc in conspectu Senonis cœnobium sub honore Apostolorum construxit, multis illud ædificijs amplians & prædijs locupletans Quo peracto ad dedicandam basilicam cum S. Eraclio tunc Senonis præsule vicinarum quoq; vrbium præsules affuere, vbi dum in orationibus pernoctarent, angelicas audiere voces dulcissime concrepantes. Facto mane accedentes ad altare, vident in 4 angulis medioq; marmoris, Crucis signacula decenter impressa. Stupentesq; proinde, non ausi sunt vlterius consecrare locum, quem cernebant cœlitus consecratum. Leonardus Aurelianensis ciuis, vir pietate & religione præcipuus, in regno Francorum emicuit. Hic B. Remigij discipulus, postmodum ad Aquitaniæ partes secedens, in Lemouicinæ vrbis territorio longo fertur tempore, heremiticam vitam duxisse. Captiuorum specialis patronus apud Deum singulari quodammodo merito, se deuote inuocantibus frequentius affuisse, experimentis euidentibus comprobatur. Hic etiam in nostro seculo famosissimum illum & strenuissimum militem Christi Boemundum Regis Siciliæ filium, se in carcere solicitius inuocantem, mirabiliter consolatus est, & ad extremum de pagani vinculis liberum cum gaudio principatui reddidit.

S. Fratern' 9 Altiss. Episcopus.

Fundatio cœnobij S. Petri viui.

An. 517.

Iustinus senior imperat annis 9. Floruit B. Benedictus Cassinensis abbas monachorum pater præcipuus, qui spiritu omnium iustorum plenus fuisse dignoscitur. Hic multorum miraculorum efficacissimus patrator & mortuorum resuscitator emicuit. Scripsit monachorum regulam luculento sermone, religione & discretione ornatam quæ arctam illam & arduam viam insinuare videretur, per quam certissime Christo attestante peruenitur ad cœlum. Huius vitam S. Papa Gregorius scripsit virtutibus plenam ac miraculis choruscantem, quam ab his

An. 528.

didicit & audiuit, qui faciem illius viderunt, & ei in presenti peregrinatione comites fuerunt. Quam etiam vitam & regulam, sua idem Domnus Apostolicus, auctoritate roborauit & stilo: vnde & ab illo tempore mos inoleuit, vt pene omnes qui monachico habitu induuntur, secundum huius S. patris regulam se viuere profiteantur. Hic etiam habuit sororem virginem Deo consecratam nomine Scolasticam, cuius animam vidit de corpore egressam in columbæ specie, secreta cœli penetrare. Cuius mox obitum fratribus ac discipulis nunciauit ac omnipotenti Deo multiplices gratias pro illius reddidit glorificatione. Vidit etiam hic Sanctus Dei Benedictus, nocte quadam in oratione positus. Germani Capuani Episcopi animam ab angelis assumptam, in sphæra ignea in cœlum deferri. Huius patris discipulus B. Maurus leuita extitit, qui in monasterio ab eo nutritus, ab anno 12 ætatis, 20 cum eo annos expleuit. Quem 32. vitæ anno, vt pote iam fortem & promptum in operibus bonis iuuenem, Sanctus pater cum quibusdam alijs ad Gallias misit, vt in illa regione petente & agente sanctissimo Bertigno Cenomanensi Episcopo filios lucis procrearent & monastica instituta, quæ a tam Sancto patre susceperant, nouam progeniem generando confirmarent. Quem etiam Abbatem ordinauit, & regulam iam dictam quam manu propria scripserat, ei contradidit, panisq; libram & vini mensuram vas æneum eidem assignauit, sicq; cum sua benedictione abire permisit. In crastino vero misit Sanctus vir Benedictus iam dicto Mauro epistolam, in hæc verba dicens. Accipe dilectissime extrema institutoris tui dona, quæ & longum nostrum testentur amorem, tibiq; & commilitonibus tuis contra omnium perpetim munimem præbeant impedimenta malorum. Post expletam enim totam trinam vigeniorum decursionem annorum, ex quo monasterialem adisti perfectionem in gaudium Domini tui es introducendus, vt nobis Dominus hesterno die, postquam à nobis digressus es, ostendere dignatus est. Prædico etiam tibi moram vos in eundo esse passuros, ac cum difficultate habilem locum inuenturos, pro his quæ & Deo ordinante perficientur, & quę inimicus humani generis molimine calliditatis suæ in vos concitabit. Nusquam tamen benignitas misericordiæ Dei vobis deerit, sed potius differendo, licet ad desiderium animi vestri in longum extendendo, aliorsus quam sperauimus, aptissimam largiri dignabitur metationem. Iamque valeas felix in prouectione: felicior futurus in peruentione. Hanc epistolam Beatus Maurus præ nimia dilectione quam ergà hunc sanctissimum patrem habuit, sibi post obitum consepeliri fecit.

528.		*Iustinianus imperat an. 38.*	533.	*Bonifacius an. 2*
529.	*Felix ann. 4.*		534.	
530.	*mens. 2. d. 13.*		535.	*Ioannes an. 2.*
531.			536.	*mens. 4.*
532.			537.	*Agapitus an.*

538.	*Sylverius an.* 1.	552.	
539.	*mens.* 5.	553.	
540.		554.	
541.	*Vigilius an.* 17	555.	
542.	*mens.* 6. *d.* 26.	556.	
543.		557.	
544.		558.	
545.		559.	*Pelagius an.* 4
546.		560.	*mens.* 10. *d.* 18.
547.		561.	
548.		562.	
549.		563.	
550.		564.	*Ioannes an.* 13
551.		565.	*mens.* 11. *d.* 27.

Sanctus Leo Archi-episcopus Senonensis, successor venerabilis Antistitis Pauli floret, qui 16 eiusdem vrbis pontifex, sanctitate perspicuus, animo pius, post plurima misericordiæ opera defunctus, Christo animam reddidit. Habuit successorem honorabilem virum nomine Constantinum. Antisiodorensi Ecclesiæ post Censurium Vrsus præfuit, vir sanctitate conspicuus, qui iuxta S. Amatoris Basilicam reclusus, anachoreticam duxit vitam, vbi vsq; hodie est oratorium eius nomini dedicatum. Cuius sanctitatis euidens testimonium fuit, quod cum quadam die ciuitas subito conflagaret incendio, ipse populi clamore permotus familiarem illuc baculum destinauit, eoq; inter minaces flammas constituto, omne incendium dicto citius deflagrauit. Sancti viri merito taliter declarato, vrbis decedente pontifice, vi extractum præsulatui suffecere. Cella eius in Ecclesiam cessit, cui Theodosius successit, Theodosioq; Gregorius, ac Gregorio successit Optatus, qui omnes sanctitate clari, in Ecclesia B. Germani venerabiliter sunt sepulti. Romæ post Pelagium Ioannes præsidet an. 14. Hic Ecclesiam Apostolorum Philippi & Iacobi perfecit & dedicauit, & cœmeteria SS. martyrum restaurauit. Senonensi Ecclesiæ post Constantinum, Arthemius præfuit, vir satis honestæ & religiosæ vitæ, qui eandem Ecclesiam longo tempore prudentissime rexit. Antisiodoro post Optatum Droctoaldus, postquem Eleutherius ordinatur Episcopus.

An. 550.

4. *Altiss. Episcopi vita sanctimonia præclari.*

566.	*Iustinus an.* 11.	575.		*Tyberius an.* 7.
567.		576.		
568.		577.		
569.		578.	*Benedictus an.*	
570.		579.	3. *m.* 1. *d.* 18.	
571.		580.		
572.		581.	*Pelagius an.* 10	
573.		582.	*mens.* 2. *d.* 10.	
574.		583.		

Anno Iustini 7. Gregorius Turonensium ordinatur Episcopus, vir
clarus in omnibus a quo inter cætera quæ scripsit, S. Martini virtutes
& miracula multa descripta sunt, quæ in diebus ipsius abundantissime
prouenerunt. Fortunatus poeta vir egregius, ingenio clarus, sensu ce-
575. ler, ore suauis floret, qui ab Italia Turonis veniens, actus B. Martini
quatuor libris heroico metro contexuit. Verum inde post assumptus,
ordinatus est Pictauorum Episcopus. Per id tempus S. Maurus, B. Be-
nedicti discipulus obijt. Hic biennio ante obitum suum ordinato Ab-
bate in suo cœnobio, quod in pago Andegauensi super ligeris fluuium
ipse construxerat, pastorale onus deposuit, & assiduę orationi deditus
cum Sancto Desiderio expectabat diem vocationis suæ. Dum hæc age-
ret quadam nocte volenti illi Ecclesiam orationis causa ingredi, ap-
paruit furibundus hostis antiquus minitans atq; dicens. Eia Maure, qui
nos de sedibus nostris expellere, ad hanc patriam venisti. Non tibi sem-
per vt putas vota prospera succedent. Nunc tibi vindicabo in tuis iniu-
rias, quas à te hactenus suscepi. Data est siquidem mihi à Deo potestas
ad tempus debachandi in tuos. B. vero Maurus hæc audiens simplici-
ter respondit. Imperet Deus tibi sathan. Ingressus quoq; Ecclesiam, an-
te altare prosternitur, & Deum suppliciter exorat: vt huius rei exitum
ei sua pietate dignetur manifestius declarare. Quem mox amarius la-
crimantem cœlestis nuntius consolatus est & intimauit ei, vt suos prę-
moneret paratos esse, & quia plures eorum in breui ad Deum colli-
gendi essent. Post hæc S. Maurus suis quæ perceperat, annuntiauit,
confortansque fratres & instruens, vt præparati securi expectarent
suum Saluatorem, qui nunquam deserit sperantes in se paratos eos ad
hoc & deuoros agnouit & gauisus est. Factum est itaq; Deo volente,
vt infra quinque menses, 100 & 16 monachi in illo cœnobio quod glan-
na folium ex antiquo vocatum est, morerentur. Post quos & ipse Bea-
tus pater mortuus est.

584.		*Mauricius ann.*
585.		*20.*
586.		
587.		
588.		
589.		
590.		
591.		
592.		
593.	*Gregorius ma-*	
594.	*gnus an. 13. m.*	
595.	*6. dieb. 10.*	
596.		
597.		

598.		
599.		
600.		
601.		
602.		
603.		
604.		*Phocas an. 7.*
605.		
606.		
607.	*Sauinianus ā.*	
608.	*1. m. 5. d. 9.*	
609.	*Bonifaci⁹ m. 8.*	
610.	*Bonifaci⁹ ann. 6. d. 12.*	

Antissiodoro post Etherium, Augarius pontificatum suscepit. Hic genere nobilis cum adolescens in palatio Guntranni regis moraretur, postposita seculari pompa, clericatus assumpsit officium, & exinde Siagrium expetit Augustodunensem Episcopum, virum sanctitate & doctrina præclarum. Huius eruditione & exemplo, adprime informatus Augarius tandem crescentibus meritis ad Antissiodorensis Ecclesiæ regimen est assumptus, vbi multo tempore multis virtutibus floruit, & eandem Ecclesiam multis euexit prædijs, multis illustrauit salubribus institutis. Monasterio quoq; S. Germani multa largitus est, in quo venerabilem sepulturam sortitus est. Porro huius frater Germanus extitit Austrenus nomine Aurelianorum pontifex, nepos quoq; eiusdem ex sorore Agia, Lupus Archiepiscopus Senonensis, vir eminentissimæ sanctitatis. Antissiodorensi Ecclesiæ post Augarium, Desiderius natione Aquitanus præfuit, vir nobilissimus atq; mitissimus, cuius secularis dignitas tanta extitit, vt ei nemo suo tempore, quamuis potentissimus ex æquo se conferre potuerit. Fuit enim propinquus Brunechildis Reginæ filijsq; eius tam Francorum quam Burgundionum regibus, quorum & munificentia tantam prædiorum amplitudinem consecutus est, vt nulla vel medianæ Burgundiæ, vel Aquitanicæ prouinciæ inueniatur Ecclesia principalis, quam non rebus auxerit proprijs. Basilicam sane B Stephani cui sedit, miro decore ampliauit, ingenti testitudine à parte orientis applicita, auroq; ac musiuo splendidissime decorata. Prædia quoq; & vasa tam aurea quam argentea contulit illic innumera, multaq; missoria tam ex auro quam argento varijs celaturis exsculpta. Sed & B. Germani Ecclesiam & vasis prætiosissimus adauxit & prædijs. Monasterio sanctorum Cosmæ & Damiani, & monasterio puellarum quod vltra fluuium Icaunæ in honore sancti Martini constructum est, cæterisque Ecclesijs infra & circa Antissiodorum constitutis multa distribuit: cuius etiam solatijs, Ecclesiam sanctorum Geruasij & Prothasij quidam Diaconus construxit, eorumdem martyrum reliquijs venerabiliter ibidem reconditis. Senonensem Ecclesiam post Arthemium rexit Lupus Sanctissimus, miraculorum gloria præclarus. Huic aliquando Eucharistiam consecranti, gemma de cælo à Deo in calice descendit. Hic caduco morbo laborantibus singularis patronus in finibus suis esse, innumeris vtriusque sexus collata sanitate comprobatur.

Circa an. 600.

611.		*Heraclius cum*	620. *Bonifacius an*
612.		*Constantino filio suo an. 31.*	621. 5. *dieb.* 13.
613.			622.
614.			623.
615.			624.
616.			625.
617.	*Deusdedit an.*		626. *Honorius an.*
618.	3. *dieb.* 20.		627. 12. *m.* 11. *d.* 17.
619.			628.

629.		
630.		
631.		
632.		
633.		
634.		
635.		
636.		
637.		
638.		
639.	*Seuerinus an.2.*	
640.	*menſ.4.d.29.*	
641.	*Ioannes an.1.*	
642.	*menſ.8.*	*Conſtantinus*
643.	*Theodorus ſe-*	*an. 28.*
644.	*cundus an. 6.*	
645.	*menſ.5. d. 8.*	
646.		
647.		
648.		
649.		
650.	*Martin⁹ mar-*	
651.	*tyr an. 6. m.1.*	
652.	*dieb. 26.*	
653.		
654.		
655.		
656.	*Eugenius an.2*	
657.	*menſ.9. d. 22.*	
658.	*Vitalianus ſe-*	
659.	*dit an.14. m.*	
660.	*6.*	
661.		
662.		
663.		
664.		

665.		
666.		
667.		
668.		
669.		
670.		
671.		*Conſtantinus*
672.	*Adeodatus*	*an.17.*
673.	*ſedit ann. 4.*	
674.	*menſ.2.d.5.*	
675.		
676.		
677.	*Domnus an.*	
678.	*1.m.5.d.10.*	
679.	*Agatho an.2*	
680.	*menſ.6.d.3.*	
681.		
682.	*Leo m.1.d.17.*	
683.	*Benedictus m.*	
684.	*10. dieb. 12.*	
685.		
686.	*Ioannes an.1.*	
687.	*Conon.m.11.*	
688.	*Sergius an. 13.*	*Iuſtinianus an.*
689.	*menſ.8.d.23.*	*10.*
690.		
691.		
692.		
693.		
694.		
695.		
696.		
697.		
698.		*Leo an. 3.*
699.		
700.		

Sanctus Amatus qui in Senonenſi Eccleſia B. Lupo ſucceſſerat, à Theoderico Rege inſtigante Ebroino graui diu tribulatur exilio. His *An. 622,* diebus Antiſſiodorenſem regebat Eccleſiam B. Vigilius, Palladij ſucceſſor vir clarus genere ſed clarior ſanctitate. Hic inter cætera virtutum ſuarum inſignia, etiam monaſterium in ſuburbano Antiſſiodori conſtruxit, quod pluribus ditatum muneribus in honore S. Dei genitricis Mariæ dedicauit. Quod etiam muro circuncingens, monachorum eſſe conſtituit, ſimulque Xenodochium pauperum ibidem eſſe præcepit.

Porro post B. Vigilium, Scopilio, ac post eum Tetricus præfuit dictæ Ecclesiæ vir mitissimus & omni bonitate ornatus. Hic prius Abbas S. Germani extitit, vbi cum multis eniteret virtutibus, cunctis fauentibus ad pontificium est assumptus. Hic primo anno ordinationis suæ concilium habuit, in quo statuit vt Abbates vel Archipresbyteri Antissiodorensium Ecclesiarum, vel circumiacentium vicorum, in Ecclesia S. Stephani diuinum officium vicissim persoluerent, & singuli singulis hebdomadibus altario deseruirent. Statuit etiam omnibus in sua vice ad peragendum officium conuenientibus, ex Dominico cellario per manum œconomi, sufficientia stipendia ministrari. Si vero tardi occurrerint, ac negligentes apparuerint 40 dies a vino abstineant. Vicedominus autem ac Cellerarius, si quod iure eis ministrare debent, in aliquo substraxerint, tetrusi in monasterium per annum dimidium pane & aqua contenti, debitam pœnitentiam faciant. Is tandem B. pontifex, cum per aliquot annos feliciter Episcopatum rexisset, accidit vt scamno sopore resolutus quiesceret, moxq; eum quidam Archidiaconus suus gladio transuerberans, transmisit ad Christum. Idem autem interfector sicut fertur mox vt a domo exijt, subito turbine raptus nusquam comparuit. Sanctus autem Tetricus in Ecclesia S. Eusebij venerabiliter est sepultus. Sane de scamno super quod interfectus est, plures ex dolore dentium ob meritum S. martyris obtinuere remedium.

S. Tetricus 24. Antiss. Episcopus.

701.		*Tyberius an. 7.*	709. *Constantinus*	
702. *Ioannes sex-*			710. *an. 7. d. 15.*	
703. *tus an. 3. m.*			711.	
704. *2. dieb. 13.*			712.	
705. *Ioannes septi-*			713.	
706. *mus annis 2.*			714.	*Philippus an. 1.*
707. *m. 7. d. 16.*			715.	*Anastasius ã. 2.*
708. *Nisim' d. 20.*		*Iustinia an. 6.*	716. *Gregorius 2. an. 16. m 8. d. 21.*	

Senonensi Ecclesiæ post S. Amatum præfuit Medetius, postquem Hyldegarius post Auripertus, post Ermentarius, post Arnulphus, post Landebertus cui succedit S. Emmo. Porro S. Emmoni substitutus est vir Deo dignus VVlfrannus qui per id tempus sub Carolo principe effloruit mirabili sanctitate. Antissiodorensem Ecclesiam post S. Tetricum rexit Socoaldus ac post eum Sabaricus, qui cum esset genere nobilis postposita dignitate Episcopi, cœpit sæuitiam exercere tyranni, adeo vt tam pagum Aurelianensem quam Niuernensem, Tornodotensem quoq; atq; Aualensem necnon & Trecassinum manu inuadens militari suæ subijceret ditioni. Nam tunc temporis Franci inter se dissidentes, plurima ciuilia bella commouebant. Is demum Sabaricus exercitu plurimo vndecumq; collecto cum Lugdunum ad expugnandum pergeret diuino fulmine ictus interijt: Indeque relatus in S. Germani basilica est sepultus.

717.	*Theodosius a. 1.*	730.	
718.	*Leo an. 24.*	731.	
719.		732.	*Gregorius ter-*
720.		733.	*tius an. 10. m.*
721.		734.	*9. dieb. 24.*
722.		735.	
723.		736.	
724.		737.	
725.		738.	
726.		739.	
727.		740.	
728.		741.	
729.			

Post Sabaricum Haimarus præfuit, vir valde strenuus, cuius in tantum potestas seculariter excreuit, vt vsq; ad Ducatum totius Burgundiæ perueniret. Hic cum multa strenue peregisset à quibusdam æmulis suis in pago Tullensi cum quodam nepote suo lanceis confossus, ibiq; dicitur fuisse sepultus. Huic successit Theodrannus qui prædicto Haimaro adhuc superstite, ex eius consensu fuerat ordinatus Episcopus. Post hunc Quintilianus sedit, prius Abbas S. Germani, sed ob virtutum dignitatem prouectus in præsulem. Huius pater Quintilianus monasterium Melerense construxit, ac rebus proprijs ditauit. Porro Quintiliano Gillianus, & Gilliano Clemens successit, qui cæcitatem corpoream passus iuxta basilicam apostolorum Petri & Iacobi diuersorium

Circa an. 700. habuit. Senonensem Ecclesiam post B VVlfrannum rexit Gericus vir clarissimus, quem idem VVlfrannus in loco suo ordinans, Fontanellam monasterium petijt, ibiq; monachus effectus Frisiam prædicauit, vir sanctitate & doctrina præfulgidus multisq; miraculis gloriosus. Gerico vero successit S Ebbo eiusdem Gerici nepos. Hic cum parentibus orbatus esset eiq; Castrum Tornodorum hæreditario iure competeret, Senonis latenter fugit, ibique in monasterio S. Petri viui diu Christo sub Abbatis imperio militauit. Cuius loci postmodum Abbas factus, & inde ad pontificatum promotus, tam signis effulsit quam meritis. Antissiodorensi Ecclesiæ post Clementem præfuit Adulfus, ex cantore Episcopus, vir in diuinis officijs strenuus, & Episcopali largitate famosus. Huius tempore res Ecclesiasticæ ab Episcoporum potestate per Carolum principem abstractæ in dominatum secularium cesserunt. Siquidem centum tantummodo mansis Episcopo derelictis, quicquid villarum superfuit in sex principes Baioarios distributum est, abbatiæ vero singulis abbatibus dilargitæ. Quam Ecclesiæ humiliationem idem religiosus pontifex pene exitialiter doluit, adeo vt paralisis morbo correptus, vniuersis sui corporis officijs priuaretur: Eodem itaque diuersorio cum prædicto Clemente adhuc superstite clausus, stipe Ecclesiasti-

ca vsque ad diem sui obitus alebatur Maurino ex voluntate eiusdem pontificis subministrante publicas functiones.

742.		*Constantinus an. 35.*
743.	*Zacharias an. 10. m 3. d 15.*	
744.		
745.		
746.		
747.		
748.		
749.		
750.		
751.		
752.		
753.	*Stephanus secundus an. 5. dieb. 28.*	
754.		
755.		
756.		
757.		
758.		
759.	*Paulus an. 10.*	

760.		
761.		
762.		
763.		
764.		
765.		
766.		
767.		
768.		*Hic obijt Pippinus Rex Franc. Karolus magn9 regnat.*
769.	*Cõstãtin9 ã. 1.*	
770.	*Stephanus an 3. m. 5. d. 28.*	
771		
772.		
773.		
774.	*Adrianus an 23. m. 10. d. 28*	
775.		
776.		

Senonensi Ecclesiæ post S Ebbonem, S Honobertus præfuit, vir omni honestate præcipuus, cui successit Honulfus & Honulpho Othbertus qui virum honorabilem nomine Lupum habuit successorem. *An. 760.*
Antissiodorensem hoc tempore regebat Ecclesiam Marinus Haydulfi successor, vir vrbanæ facundiæ & eximiæ sanctitatis: Hic Carolum regem adijt, & ab eo obtinuit vt decedentibus singulis qui tunc res Ecclesiasticas obtinebant, paulatim cuncta reciperet: Sicque annuente Deo res prospere cessit vt fere intra biennium nullus pene eorum restiterit, quibus prædia Ecclesiastica contra licitum deseruiebant. Sub hoc præsule Eomenoldis primus Antisiodori comes in suo ipsius prædio monasterium in Saluatoris honore construxit: Senonensi Ecclesiæ post Lupum præfuit Viricarius, & post eum, Godeschalus cui successit vir dignisimę vitæ S Gumbertus, qui domnum Petrum virum venerabilem habuit successorem:

777.	*Leo an. 5.*	
778.		
779.		
780.		
781.		
782.	*Hyrene cum filio suo Constantino an. 10.*	
783.		
784.		

785.		
786.		
787.		
788.		
789.		
790.		
791.		
792.		*Constantinus*

793.		*solus an.7.*	798.	*20. m.5. d.16.*	
794.			799.		
795.			800.		*Hyrene sola an.*
796.			801.		*3.*
797.	*Leo tertius an*				

Antisiodorensem Ecclesiam post Maurinum rexit Aaron, qui proficiscente Romam Carolo magno cum ipso pariter profectus est, qui & ipse sicut & predecessor suus in Ecclesia B Geruasij est sepultus. Senonensi Ecclesiæ post Petrum VVilebaldus præfuit cui Berardus successit postquem Raimbertus ac post eum Magnus, qui Ecclesiam in honore Saluatoris ædificauit, vbi canonicorum sepulturam instituens, seipsum ibidem sepeliri fecit. Sub hoc præsule Carolus magnus S Stephano dedit villas & prædia, ornamentaque varia, preciosissimas insuper sanctorum reliquias.

802.		*Karolus Imperator imperauit*	829.		
803.		*13. an.*	830.		
804.			831.		
805.			832.		
806.			833.		
807.			834.		
808.			835.		
809.			836.		
810.			837.		
811.			838.		
812.			839.		
813.			840.		
814.			841.		*Lotharius an.15.*
815.	*Stephanus m.7.*	*Ludouicus pius*	842.		
816.	*Paschal. an.7.*	*an. 26.*	843.	*Sergius an. 3.*	
817.	*dieb. 17.*		844.		
818.			845.		
819.			846.	*Leo an. 8. m.*	
820.			847.	*3. dieb. 6.*	
821.			848.		
822.			849.		
823.	*Eugenius an.3*		850.		
824.	*mens. 2.*		851.		
825.			852.		
826.	*Valẽtinus d.40*		853.		
827.	*Gregorius*		854.		
828.	*an. 16.*		855.	*Benedictus an. 2. m.6. d.10.*	

Ludouicus cognomento Pius Caroli magni filius imperat annis 26.
huius

Huius imperij ingressus secundus fuit & placidus, sed finis multis incommoditatibus fatigatus. Post Magnum Ieremias præfuit: Hic prius monachus & procurator cœnobij S. Richerij in pontiuo pago siti, cum videret post mortem Karoli magni in eadem prouincia paganos diffundi, timens: quasdam sanctorum reliquias quæ illic erant secum accepit, Senonesq; deuenit, vbi cum hospitaretur accidit Magnum tunc archiepiscopum decedere, moxq; præfatus Ieremias nutu dei totius fauore populi meruit in pontificem promoueri. Antissiodorensem Ecclesiam post Aaron rexit Angelelmus natione Baioarius vir summę simplicitatis & charitatis, in elemosinis præcipuus ac pene suo tempore singularis. Fertur enim interdum amore largitatis, ægritudinem simulasse, vt absq; vllius contradictione quæ habere poterat, in vsus pauperum erogaret. Ecclesiam S. Stephani cui præfuit varijs & pretiosis ornamentis ditauit, cæteris quoq; Antissiodorensibus Basilicis plurima dona distribuit. Senonensi Ecclesiæ post Ieremiam præfuit Aldricus Ferrariensis cœnobij prius Abbas. Hic cœnobium S. Remigij quod erat ante portam ciuitatis, in propria villa eiusdem cœnobij quę vocatur Va lilias commutauit: quo tamen imperfecto, plenus virtutibus dormiuit in Domino. Post Aldricum præfuit VVenilo qui cœnobium S Remigij apud Vallilias à suo prædecessore inceptum perfecit quod facultatibus & multis honorib^9 ditauit. Ecclesiam vero S. Stephani quæ erat vetustissima renouauit pristinoq; decore reformauit Sed & Ecclesiam sanctæ Columbæ dedicauit in honorem sanctæ Crucis, & in crastino dedicationis die, corpora SS. Columbæ & Lupi cum maximo honore leuauit de tumulis, vbi prius iacuerant.. Huic etiam Archiepiscopo beati martyres Sauinianus, Potentianus, Altinus, Eodaldus, & Serotinus se reuela e dignati sunt qui eorum corpora de Ecclesia & loco in quo sepulti erant in Basilicam S. Petri viui cum honorificentia multa transposuit. Antissiodorensi Ecclesiæ post Angelelmum prefuit Heribaldus. Hic ecclesiam S. Stephani & parietibus & laquearibus renouauit, vitreis quoq; ac picturis optimis decorauit, coronas argenteas quatuor instituit. Hic sanctorum martyrum Alexandri & Crisanti pignora ab vrbe Roma detulit, quæ in prædicta Ecclesia recondidit, fredamq; cum cancellis benigno studio exornauit. Hic etiam corpus beatissimi Germani pręcepto regum Karoli & Ludouici ex loco in quo primum tumulatum fuerat, venerabiliter Cal. Septemb. transmutauit anno Domini 841. quod ita & soliditate integrum, & vestibus reperit incorruptum vt quondam fuerat a venerabili Augusta Placidia decentissime compositum. Hic etiam præsul cum regi Karolo & charus esset & intimus, eius munificentia villas quasdam obtinuit quæ olim iuri ecclesiastico fuerant abdicatæ. Porro huic successit Abbo germanus eiusdem, prius abbas cœnobij S. Germani, vir strenuus atq; tam in diuinis scripturis quam in secularibus principaliter eruditus, qui ambo in Ecclesia S. Germani cum multa sunt honorificentia tumulati.

An. 840.

856.		*Ludouicus ann.*	874.		
857.	*Nicolaus an.*	21.	875.		
858.	*9. m. 2. d.20.*		876.		
859.			877.		*Karolus caluus*
860.			878.		*annis 2.*
861.			879.		*Karolus. Ludo-*
862.			880.		*uici filius an.* [illegible]
863.			881.		
864.			882.	*Martin' ã.1 m.5*	
865.			883.	*Adrian' ã. 1.*	
866.			884.	*Stephanus an.*	
867.	*Adrianus*		885.	*6. dieb. 8.*	
868.	*annis 5.*		886.		
869.			887.		
870.			888.		
871.			889.		
872.	*Ioannes 8.*		890.	*Formosus ã.4*	
873.	*annis 10.*				

Anno Ludouici 7. qui erat ab Incarn. Domin. 862. Corpora SS. martyrum Vrbani papæ & Tiburtij Antiſsiodorum ſunt delata, & in Eccleſia S. Germani decenter repoſita. Anno 865. corpora SS. martyrum Euſebij & Pontiani, comes Girardus de Roſsilione, largitione Papæ Nicolai, ab vrbe Roma in Gallias tranſtulit, & B. Euſebium Pulteriaci, Pontianum vero Verzelliaci, in monaſterijs ſcilicet quæ ipſe fundauerat in Lingonenſi diœceſi, vbi hodie requieſcunt honorifice compoſuit. Senonenſi Eccleſiæ poſt Venilonem præfuit Egil monachus, omni bonitate conſpicuus: Sub cuius tempore fames & mortalitas magna per regnum francorum efferbuit, & maxime per Aquitaniam & Burgundiam, ita vt præ multitudine morientium non eſſet qui mortuos ſepeliret. Apud Senones vero crudelius lues iſta plures proſtrauit, ſed miſerante Deo ipſo anno ceſſauit. Antiſsiodorenſem Eccleſiam poſt Abbonem rexit Chriſtianus natione Alemannus, vir ſimplex & humilitate præcipuus. Hic B. Amatoris corpus a primæ ſepulturæ loco in criptam ipſius domus feſtiue tranſuexit. Senonenſi Eccleſiæ poſt Egilem præfuit Anſegiſus monachus, vir in cunctis optime agens, cuius tempore Senonenſis Eccleſia magno & pacifico viguit honore. Siquidem Ioannes papa totius ei Galliæ & Germaniæ primatum contulit, vt eſſet primus poſt Papam, ſynodumq; preſulum euocaret, & de fortioribus quibuſq; ac grauioribus iudicaret cui reſiſtere voluit Hincmarus Rhemorum Archiepiſcopus, ſed apoſtolica auctoritate compreſſus eſt. Huic etiam Anſegiſo venerabili præſuli, præfatus papa dedit caput B. primi papæ Gregorij, & brachium S. Leonis papæ & doctoris, quas ille venerandas reliquias Senones detulit, & in Eccleſia

Ex martyrol. m.ſ. monaſt. Pulteriarum ſub die 25. Auguſt.

An. 876.

S. Petri viui cum debita veneratione reposuit. Idem quoque transtulit corpora SS. pontificum Leonis, Vrsini, Agricij & Ambrosij in prædictam Ecclesiam de Basilica S. Leonis vbi primum fuerant tumulata, quæ prius dedicata fuit in honore SS. Geruasij & Prothasij. Fuit autem ipsa habitatio monachorum magna, sed paganis vrbem obsidentibus est destructa. Transtulit & prædictus pontifex corpus B. martyris Sanctiani de villa quę ex eius nomine Sanceia vocatur cum corporibus Augustini martyris, & Beatæ virginis prædicti Sanctiani sororis quos omnes in Basilicam sancti Petri condigne recōdidit. Feruntur autem ijdem martyres Sanctianus & soror eius Beata, fuisse consanguinei S. Columbæ martyris, & ob amorem eius à partibus Hispaniæ cum alijs pluribus aduenisse, & apud Senones, Aureliani imperatoris iussu martyrium pertulisse. De sancto vero Augustino fertur quod fuerit Archiepiscopus Treueris, orationisque causa ad S. Martinum deuenerit & itineris labore confectus, hospitandi gratia in villam Sanceiam diuerterit, ibique ægrotans diem extremum clausit sepultusque est iuxta tumulum martyris Sanctiani. Impetrauit etiam præfatus Ansegisus ab Hugone S. Germani Antissiodorensis abbate, corpus S Romani, transtulitq; illud in Ecclesiam S Remigij. In Antisiodorensi Ecclesia Christiano succesit VVala prædicti Archiepiscopi Ansegisi frater vir scientia clarus & moribus adornatus, Huius studium fuit magistros literarum charitatiue amplecti, eorumque alloquijs & consilijs vti suoque conuiuio participari, Ecclesiæ thesaurum, ac si sacrilegium vitabat contingere, donaria argentea vel aurea, palliaque peroptima sancto contulit Stephano. In omni conuictu atque secreto presentia suorum vsus est clericorum, non patiens quicquam sinistrum de illis audire vel loqui vtens vulgari prouerbio: nesciant laici quid faciunt clerici, & pares paribus socientur. Porro huic VVallæ succesit Vmbaldus episcopus, Senonensi Ecclesiæ post Ansegisum præfuit Eurardus cui succesit VValterius scientia & nobilitate clarissimus. Antisiodorensem Ecclesiam post Vmbaldum rexit Herifridus, vir ornatus cunctis virtutibus, signis etiam admirandus. Huius tempore ciuitas improuiso flammis exusta, penitus versa est in cineres tantum & rudera, Quod videns sacer præsul, suo induxit animo, quod sibi nunquam in vrbe habitaculum faceret, nisi prius beatæ Mariæ virginis, ac sanctorum Ioannis & Stephani basilicas integre reparasset: quas paruo contentus tugurio mox reædificare cœpit mirificeque restruxit, sed morte præuentus, domum Episcopalem reparare non potuit. Huic succesit Gerranus vir vitæ venerabilis, cuius tempore cum Normannorum gens impia omnem circumquaque regionem prædis, cædibus, incendijs deuastaret: idem strenuus præsul suos euocat, verbis hortatur benedictione corroborat, vtque bellicis accincti armis secum proficiscantur exorat. Mox cum suis vrbe egreditur & inuentis hostibus, bello eos aggreditur quibus profligatis, victoria Domino adiuuante potitur,

Circa an. 900.

891.	*Arnulphus*	906.	
892.	*annis* 12.	907.	
893.		508.	
894. *Bonifaci⁹ d.*15		909.	
895. *Stephan⁹ ā.*1 *m*3		910.	
896. *Roman⁹ m.*3.		911. *Anastasius*	
897. *Theodor⁹ d.*20		912. *an.*2. *m.* 2.	
898. *Ioãnes. ā.*2. *d.*13		913. *Lando m.*6.	*Conradus an.*7.
899. *Benedictus*		914. *Ioannes ann.*	
900. *an.*3. *m.*2.		915, 13.*m.*2.*d.*3.	
901.		916.	
902. *Leo d.* 40. *Chri-*		917.	
903 *stophorus m.*7.	*Ludouicus*	918.	
904. *Sergius an* 7.	*annis* 10.	919.	
905. *dieb.* 16.			

Sigeb. sub An. 912.

Berno abbas morirurus Odonem olim musicum, constituit abbatem Cluniacensis cœnobij, ea conditione vt Ecclesia Cluniacensis solueret annuatim Ecclesiæ Gigniacẽsi censum 12 denariorum. Hic beatus Odo miræ sanctitatis extitit, & incomparabilis in monastica disciplina feruoris ac pene suo seculo singularis, valde enim hoc tempore religionis monasticæ feruor in plerisque Galliarum locis tepuerat, & rarus in aliquo monastico habitu induto, mundi contemptus inueniebatur. Abatiæ siquidem antiquiores quæ in vrbibus Franciæ, seu in castris nobilioribus fuerant editæ à religiosioris propositi tramire adeo exorbitauerant, vt pene omnes qui in eis diuinis videbantur mancipati obsequijs, curis carnis ac suæ voluntatis studio & intentioni addicti essent. Vnde non immerito rariores hoc tempore spiritales viri fuerunt, & vix vel vnus magnæ famæ aut sanctitatis immensæ his diebus extitisse referatur qui poni posset in lucem gentium, vt salus esset his qui in extremis viriorum finibus morabantur. Nam præter Domnum Odonem religiosissimum Abbatem qui hoc tempore floruit cuiusque sanctitas & religio non mediocris fuisse certissime comprobatur, vix aliquis enituit qui fraternæ correptionis ardore repleretur. Hic igitur beatus vir ob suæ sanctitatis cumulum, non solum Cluniacensis sed & multorum in regno Hesperiarum cœnobiorum effectus est abbas egregius, & disciplinæ regularis sagacissimus propagator. Ipsius enim industria & feruore monachorum tepor versus est in ardorem, & in fidei & religionis deuotionem venerandam. Valde quippe per eum & sub eo refloruit exsiccata monachorum deuotio, & B. Benedicti institutio laudabilis viguit plurimum in cœnobijs & conualuit reparata. Cluniacensis denique Ecclesia tanta religione sub hoc sanctissimo patre Odone in initio ac longe post floruit vt merito fonti aquæ viuæ comparari potuisset, quæ veræ religionis puritate ad se venientes & inibi Deo de-

ſeruientes pleniſsime abluebat, Senonenſem Eccleſiam poſt VValterium, rexit VValterus eiuſdem VValterij nepos, cuius tempore pagani Burgundiam vaſtauerunt, factumque eſt bellum inter Chriſtianos & paganos in monte Chalo peremptis ex Chriſtianis multis milibus vbi Garnerius vicecomes Senonenſis interfectus eſt. Porro VValterio ſucceſsit Adaldus venerandæ memoriæ. *Frodoard. in Chron. An. 925.* Antiſsiodorenſi Eccleſiæ poſt Gerrannum, Betto præfuit, vir ſanctimonia clarus, & ſapientiæ documentis egregius. Hic a puero monachus ac poſt cœnobij S. Columbæ præpoſitus, multa illic ſtudio acquiſiuit, multis operoſis ædificijs locum illum excoluit. Siquidem in giro cœnobij mœnia cum turribus fundauit, & vſque ad propugnacula erexit. Quodquidem caſtrum peregiſſet, niſi eum de loco illo diuina electio ſubmouiſſet. Exedras quoq; B. Lupi & S. Columbæ, bracteis aureis atque argenteis fabrili artificio ſculptis ambiuit. Huic vero ſucceſsit Gualdricus qui primo à parentibus ſuis monaſterio S. Germani deditus & prouectus in monachum, tandem creſcentibus meritis in abbatem eiuſdem loci meruit promoueri. Deinde vniuerſo clero & populo acclamante ob vitæ ſublimitatem ſublimatur in præſulem. Hic inſtituit vt omnes epiſcopatus ſui ſacerdotes cum ſuis parochianis per dies Penthecoſtes feſtiuos cum crucibus atque vexillis, ad eccleſiam S. Stephani conuenirent, ibique ab Epiſcopo ſiue Archidiacono ſpiritali exhortatione refecti, & Epiſcopali benedictione percepta, deinde redirent ad propria. Sancto quoq; Stephano multa tam in vaſis precioſis, quam in pallijs mirifice coloratis contulit ornamenta. Denique quando Romam cauſa orationis adijt à Ioanne papa B. Laurentij martyris ac S. Eugeniæ reliquias impetrauit ſecumque reuexit, de quibus partem monachis S. Germani dedit, aliam vero ſibi retentam ad Varziacum deferens, in eccleſia eiuſdem virginis Eugeniæ cum honore recondidit. Tandem vero viam vniuerſæ carnis ingreſſus, ſicut & Bero prædeceſſor eius, in eccleſia S. Germani venerabiliter eſt ſepultus.

920.		*Henricus an 18.*	934.		
921.			935.	*Leo annis* 12.	
922.			936.	*m.6.d.*10.	
923.			937.		
924.			938.	*Stephanus an.*	*Otto an.* 36.
925.			939.	3.*m* 4. *d.*15.	
926.			940.		
927.	*Leo m.*7.		941.	*Marinus an* 3.	
928.	*Stephanus an.*		942.	*menſ.*6.*d.*10.	
929.	2. *menſ.* 1.		943.		
930.	*Ioannes an.*4.		944.		
931.	*menſ.* 10.		945.	*Agapitus an.*	
932.			946.	10.*m.*6.*d.*10.	
933.			947.		

948.		961.	
949.		962.	*Benedict⁹ m.2*
950.		963.	*Leo an.1.m.4.*
951.		964.	*Ioannes ann.*
952.		965.	*7. mens. 11.*
953.		966.	
954.		967.	
955.	*Ioannes an.7.*	968.	
956.		969.	
957.		970.	
958.		971.	
959.		972.	*Benedict⁹ ã.1.*
960.		973.	*Onus ã.1.m.6*

Senonensem Ecclesiam post Adaldum rexit Vilelmus Anno Otto-
An. 937. nis imperatoris primo Radulphus rex Francorum apud Antissiodorum
moritur, cuius corpus in Ecclesia S. Columbæ Senonis tumulatur. Post
eius mortem Franci coacto in vnum concilio VVillelmum Senonens.
Archiepiscopum miserunt in Angliam ad Oginam reginam quondam
Frācorum vt filium suum Ludouicum remitteret ad regnum paternum.
Cui datis obsidibus, & sacramentis adhibitis accepit Ludouicū prefatus
antistes & in Franciam adduxit qui apud vrbem Laudunum in regem
An. 938. vnctus & coronatus est, regnauitq; annis 19. Anno Othonis 11. 16 Ka-
lendas Martij à Gallorum cantu vsq; ad lucem diei sanguineæ acies per
totam cæli faciem apparuerunt. Sequenti mense Hungari per Austra-
siam & Alemanniam multis ciuitatibus, igni & gladio consumptis
VVormaciæ rheno transito Gallias secundo aggrediuntur. Burgun-
diamq; & Franciam & Aquitaniam miserrime depopulantur. Perue-
nientes autem Senonis vrbem, B. Petri viui cœnobium incenderunt.
Quod cernens Sanson Abbas & monachi, SS. Sauiniani & Potentiani
corpora cum alijs reliquiarum pignoribus intra vrbem detulerunt re-
licto corpore S. Serotini in cripta retro altare S Petri, eo quod eius-
dem martyris Serotini oratorium minime potuisset incendi. Tandem
vero pace reddita prędictorum sanctorum corpora ad propriam Eccle-
siam vnde allata fuerant honorifice sunt relata. Post hæc Sansone ab-
bate mortuo, S. Odo Cluniaci primus abbas, S.Petri cœnobium susce-
pit regendum. Hic itaq; accersiens VVillelmum Archiepiscopum cum
assensu monachorum eidem cœnobio Arigaudum abbatem constituit,
S. Benedicti monachum, virum religiosum & timentem Deum. Porro
VVillelmo in Archiepiscopatu successit Gerlannus, S Germani Antis-
An. 947. siodorensis monachus qui cum per aliquot annos Senonensem strenue
rexisset Ecclesiam, demum migrans ad Dominum in Ecclesia S. Ger-
mani vnde assumptus fuerat fecit se tumulari. Post hunc Hyldemannus
monachus S. Dionysij pontificatum suscepit. Antissiodorensi Ecclesiæ
post VValdricum, præfuit Guido vir honestæ vitæ, & conuersationis

eximiæ. Hic Ecclesiam S. Stephani ab ipsis fundamentis erexit, & ampliori decori quam fuerat antea, vitreis magnis & camera exornauit. Hic etiam dictatu propriæ manus edidit responsoria cum antiphonis canenda in solemnitate S. martyris Iuliani, instar tamen harmoniæ habentia melodiam Germani gloriosi, ob hoc præcipue quod idem pontifex sanctissimus sicut in gestis ipsius inuenitur, prædicti martyris solemnis natalicij diem vniuersis incognitum, Domino sibi reuelante ostenderit celebrandum. Post Guidonem præfuit Richardus B. Germani à pueritia monachus vir nimiæ simplicitatis & minoris industriæ. *Guido 45. Antiss. Episcopus.*

974. *Bonifaci⁹ ã.1.*	*Otto 2. an. 10.*	989.	
975. *Benedictus*		990.	
976. *an.9.m.6.*		991.	
977.		992.	
978.		993.	
679.		994.	
980.		995.	*Gregorius ã.2*
981.		996.	
982.		997.	*Ioannes m. 2.*
983.		998.	*Siluester an.*
984. *Ioannes m 9.*	*Otto 3. an. 19.*	999.	*4. m.1.d.10.*
985. *Ioannes an.10*		1000.	
986. *mens. 7.*		1001.	
987.		1002.	*Ioãnes m. 5.*
988.			

Senonensi Ecclesiæ post Hildemannum præfuit Archembaldus. Sub huius tempore sanctorum Columbæ virginis & Lupi confessoris mausolæa per noticiam cuiusdam veterani monachi sunt detecta, quæ à tempore paganorum vsque ad tempus illud in cripta ipsius Basilicæ fuerant occultata. Vt itaq; de illorum præsentia certiores facti sunt, inuitato Archembaldo Archiepiscopo, populoque innumerabili cum magna eos honorificentia leuauerunt. Porro idem Archembaldus cum esset vir peruersus & seculo deditus, cœnobium S Petri ad solum vsq; contriuit Ecclesiasque & villas & ornamenta distrahens, suisque distribuens reliqua in proprios vsus retinuit. Archiepiscopalem quoque domum relinquens, habitauit in claustro monachorum, canesque suos & accipitres ibi collocare non timuit: sed nutu Dei quotquot illuc mittebantur mane mortui reperiebantur Remanserant autem ibi 15 monachi ex quibus 12 vna nocte mortui sunt, tres vero de ipsa plaga euaserunt qui tamen ipso anno defuncti sunt. Denique cum tot malis finem Dominus facere decreuisset, B. Sauinianus martyr prædicto Archembaldo semel & secundo apparuit, admonens illum vt resipisceret & malefacta corrigeret: Sed illo in sua malitia perdurante, tertio cum sanctus corripuit inuisibiliterque percussit: dicens, Non amplius patie- *An. 960.*

mus desolarc locum effusioni nostri sanguinis consecratum, quam vocem audientes cubicularij experrecti sunt, & surgentes inuenerunt illum miserabiliter nudum, in terra prostratum. Porro ipso adhuc præsulante Ecclesia S. Stephani incensa & post incendium funditus est euersa, claustrum quoque Canonicorum crematum est, librariumque & ornamenta Ecclesiæ, insuper & preciosissimæ perierunt reliquiæ. Sane Archembaldo mortuo eligitur Anastasius vir Deo dignus. Hic miræ sanctitatis & abstinentiæ fuit, vigiliarum amator continuus, & elemosinarum distributor largissimus, clericorum nutritor, monachorum potissimumveneratot. Hic ab illo die, quo sacerdotium sumpsit vsq; ad finem vitæ carnem nō comedit, nec indutus est lino, sed semper vsus est cilicio. Huic B. Sauinianus apparuit comminans & contestans, vt Ecclesiam S. Petri restrueret. Tunc S præsul locum sanctum reparare cœpit, monachos reuocare, terras prædiaque redimere. Ecclesiam quoque S. Stephani perfecte reparasset nisi citius ex hoc mundo migrasset Qua nocte autem obijt cuidam Germanæ ipsius sanctimoniali in monasterio S Faræ angelus Domini apparuit dicens. Sciatis hac nocte S. Anastasium ad Dominum migrauisse, surgite itaque & hymnos Domino decantate, quæ surgentes & diem notarunt & horam & ita inuenerunt factum, sicut ab angelo fuerat nunciatum.

Post S. Anastasium Seuinus præfuit, vir Deo deuotus. Hic ab illo die quo sacerdotium sumpsit vsque ad finem vitæ suæ carnem non comedit nec lino indutus ad nudum fuit. Hic restaurauit cœnobium S Petri viui, & abbatem ei ordinauit & ordinem renouauit quia monachi vagi diutius sine pastore permanserant. Huic etiam S Sauinianus martyr primus eiusdem vrbis Episcopus apparuit comminansque & dixit. Cur locum effusionis nostri Sanguinis non restauras, cur nostra prædia in proprios retines vsus? Expergefactus vero vir Dei adijt claustrum S Petri, prostratusque humo coram monachis veniam precabatur, reddens eis quicquid de illorum rebus ante possederat, quæ scilicet Archembaldus mirabilis antistes eis auferens sub Archiepiscoporum iure redegerat. Omnibus denique suis à se alienatis interrogatus Sanctus vir Seuinus quid post hæc facturus esset, vel vnde pasceret se vel suos, humiliter respondit Pascet Deus pauperes suos, non enim habebat quid vel vno die comederet quia possessiones B. Stephani iniqui plures tyrannice possidebant. Sed in breui diuinitus actum est, vt omnes morerentur & possessio B. Stephani restituta est præfato antistiti glorioso, vnde adprime ditatus est, Ecclesiam quoque prædicti martyris Stepha-

An. 983. ni à suis prædecessoribus cœptam nec consummatam perfecit, eamque 3. non. Octob. solemniter dedicauit. Dedit etiam ad stipendia clericorum villas & ecclesias plures quas hereditario iure posidebat Antis-

Eribertus 47. Antiss. Episcopus. siodorensi ecclesiæ post Richardum præfuit Eribertus filius Hugonis postmodum Francorum regis. Hic licet curis carnis deditus esset, & pronior ad mundana, religiosis tamen quibusque clericis & præcipue monachis reuerentiam summi impendebat honoris. Sub huius tempo-

re dux

re dux Henricus frater eius, vt erat totius religiositatis amator, monasterium B Germani Domno Baiolo commisit abbati, vt sicut in multis locis tam in Gallijs quam in Italia fecerat, sic inibi corrigenda corrigeret & statum ordinis monastici reformaret. Longo enim iam tempore transacto, locus idem absq; abbate à præpositis regebatur, qui gratanter illum suscipiens, regulari districtione quæq; repererat deuia, ad vnguem correxit. Postmodum vero præfecit ibidem virum honorabilem Heloricum abbatem, qui & ipse prædictum locum ad regularis B. Benedicti tramitis informauit callem. Porro prædictus pontifex duo stabiliens castra muniuit, vnum iu riuo Launto apud sancti Ferreoli villam, aliud à ciuitate decimo miliario Thuciacum vocabulo. Denique ornamenta Ecclesiæ & si non auxit tamen non minuit. Ottone 3 incipiente regnare, Lotharius rex Francorum ad inuadendam Lotharingiam rursum laborans, vrbem Virdunum & Godefridum ipsius vrbis comitem capit. Sed cum videret Othonem virtute militum suorum proficere, quæcunq; inuaserat tam vrbem quam comitem reddit. Sequenti anno qui erat Ottonis impararoris 3 moritur idem rex Lotharius, postquem filius eius Ludouicus substitutus in regno regnauit fere biennio. Hunc Hugo dux Francorum persequi cœpit, & tandem eo superato regnum adeptus est. Porro Ludouico voluit in regno succedere Carolus frater Lotharij patruus Ludouici, vt pote quod ex paterna & auita successione sibi debitum videbatur. Contra Hugonem itaque regem regni vsurpatorem insurgit, eumq, bello perurgens Laudunum vrbem capit. Mox Hugo in Lauduno eum obsidet, sed secundo obsidionis mense obsessi prosilientes, castra obsidentium incenderunt, & ipse rex Hugo plurimis suorum peremptis, turpiter fugiens vix euasit. Post hæc idem Carolus montem acutum expugnat Suessionis vsq; vastando peraccedit, inde Rhemos aggreditur & Laudunum multa cum præda reuertitur. Postea vero dolo Ascelini Laudunensis vrbis Episcopi vrbs capta est, & Carolus cum vxore sua vinculis alligatus in turri Aurelianensi positus est, vbi & vxor eius grauida in carcere peperit geminos qui postmodum adulti ad imperatorem confugerunt. Hoc modo & hoc tempore progenies Caroli magni imperatoris à regno Francorum defecit, & obtinuit vt diximus regnum illud Hugo dux an. Dom. 989. & dominatus est an. 9. non tamen diademate regni vsus. Anno Ottonis 14. Hugo rex Francorum moritur, regnante iam Roberto eius filio rege pijssimo. Hic erga sanctos Dei supplex extitit, beniuolus & deuotus & totius religionis amator egregius, Regnauit vero post mortem patris in Francia annis 34. His diebus Domnus Seuinus Senonensis Archiepiscopus obit. Hic iacturam monasterij S Petri viui quam Anastasius prædecessor suus releuare cœperat, in pristinum restituit statum, ibiq; sub districtione regulari ordinauit Abbatem Rainardum nomine, cuius industria idem locus valde est reparatus. Hic etiam Seuinus Romæ per manum Ioannis papę Archiepiscopale pallium quo antecessores eius infulati sunt, & primatum Galliæ suscepit.

Hic quoq; monasterium S. Petri Melidunensis ab imo releuauit, & monachos in illud mittens, Abbatem Galterium nomine eis præfecit. Matrem etiam Ecclesiam S. Stephani quæ igni cremata fuerat, ab epistylijs erigens, & ex integro perficiens signis & ornamentis ecclesiasticis decorauit, & adiunctis sibi Milone Episcopo Trecensium, & Heriberto Antissiodorensium, Rocleno quoq; Niuernensium cum maximo honore dedicauit. Eadem die ad stipendia clericorum ibidem Deo famulantium, tria altaria sub priuilegij testamento delegauit. Deinde brachium S. Leonis papæ cum digitis S. Ebbonis ab Abbate Rainardo & à fratribus monasterij S. Petri multa prece obtinens, auro & gemmis ornauit, & eidem casæ Dei contulit. Decreuit etiam hic Seuinus vt abbas S. Petri viui in conuentu Abbatum vel Clericorum post Episcopum primus sedeat, & inter cæteros eiusdem Episcopatus Abbates primatum teneat, eius vero est prouidere vt dignus sit tali honore. Tabulam quoq; ex auro & argento ante altare S. Stephani construxit, de qua postmodum ante monasterium facta est turris. Sepultus vero est sicut & prædecessor eius S. Anastasius in cœnobio. S. Petri viui, vbi mos est Archiepiscopos sepelire, cuius epitaphium tale reperimus.

Hic humilis tumulus merito cunctis venerandus
Seuini membra continet egregia.
Angelicam cuius felix animam paradisus,
Pastorum sancto possidet in numero.
Qui mitis sanctæ pro religionis honore,
Hac in sede sedens, multa tulit patiens.
Iamq; senex factus, migrauit in astra locandus
Cui parcat petimus, cunctipotens Dominus.

Per hos dies quibus præfatus pontifex obijt Seuinus, Rainardus quoque comes Senonis est defunctus. Hic abbatias S. Columbæ & S. Faræ diu sub dominio habuit, easq; multipliciter aggrauauit. Nec non & abbatiam S. Mariæ pro posse destruit in cuius possessione castrum quod Iouiniacum dicitur firmissime muniendo construxit. Aliud quoq; castrum in terra Ferrariensis cœnobij condidit & muniuit, quod ex suo nomine castrum Rainardi vocauit. In parte vero quadam vrbis Senonicæ turrim maximam extruxit, cui filius eius Fromundus successit. Post Domnum vero Seuinum Leothericus venerabilis archidiaconus, in pontificem est electus, cuius electionem cum multi maleuoli impedirent, ipse Romam adijt præsidente tunc papa Syluestro qui & Gerbertus dictus est quem idem Leothericus apud Remis vrbem habuerat præceptorem, ab eo itaq; gratanter exceptus est, & cum apostolica benedictione remissus, electione eius confirmata & totius ei Galliæ primatu concesso. * Sub hoc tempore apud vrbem Trecassinam præsulante supradicto Milone in fundamento Ecclesiæ eiusdem sedis inuentum est cuiusdam electæ Dei virginis venerabile corpus purpura integra inuolutum, inuenerunt etiam nomen ipsius, Masthidia. Collocatum est ergo corpus huius sanctæ Masthidiæ virginis, & in Trecensi sede ve-

** An 1606 die 20. Maij, Rd. Trecensis Episcopus capsam in qua corpus eiusdem S. Masthidiæ est reconditum reserauit, quod quidē adhuc integrū inuentum est, mēbris decenter compositis, eorūq; cōpage minime dissoluta, capite tantum disiuncto & veluti abscisso.*

nerabiliter retinetur. Floruit hoc tempore Gislebertus Meldensis Episcopus vir eximiæ virtutis & gloria miraculorum insignis cuius vita stilo clarissimo edita multarum exempla, virtutum viuentibus & victuris per secula administrat. Floruit & Adraldus * Trecassinæ vrbis Archidiaconus, pia memoria dignus, & digno honore memorandus, cuius vita lux seculi gloria honor Ecclesiæ & verissimum documentum Christianorum fuit. Sepultus est in ecclesia S. Sepulchri in territorio præfatæ vrbis, quam ipse in vita sua pietatis igne succensus fundauit, & ædificauit. Florebant scientia literarum Abbo abbas Floriacensis qui super calculum Victorij commentatus est, & Fulbertus primo cancellarius Roberti regis, & ex cancellario Episcopus Carnotensis. Hic vita honestissimus, sapientiaque clarissimus, fecit Chorus nouæ Hierusalem, Stirps Iesse, Solem iustitiæ, & plura huiusmodi.

* *Legitur in veteri Chron. m.. cœnobij S. Petri Viui eumdem S. Adraldũ e vita migrasse an.* 1004.

1003.	*Ioannes an. 5*	*Henricus an. 22.*	1014.	
1004.			1015.	
1005.			1016.	
1006.			1017.	
1007.			1018.	
1008.	*Sergius an. 2*		1019.	
1009.	*mens. 9.*		1020.	
1010.			1021.	
1011.	*Benedictus*		1022.	
1012.	*an. 12.*		1023.	*Ioannes an.*
1013.			1024.	*9. m. 9.*

Henricus imperat an 22. Hic mox vt regnare cœpit potentiores regni viros, bella sibi concitare volentes celeriter deuicit, & reges gentilium in interiori Germania commorantes, qui VVinidi dicuntur tributarios fecit. Huius anno primo post mortem Henrici ducis mota contentione de ducatu Burgundiæ, Burgundionum primoribus Roberto regi rebellantibus, idem Robertus congregauit exercitum copiosum, tam de gente Francorum, quam Normannorum habens secum Richardum ducem ipsorum. Cumque primitus ad ciuitatem Antissiodorum deuenisset, volens eam capere quod fertur vrbi illi nunquam contigisse, ciues eiusdem vrbis ei fortiter restiterunt, Landrico comite, ipsam vrbem tenente. De hinc cum ad B. Germani castrum expugnandum, tota regis falanx idem rex loricatus intenderet, nutu diuino territus cum multa cæde suorum inde rediens penetrauit ararim vsque superiora Burgundiæ ipsamque Burgundiam vastauit, ac dehinc Franciam repetiuit. Romæ post Ioannem alter Ioannes præsidet an. 5. Antissiodorensi Ecclesiæ post Heribertum Ioannes præfuit vir vitæ honestate præcipuus, & literarum studijs in scola Gerberti apprime imbutus. Hic cum infirmitate correptus ad extrema deuenisset raptus in extasi decoram satis visionem vidit, quam protinus retulit dicens, Mo-

do inquit apparuit mihi Dominus meus Iesus Christus simulque cum eo Germanus beatissimus, alijque quam plures splendidissimi viri, quorum presentia permaximum contulit mihi & mei doloris leuamen & animi sospitatem. Qui etiam mihi spoponderunt Domino miserante, mox vt euocatus à corpore fuero, protinus in illorum adunari consortium. His dictis orando summis labijs nomina sanctorum depromens crebrisque suspiriis & lachrymosis oculis ad cœlum respiciens, excessit à corpore, sepultusque est apud S Germanum non infra Ecclesiam sed de foris iuxta parietem sicut ipse rogauerat humilitatis gratia. Huic in episcopatu successit Hugo genere & vita egregius, longo tempore commissam sibi regens Ecclesiam. Sub huius tempore Robertus Francorum Rex constituit consilium Episcoporum & Abbatum innumeræque multitudinis in Antissiodorensi pago, apud villam Airiacum in quo Leothericus Senonensis & Goslinus Bituricensis Archiepiscopi cum prædicto rege Roberto, aliisq; Episcopis & Abbatibus affuerunt, vbi de singulis locis delata sunt sanctorum Martyrum, Confessorum & Virginum pretiosa pignora in suis scriniis, interquæ de cœnobio B. Petri viui dum deferretur vel referretur B. martyr Sanctianus imminentibus noctium tenebris, super duo capita scrinii, emicuerunt duo præclarissima sydera, omnes totius noctis tenebras suo splendore superantia, oculis quidem deducentium visibilia, sed tactu impalbabilia. Quibusdam vero petentibus vt gloriosi Germani corpus, illuc deferretur, respondit Hugo episcopus. Absit vt ossa incomparabilis viri, pro quacunq; re aliquando commoueantur. Sane in illo concilio, statuta sunt multa Ecclesiarum statui profutura. Porro prædicto Hugone præsulante, ciuitas Antissiodorum exitialiter igne cremata est, & res humanæ, in fauillas redactæ, præter Ecclesiam B Albani martyris a B Germano constructam. Tunc principalis Ecclesia prothomartyris Stephani funditus corruit, quam protinus idem præsul cœpit maiore ambitu ac criptarum curuaturis, quadris lapidibus certatim reædificare; Nam prius delicatiore materia constiterat minimisque lapillis. Iam vero altius opere Ecclesiæ ædito rursus ciuitas reincensa est, sed nouum Ecclesiæ opus mansit incolume. Hic etiam Hugo Melerense cœnobium tam ædificiis, quam possessionibus ampliatum suppellectileq, varia decoratum sacrauit: Corpusque B. Desiderii rogatu fidelium illuc transferens in argentea theca reposuit. Ecclesiam sane B. Stephani palliis, libris, aliisque ornamentis Ecclesiæ necessariis honorauit conferens etiam vasa preciosa, mirique operis & precii vestimenta. Per idem tempus in cœnobio S. Petri viui Senonēsis, Rainardus abbas idem monasterium ab imo renouauit, & claustra monasterij cum domibus ad se pertinentibus, ex toto reædificauit, & monachos regulari tramite instruens, liberalibus disciplinis edocuit, ex quibus fuit quidam Odorannus monachus ingenio subtilis, cuius arte & industria eidem loco plurima bona prouenerunt. Scripsit etiam quædam breuissima chronica de suo tempore, ex quibus aliqua quamuis parua excerpsimus in

hæc verba. Robertus (inquit) rex pijssimus peractis diuersis restaurationibus Ecclesiarum, nec non ornamentis sanctorum corporum, corpus S. Sauiniani Senonensis primi antistitis & martyris auro & gemmis argentoque ornauit. Quod qualiter actum sit paucis est differendum. Factum est dum quodam tempore, idem Robertus rex Romam peteret, vt Constantia regina cum Hugone filio suo paruulo remaneret, quod vt regina dudum causa consanguinitatis à rege repudiata comperit, prosecuta est eum sperans se fauentibus ad hoc quibusdam aulicis regis, iussu apostolico restitui thoro regio. Vnde Constantia regina timens se amoueri à regio latere inenarribili detinebatur mœrore. Quæ dum nocte quadam ob hoc nimijs cogitationum tumultibus pulsata obdormiret, apparuit ei per visum inenarrabili claritate circundatus vir quidam angelicis decoratus canis, in sacerdotali habitu virgam pastoralem gerens manu. Quem nimio timore perterrita dum requireret quis esset, innotuit se fore episcopum & appellari Sauinianum Cui & dixit: Constans esto Constantia quia Deo propitio liberata es ab imminenti tristitia. Illa vero de tam præclara visione perterrita, facto mane cœpit à circunstantibus clericis sollicite perquirere si illis in regionibus haberetur Episcopus qui Sauinianus diceretur, ex quibus vnus Theodericus nomine qui postea Aurelianis Episcopus fuit, respondit pro omnibus de hoc nescientibus dicens. Est Domina in monasterio S. Petri viui Senonensis, S. Sauinianus primus Metropolitanæ vrbis Senonensis, Archiepiscopus & martyr, cuius si deuota mente adieris præsentiam id quod promisit absq; dilatione noueris te consecuturam. At illa de tanti viri consilio gaudens effecta, citissime vna cum filio expetijt S. Petri limina, & diutissime lachrymans ante corpus B. martyris totisque viribus se committens eius fidei, gaudens remeauit ad propria de visitatione tanti patroni confortata. Tertia dehinc die subito adest intempesta nocte legatus regis ante ianuam nuncians in proximo regem venturum. Qui Deo propicio proprijs sedibus restitutus, vt veracissima approbaretur promissio martyris, deinceps propriam coniugem magis quam eatenus dilexit eandem Constantiam: & sub eius nutu omnia iura regalia, & quæcunque possidere videbatur, manere disposuit. Sed illa minime oblita promissionis Sancti, satagere cœpit, qualiter exornaretur corpus eius gemmis & auro, quod diu inclusum plumbo, ab antiquis patribus absconditum fuerat sub arcuo: Et regi suggerens sua vota, Deo auxiliante ad ea implenda, paratum illum inuenit per omnia. Dedit igitur Robertus Rex aurum & argentum copiosum, gemmasq; pretiosas quibus B. Sauiniani sepulchrum, opere est mirifico insignitum. Habuit autem ex eadem Constantia filium Hugonem regem, qui coronatus est, & post 8 annos ante patrem suum mortuus est. Deinde habuit alios filios Odonem scilicet, & Henricum qui post eum regnum obtinuit. Odo namque nimis stultus fuerat. Anno Henrici imperatoris 7. terra Ierosolymorum permittente Deo ab immundis Turcis inuasa & Ierusalem capta, & Chri-

Ex Odorani chronico M. S.

sti Domini gloriosum sepulchrum ab eis possessum. Iudæi multi eo anno præ timore baptizati sunt. In multis locis per orbem tali rumore audito, timor & mœror corda plurimorum occupauit: & suspicati sunt multi seculi finem adesse. Sanioris animi quique, salubri vtentes consilio de vitæ suæ correctione attentius studuerunt. Anno Henrici imperatoris 10. Herueus Archiclauis B. Martini Turonis obit. Hic suo in tempore famosa admodum sanctitate præfulsit: construxitq; basilicam quæ nunc in honore S. Martini Turonis clara habetur. Leothericus Archipræsul Senonis habetur illustris. Hic diligenter requisiuit, vbi haberentur Reliquiæ, ab Ieremia Archiepiscopo de S. Richarij basilica Senonis asportatæ: quas tandem Domino reuelante reperit, retro altare S. Stephani in arca repositas, & in earum inuentione tantæ curationum genera cælitus exhibita sunt, quanti aliqua parte corporis imbecilles, ibi confluxerant. Corpora quoq; SS. Sauiniani & Potentiani à tempore Guillelmi Archiepiscopi ob timorem paganorum, in antris abscondita, sed per notitiam cuiusdam veterani comperta, leuauit & in plumbeis locellis cum omni diligentia recondidit, quæ postea Robertus Rex Francorum vt iam dictum est, auro argentoq; & gemmis insigniter adornauit. Sane prædictus Leothericus cum multis floreret virtutibus, multas ab impijs persequutiones sustinuit. Siquidem Fromundo Senonum Comite mortuo, & Rainardo filio eius nequissimo succedente, grauis pressura Senonensi Ecclesiæ ab eodem est Rainardo illata. Etenim cum præfatus Archipræsul diuinum officium celebrans vultum dans populo salutaret, Rainardus ille quod dictu horridum est vultum auertens, in posterioribus suis ei pacem offerebat, nonnunquam in eius faciem expuebat homines eius interficiebat, eumq; quibuscunq; poterat iniurijs affligebat. Oppressus itaq; prædicti Comitis vesania, ciuitatem regi Roberto reddidit: ipse vero comes fugiens nudus euasit. Frater autem eius Fromundus, & quidam milites vrbis regi restiterunt: turrimq; aliquanto tempore defenderunt. Quos tandem Rex cœpit, sed pietate victus absoluit, Fromundum vero apud Aurelianis vrbem in carcerem trusit, vbi & obijt. Rainardus autem vt dictum est fugiens, Odonem Comitem adijt, quo sibi ferente auxilium, castrum Monsteriolum nomine supra Sequanam fluuium extruendo muniuit. Sumptis deinde viribus Senonis ciuitatem obsedit, tribusq; diebus ac noctibus omnia circunquaq; vastauit. Tunc quoq; S. Mariæ extra muros Sanctiq; Leonis, necnon & S. Desiderij basilicæ, cum ipsis duobus suburbijs sunt incensæ. Quam persecutionem fames & mortalitas magna e vestigio est secuta. Demum vero Robertus Rex & Leothericus Archiepiscopus cum Rainardo Comite pacis fœdera subiere. Reddidit autem ei rex medietatem suam sub tali tenore, vt post eius obitum altera medietas vrbis in dominium S. Stephani cederet, altera in Regis dominium deueniret. At vbi in vrbem receptus est quidquid ante promiserat irritum fecit, ipsumq; Archiepiscopum &, seruos eius multimodis iniurijs affecit.

1025.		*Conradus an.15.*	1041.
1026.			1042.
1027.			1043.
1028.			1044.
1029.			1045. *Siluester d.56*
1030.			1046. *Gregori⁹ an.2*
1031.			1047. *Clemens m.9.*
1032.	*Benedictus*		1048. *Damas⁹ d.23.*
1033.	*annis 13.*		1049. *Leo annis 5.*
1034.			1050. *mens.2. d.6.*
1035.			1051.
1036.			1052.
1037.			1053.
1038.			1054. *Victor an.2.*
1039.			1055. *mens.4. d.13.*
1040.		*Henricus an 17.*	1056.

Anno imperij Conradi 7. Robertus Rex Francorum moritur, vir pietate egregius, & innumeris elemosinis deditus, hic fecit Sequentia Sancti Spiritus adsit nobis gratia, & Responsorium, Iudæa & Ierusalem, & multa alia scripsit. Eodem anno tanta fames fuit in Gallia, vt etiam in quibusdam locis vix alter ab alterius carnibus abstineret. Post Robertum vero regnauit in Francia filius eius Henricus an. 30. Sub ipso tempore hæresis noua & inaudita apud vrbem Aurelianis exorta est. Erant autem ipsi hæretici ex melioribus ipsius ciuitatis clericis, quamobrem concilio ibidem collecto, communi omnium iudicio decernente, præfati hæretici, iussi sunt incendio concremari. Senonensi Ecclesiæ post Leothericum Gelduinus præfuit, non cleri electione vel populi, sed muneribus in pontificem sublimatus. Nam Mainardum ipsius Ecclesiæ Archiclauem clerus elegerat, sed regis præualente potentia, præfatus Gelduinus apud Parisios Episcopalem consecrationem adeptus est. Qui Senonis rediens nullatenus intrare potuit, Odone Comite & cum eo Damberto viceComite cum suis fortiter obsistente. Eodem anno Henricus Rex cum multo exercitu Senonis venit in qua expeditione Comes Andegauensium Fulco post Regem primus, cœnobium S. Petri fregit, & claustum monachorum terratenus incidi fecit: Deinde Henricus Rex cum suis Parisijs redit, & sequenti anno exercitu adunato prope Senones castra ponit, vbi diebus 7. morantes cœnobium S. Remigij & burgum S. Heraclij, quod nunc S. Ioannis dicitur, nec non & burgum S. Leonis prædando & incendendo vastarunt: ac deinde ad sua reuersi sunt. Tandem vero vrbis Senonicæ medietate Regi Henrico concessa, inter ipsum & Odonem Comitem pax facta est, & Gelduinus Archiepiscopus in sua sede receptus est, non tam rector Ecclesiæ quam prædator, Siquidem cœnobium S. Petri,

quocunque modo potuit diſſipauit,ſeruos & ancillas eiuſdem loci deprædans & carcerans iniurijſque affligens, ornamenta etiam Eccleſiæ quæ ſubripere poterat inuadians & prodige dilargiens ſuæ complicibus prauitatis. Antiſſiodorenſi Eccleſiæ poſt Hugonem præfuit Heribertus 2. Hic cum à Roberto duce Burgundiæ ſuis adhuc diebus Antiſſiodoro principante, multas ſuſtinuiſſet moleſtias, tandem ſecularibus abrenuntians, & æternis inhians, apud S. Saluatorem in pago Senonico habitum monachalem ſuſcepit: vbi multis poſtea regulariter viuens annis, bono fine quieuit & ibidem ſepulturam accepit. Hoc tempore Eccleſia ſancti Sepulchri in Bituria conſtructa eſt ad formam S. Sepulchri Ieroſolymæ. An. 1049. Leo papa in Germania Synodis habitis Eccleſiæ ſtatum meliorabat. In Gallia quoque apud Remis vrbem concilium celebrauit ibique Gelduinum Senonenſem Archiepiſcopum & Hugonem Lingonenſem Simoniaca peſte infectos & ſæpe redargutos nec correctos depoſuit, & in eadem vrbe Eccleſiam B. Remigij conſecrauit. Porro Gelduino depoſito, Mainardus Trecenſis Epiſcopus ad Archiepiſcopalem ſedem tranſlatus eſt. Hic omnes iniuſtas conſuetudines quas in vrbem Gelduinus immiſerat vel immitti permiſerat redegit in nihilum, ſuam multipliciter ſublimans Eccleſiam, reficiens diruta & antiqua renouans inſtituta. Gelduinus vero ignominioſæ vitæ deditus Radulfum comitem adijt, eique caſtella ex iure paterno ſibi contingentia, vt ſe ad recuperandum honorem amiſſum adiuuaret dedit, & ſic nihil proficiens omni ſe honore priuauit, deinceps vt ſcurra vagus & profugus ſuper terram. Anno Henrici imperatoris 15. facta eſt tempeſtas valida per totum pagum Senonicum, quæ vaſtauit omnia ſata & ſegetes, & vineta & nemora interfecitq; quam plures homines & iumenta. Eodem quoque anno vigilia cœnæ Domini poſt primum pullorum cantum effecta eſt Luna tota nigra, ſicut carbo extinctus horis fere duabus, & poſt facta eſt in Eclipſim iterum reaccenſa. Sequenti anno fundata eſt in Burgundiæ partibus Eccleſia nobilis nunc & valde famoſa S. Mariæ de charitate. In quo loco requieſcit S. Girardus prior eiuſdem conſtructor Eccleſiæ: vbi multorum monachorum deuota caterua diuinis obſequijs mancipatur. Super Ligerim fluuium in epiſcopio Antiſſiodorenſi hic locus ſitus eſt.

1057.		*Henricus an. 50*	1067.	
1058.	*Stephan⁹ m. 9*		1068.	
1059.	*Benedict⁹ m. x*		1069.	
1060.	*Nicolaus an.*		1070.	
1061.	*2. menſ. 6.*		1071.	
1062.	*Alexander*		1072.	
1063.	*an. 11. m. 6.*		1073.	*Gregorius an*
1064.	*dieb. 35.*		1074.	*12. m. 1.*
1065.			1075.	
1066.			1076.	

1077.

1077.
1078.
1079.
1080.
1081.
1082.
1083.
1084.
1085.
1086. *Victor m.2.*
1087. *Vrbanus an.*
1088. 11. *menſ.4.*
1089.
1090.
1091.
1092.
1093.
1094.
1095.
1096.
1097.
1098.
1099. *Paſchalis an.*
1100. 18. *m.5.d.7.*
1101.
1102.
1103.
1104.
1105.
1106.

Senonenſi Eccleſiæ poſt Mainardum Richerius præfuit. Antiſſiodorenſem Eccleſiam poſt Heribertum rexit Godefridus vir vitæ venerabilis & genere illuſtris. Hic Eccleſiam S. Stephani ornamentis exutam reperit, ſed eam prouexit admodum & multipliciter adauxit. Anno Domini 1068. Sub hoc tempore venerabili Richerio Senonis præſulante dum reædificaretur Eccleſia, quæ in principio Chriſtianæ fidei à S. Sauiniano in honore S. Saluatoris ſacrata eſt, in qua etiam idem martyr, aliique innumeri ſuſcepto martyrio ſunt ſepulti, reperta ſunt in ipſis Eccleſiæ fundamentis ſepulchra plena Sarcophagis & loculis ſaxeis, plumbeis, gypſeis, ſectiſq; ac complanatis lidorijs, quæ omnia erant plena corporibus honeſtiſſime palliatis & aromatizatis: quodq; mirum eſt quibuſdam deerant capita: quædam etiam in pedibus habebant ſandalia. Interquæ repertus eſt tumulus ſcripturam habens huiuſmodi.

Calcator mundi, iacet hic Titulphus arena
Corpore conteƐtus, ſydera mente tenet.

Anno Domini 1075. incenſa eſt Antiſſiodorenſis ciuitas ab Eccleſia S. Petri quæ eſt ſuper pontem vſq; ad molendinos cantantis ranæ, feriatis diebus Paſchæ: in quo igne multa ornamenta S. Germani perdita fuerunt. Eodem an. Arnulphus abbas S. Columbæ reliquias S. Theobaldi fratris ſui ab Italia detulit: quas in eadem abbatia repoſuit. Antiſſiodorenſem Eccleſiam poſt Godefridum rexit Robertus, vir multæ poteſtatis in ſeculo, multæ pietatis in Domino. Hic res eccleſiaſticas tam vigilanter tamq; potenter ſeruauit, vt ſuo tempore nullus eſſet, qui eas inquietare præſumeret. Hic ſtatuit vt nullus ab obitu ſuo canonicus vſq; ad annum integritate prebendæ priuetur, ſed totos inde redditus preſbyter aliquis pro defuncto ſuſcipiat, qui miſſam quotidie celebret, horarum victimas ſoluat, iugiter oret. Tantæ vero lenitatis fuit vt nulla vnquam eſſet aſperitas malignitatis, quam non poſſet le-

nire eius pulchritudo blandi ſermonis, motus autem carnis tam ſtudioſe compreſſit: vt vix aliquando vinum bibere acquieuerit. Anno Domini 1078. totum tempus æſtatis nimis callidum ſine pluuia fuit, vnde multi fuerunt perterriti. In ipſo anno vindemiauerunt menſe Auguſto, & ipſum vinum optimum ſatis & abundanter fluxit. Hoc anno S. Hugo Gratianopolis Epiſcopus fit, vbi per annos 52. virtutum exemplis incomparabiliter floruit. Anno Domini 1080. magnus terræmotus cum graui terræ mugitu factus eſt 6. Cal. Aprilis, prima hora noctis. Sequenti anno apud Exoldunum caſtrum, quod eſt in Biturìa ſitum, celebratum eſt concilium. Anno autem altero defuncto Meldenſi Epiſcopo, venerabilis Hugo Dienſis Epiſcopus & Apoſtolicæ ſedis legatus, apud eandem vrbem, concilium habuit & Robertum Eccleſiæ Reſbacenſis abbatem, Epiſcopum ordinauit: Quod Richerius Senonenſis Archiepiſcopus ſine aſſenſu ſuo & præſentia indignans fieri, eundem Robertum excommunicauit aliumq; poſtea in eius loco Epiſcopum ordinans ſubrogauit. Circa id tempus S. Hugo Grationonopolitanus Epiſcopus, vidit per ſomnium in ſolitudine Cartuſiæ, Dominum ſuæ dignationi habitaculum conſtruentem, ſtellas etiam 7 ducatum ſibi præſtantes itineris. Et ecce ſanctitatis eius odore tracti ad ipſum veniunt 7 viri qui omnes vno deſiderio ſuccenſi, locum eremiticæ vitæ congruum quærebant, nec dumq; repererant. Horum primus magiſter Bruno vir religione ſcientiaq, famoſiſſimus alij 4 literati duo laici, quos S. Hugo gratanter ſuſcepit, & voti compotes fecit. Ipſo namq; conſulente, iuuante, comitante, Cartuſiæ ſolitudinem intrauerunt, atq; extruxerunt. Sic cœpit ordo Cartuſienſis, inter cęteros ordines puritate mentium, ac Theoriæ ſtudio ſingularis. Anno Domini 1093. Iaculum ignitum à meridie ad aquilonem per cœlum ferri viſum eſt, Cal. Auguſti prima hora noctis. Hoc anno S. Petri viui cœnobium cum tota villa & Eccleſia S. Sauiniani penitus eſt crematum. Sequenti anno in Gallia & Germania grauis hominum mortalitas facta eſt. Anno 1096 iubente Richerio Senonenſi Archiepiſcopo in cœnobio S. Petri viui facto conuentu ſolemni, Sacratiſſimum Caput magni papæ Gregorij, in quodam ſcriniolo prius repoſitum, palam omnibus eſt oſtenſum. Senonenſi Eccleſiæ poſt Richerium præfuit Dainbertus, ipſius Eccleſiæ vicedominus. Antiſſiodorenſem Eccleſiam poſt Robertum rexit Humbaldus, qui eandem Eccleſiam multis beneficijs & ornamentis intus & exterius decorauit, multiplicauit ædificijs, honoribus inſigniuit. Eccleſiam ſane beati Petri ſanctiq; Euſebij canonicorum regularium eſſe conſtituit, vitæ vero tam honeſtæ fuit ac ſobriæ, vt ex quo Epiſcopus factus eſt, ſe ſe à carnibus abſtineret, leguminis ei comeſtio ſufficeret, nec vinum niſi parum biberet. Qui tandem Ieroſolymam profectus, inter redeundum naui periclitante ſubmerſus expirauit in fluctibus.

1107.		*Henricus iunior*	1129.	*Innocentius*	
1108.		*annis* 20.	1130.	*annis* 13.	
1109.			1131.		
1110.			1132.		
1111.			1133.		
1112.			1134.		
1113.			1135.		
1114.			1136.		
1115.			1137.		
1116.			1138.		*Conrardus*
1117.	*Gelasi⁹ an.* 5.		1139.		*annis* 15.
1118.	*Calixtus an.*1		1140.		
1119.	*m.*10.*d.*13.		1141.		
1120.			1142.		
1121.			1143.	*Celestin⁹ m.*5	
1122.			1144.	*Lucius m.* 9.	
1123.			1145.	*Eugenius*	
1124.	*Honorius an.*		1146.	*annis* 8.	
1125.	5.*m.*2.		1147.		
1126.			1148.		
1127.		*Lotharius*	1149.		
1128.		*an.* 12.	1150.		

Anno 1107 Paſchalis papa concilium celebrauit apud Trecas. Eodem anno apud Floriacum præſente Philippo Rege Francorum, alijſq; quam plurimis proceribus, epiſcopis, abbatibus, corpus S. Benedicti leuatum eſt impoſitumq; feretro, auro & gemmis mirifice fabricato. An. 1109 Philippus Rex Francorum moritur & apud Floriacenſe cœnobium tumulatur, poſt quem filius eius Ludouicus apud Aurelianis conſecratur in regem à Dainberto Senonenſi Archiepiſcopo, regnauitq; annis 28. Eodem an. S. Anſelmus Cantuariæ Archiepiſcopus & S. Hugo Cluniacenſis abbas migrarunt ad dominum, quorum vita claruit tam miraculis quam virtutum exemplis. Florebat hoc tempore Hildebertus prius Cenomanenſis Epiſcopus, deinde Turonis Archiepiſcopus vir ſcientia perſpicuus, & tam in verſificando quam in dictando gratiam peculiarem adeptus. Indicant hoc diuerſa eius opuſcula, quæ metrice edidit, & epiſtolæ quas ad diuerſos direxit, quæ omnia miro modo commendat & elegantia ſenſuum, & lepos breuitaſq; verborum, vnde quidam de eo ſic ait.

Inclytus & proſa, verſuq; per omnia primus,
Hildebertus olet prorſus vbiq; roſam.

Florebat & Iuo Carnotenſis Epiſcopus, qui vita atq; doctrina ſua, eiuſdem ſedis eccleſiam illuſtrauit, quique inter cætera opera ſua volumen illud quod Decreta Iuonis dicunt, ſua induſtria vtiliter compi-

auit. An. 1113. Bernardus annos natus circiter 22. Cistercium ingressus est cum socijs amplius quam 30 sub abbate Stephano, qui successerat Alberico, vbi quantæ deuotionis quantiq; feruoris extiterit, lingua vix exprimit. Si quidem ab ipso ingressu tanta districtione corpus affligere studuit, vt tota deinceps vita sua infirmitate multiplici laborauerit. Factum est autem post breue tempus vt Cisterciensis Ecclesia tam rebus & gente pauper quam tempore, nouam de cætero Domini benedictionem perciperet, & quæ prius sterilis erat plures iam Abbatias & præcipuas parturiret. Prima siquidem Firmitas fuit, 2. Pontiniacum, 3 Clarauallis, 4 Morimundus, 5 Pulliacum ex quibus aliæ innumeræ diuersis locis, diuersis sunt temporibus propagatæ. An. 1114 Pontiniacense cœnobium fundatum est in alodio Hildeberti canonici Antissiodorensis matris Ecclesiæ, eodem Hildeberto rogante, sub Vmbaldo venerabili Episcopo tunc Antissiodoro præsidente. Huius cœnobij primus abbas extitit Dominus Hugo vir religionis eximiæ & præcipuæ honestatis. Eodem anno Claraualllis fundata est, cuius primus abbas extitit seruus Dei Bernardus vir opinatissima sanctitate præclarus, per quem sui temporis ecclesia in antiquum religionis decus refloruit. Anno Domini 1115 tria concilia celebrata sunt in Gallijs à Conone sedis Apostolicæ legato, primum Remis, secundum Beluaci, tertium Cathalauni. An. 1118 Gelasius papa indicto Remis concilio, transgrediens Alpes in Gallias venit, ad quem vir Dei Notbertus nudis vt erat incedens pedibus accessit: eiq; animi sui propositum pandens, licentiam & auctoritatem seminandi vbiq; verbum Dei accepit. Inde vsque Valencianas rediens infra 15 dierum spacium, tres socios quos solos habebat morte præreptos amisit, & ibidem pro tribus vnum recepit, Hugonem videlicet, qui ei in regimine Præmonstratensis ecclesiæ successit. Ipso anno 8 Idus Maij fere vbiq; terrarum magno gelu attritæ sunt vineæ, sed maxime apud Antissiodorum vrbem ita vt in omnibus eius vineis, quatum illic magna est copia vix potuerit colligi, vnde vel vnus posset vini sextarius eliquari. Anno Domini 1119 Gelasius papa Cluniaci moritur, & Guido Viennensis Archiepiscopus Stephani Burgundionum comitis germanus in papatum eligitur, & ab eo concilium à prædecessore suo indictum Remis celebratur. Vbi excommunicati sunt simoniaci vniuersi, & qui exigunt prætium pro sepultura, vel chrismate, vel baptismo, vxorum quoq; & concubinarum contubernia, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, ibi sunt penitus interdicta. Porro prædicto concilio Remis celebrato, vir Dei Notbertus vt erat nudis pedibus affuit, vbi ab Episcopis & Abbatibus qui conuenerant cum gaudio susceptus est, admirantibus cunctis super excellentia verborum prædicationis, & responsis eius, & super asperitate assumptæ pœnitentiæ & vitæ duricia, de qua cum rogaretur à plurimis sibi paululum relaxari nullatenus acquieuit. Auctoritatis vero Apostolicæ literas acceptas à papa Gelasio, renouari sibi petijt à Calixto, quod ille benigne annuit eumq; venerabili Bartholomeo Lau-

dunensi Episcopo attentius commendauit, vt eius curam ageret, eique locum ad remanendum in suo episcopio prouideret. Qui eum libenter excepit, & finito concilio Laudunum deduxit. A quo cum Ecclesia B. Martini viro Dei offerretur, tum propter vrbis viciniam, tum quia eiusdem Ecclesiæ clerici, propositi & vitæ eius austeritatem horrebant eam reliquit & ab Episcopo diuersis eiusdem prouinciæ locis religioni congruentibus sibi ostensis tandem diuinitus in loco Præmonstratensi resedit, ibiq; solitarius religiosam vitam agere cœpit, & tempore quadragesimæ ad colligendos socios solus egressus, ante Pascha cum 13 socijs rediJt, & cum his in Præmonstrato loco secundum canonicæ institutionis normam ad tenorem regulæ B. Augustini Deo militare cœpit. Tali igitur modo cœpit ordo Præmonstratensis sub patre Norberto florere, & tanquam vinea fructifera suos circumquaq; palmites propagare, cœpit autem circa Pascha An. 1120. Calixto papa præsulante, Ludouico Philipi filio regnante in Francia. Hoc anno in Ecclesia Virziliacensi in vigilia transitus B. Mariæ Magdalenæ incertum quo iusto Dei iudicio innumerabiles promiscui sexus & ætatis, atq; ordinis, in ipso crepusculo noctis atq; diei, Ecclesia subito conflagrante combusti sunt. Antissiodorensem hoc tempore regebat Ecclesiam, Domnus Hugo S. Germani primus abbas S. Hugonis Cluniacensis abbatis nepos, vir pro virtutum suarum insignibus perpetuo memorandus. Hic ordinem Cistercienfem qui tunc temporis adhuc recens erat, dulcissima visitatione frequentabat, & iuxta facultatem suam ei in multis necessaria ministrabat. Suo enim tempore eiusdem ordinis abbatiæ, Regniacum, Rupes, bonus Radius fundationis habuerunt initium, & per manus eius, tum in ministrando necessitatibus eorum, tum in acquirendo possessiones, non modicum incrementum. Porro in Episcopali sede non erat assiduus, mundanas occupationes fugitans, & quietem amplexans animi, desiderans q; cum claustralibus conuersari, inter ipsos non appetens Episcopus videri vel dici sed monachus. Præterea incumbente negotio dum Romam proficisci vellet, compulsus est à Sacerdotibus suæ diœcesis ad expensas tanti itineris auxilium postulare: nec tamen quæsiuit ab aliquo, quam quod cuiusq; propria voluntas offerret. Iter itaq; aggressus transiuit montem Cinicum, sed viam tutam ibidem non esse intelligens, consilio inito statim redit. Post hæc scripta relegens quantum ab vno quoq; sacerdotum pro conficiendo itinere accepisset, vnicuiq; quod dederat resignauit. Senonensi Ecclesiæ post Dainbertum præfuit Henricus cognomento Aper. Per idem tempus erat in Antissiodorensi matre Ecclesia clericus quidam Iterius nomine deuote ibidem seruiens, nullos tamen reditus illic habens vir quidem simplicis animi & minoris industriæ, sed probati testimonij & conuersationis honestæ. Erat vero apud eandem vrbem vltra Icaunam fluuium, locus, quem olim B. Germanus in cœnobium monachorum extruxerat, & copiose ditarat, in quo etiam fuerat eiusdem præsulis cella sanctorum

Bonus Radius Boras.

eius gemitnum cruciatuumque conſcia. Is itaque locus vbi quondam celebriter religio ſacra floruerat ad tantam tunc dirutus vaſtitatem deuenerat, vt vbique fruteta ſuccreſſerent, vbiq; circum habitantium gallinæ libere diſcurſarent. Porro præfatus vir dum in vita B. Germani relegeret, vel lectum audiret, quanto hic locus in diebus antiquis claruiſſet præconio ſanctitatis, vt erat deuoti animi, afficiebatur medullitus, videns locum penitus deſolatum, olim tam celebrem tam præclarum. Dum in hac itaque voluntate perſiſteret, viſione mirabili de reparando loco meruit incitari. Siquidem videre ſibi viſus eſt, præfato ſe adeſſe in loco, vbi glorioſam Dei matrem aſpiceret filium ſuum quem tenebat in vlnis, volentem in cunabulis reclinare. Tum illa propter aſtantem eum intuens ad ſe vocat, & vt ſibi ad reclinandum puerum cooperetur inuitat. Illo vero ſe vociferante indignum, ipſa ei rurſus imperat, ne trepidet ſed accodat. Tum ille trementer acceſſit, & in tanto eam vt decebat miniſterio reuerenter adiuuit, vt autem experrectus eſt, cœpit cogitare propenſius quid vidiſſet. Et accedens ad Dominum Hugonem tunc præſulem virum magnæ virtutis, intimat ei ſeriem viſionis. Cui ille, Domini inquit & glorioſæ matris eius voluntas eſt, vt locum illum reſtituas, repares diruta, ruinoſa reficias. Vere enim locus Sanctus eſt, & terra ſancta, vt pote ſanctorum habitatio perantiqua. Hac igitur occaſione cepit homo Dei frequentius locum inuiſere Interea B. Germani natalis inſtabat. Tum ille ob honorem Sancti, altare quod adhuc ſupererat pallio decenter adornat, quibuſdam etiam cortinulis per ruinoſos parietes circum quaque protenſis. Accidit autem vt plueret ipſa nocte. Summo mane ille reuertitur exiſtimans ſuperpoſitum altari pallium omnimode peioratum, eo quod nullum ab imbre defenderet tegumentum, mira res, terra circumiacens, ipſique parietes cum cortinulis madeſcebant, ſed ornamentum altaris nullatenus attigit pluuia, cum omni careret penitus opertura. Viſo itaq; miraculo ſtupidus votum vouit: quod deinceps pro modulo ſuo obnixius loco incumberet reſtruendo. Pauculis proinde vineis quas ex patrimonio poſſidebat diſtractis circa reparationem loci cœpit inſtantius occupari. Anno Domini 1129. Eccleſia Vallis lucentis fundata eſt. Anno ſequenti Honorio Papa defuncto: Gregorius Cardinalis Diaconus & Petrus Leonis ad papatum eliguntur. Et Gregorius Innocētij, Petrus Anacleti nomine alterantur. Sed Petro ob parentelæ ſuæ fortitudinem apud S. Petrum commorante, Innocentius Roma egreſſus, in Gallias proficiſcitur, & gallicana ſibi adhęrente Eccleſia Concilijs celebratis, primo Remis, ſecundo Pariſijs in papatu confirmatur: & Petrus ab omnibus Galliæ & Germaniæ Epiſcopis anathematizatur. Porro Innocentius Papa cum Antiſſiodorum deueniſſet, ſupra memoratus venerabilis Iterius ipſum adijt obnixe rogans, vt locum quem iam ex parte refecerat, dignanter inuiſeret: ibique altare ſub beatiſſimi Germani titulo dedicaret. Quod Pius papa benigne annuit, & altare ſolenniter conſecrans, diuina ibidem miſteria celebrauit. Videns

quoque innumerabilem populi adesse concursum, Sermonem fecit ad populum, Sic exorsus, vere inquiens locus iste Sanctus est, & ego nesciebam &c. Sane ex tunc cœpit idem locus reuerentius honorari, adiri frequentius, & copiosius ampliari. Verumtamen dum instaretur operi, quanta fuerit euidentia diuini miraculi, non debet tacite prætereriri. Etenim opera Dei reuelare honorificum, sed silentio sepelire damnosum. Peracto beati Germani oratorio, alterius quoque partis Ecclesiæ iam extructa testudine, visum est debere submoueri centra, quibus fuerat testudo suffulta. Dum submouentur super submouentes testudo corruit, eosque consternans adoperit. Audito ruinæ strepitu, vndique concurritur: moles arenæ & lapidum certatim eruitur, qua eruta mirum dictu, nullam in eis inueniunt læsionem quos æstimauerant prostratos ad mortem. Denique loco iam aliquatenus dilatato, cœpit ille vir Dei in suscipiendis hospitibus liberalis existere, & eis quantamcumque poterat munificentiam exhibere, sed præsertim his in quibus habitus religionis maiorem videbatur prætendere speciem virtutis. Quadam autem die cum quosdam ex Cisterciensi ordine suscepisset, forte non habuit quid susceptis apponeret. Ad emendum ergo pisces mitti præcipit, sed cum nullos prorsus inuenisset emendos, qui fuerat missus redit. Dumque in reditu pertransit Icaunam, piscem non modicum subito nauiculæ applicati, conspicit: moxque eum tanquam missum celitus manu capit. Sic seruo Dei non defuit vnde hospitem, immo Christum in hospite posset reficere, sic Deus liberalitatem animi deuoti, voto suo non pertulit defraudari. Anno 1135. præmonstratensis ordo venit Dei locum. Anno 1136 defunctus est sanctæ memoriæ Domnus Hugo Antissiodorensis Episcopus. Hic cum extrema ægritudine laboraret, sibique diem sentiret adesse nouissimum, fratres circumstantes circa horam nonam diei his verbis admonuit. Horas diei quæ supersunt quas debemus Domino persoluamus, quoniam finitis horis statim requiescam. Cantauerunt igitur Domino, & hora Completorij completa completus est terminus vitæ eius, sicque vt ipse prædixerat requiescens in Domino, in Ecclesia B. Germani vbi prius abbas extiterat tumulatur. Huic in episcopatu successit alter Hugo Pontiniaci primus abbas vir in sacra religione feruens & strenuus, & licet iuxta propositum ordinis sui miræ esset patientiæ, in Ecclesiæ tamen hostes districtus erat executor iusticiæ. Hic in ea nocte qua in crastinum electus est in Antissiodorensem Episcopum vidit in somnijs, quod mater sua, sibi esset nuptiali fœdere copulata. Qui cum in Senonensi Ecclesia propter suspensionem Henrici metropolitani locum consecrationis non haberet, apud Ferrarias monasterium a Domno Gaufrido Carnotensi Episcopo consecratus est. Florebat hoc tempore Theobaldus Comes Campaniæ, pater orphanorum, & iudex viduarum, cæcorum oculus, pes claudorum, in sustentandis pauperibus singulariter munificus, in extruendis cœnobijs & erga religiosos quosque incomparabili largitate. Hic genuit Henricum Comitem, Theobaldum Comitem &

Hugo Pontin. 1. Abbas, fit Episcop. Antiss.

Stephanum Comitem. VVillelmum primo Carnotensem electum deinde Senonensem Archiepiscopum, post Remensem. Filias etiam plurimas habuit, quarum vltimam Adelam nomine Ludouicus rex pijssimus postea in vxorem accepit, ex qua filium Philippum nomine regni successorem suscepit. Porro idem Theobaldus quanta fuerit elemosinarum largitione profusus & religionis amator & propagator eximius vix lingua sufficit explicari. Florebat & Guillelmus Niuernensis Comes vir iusticia & honestate insignis, cuius postmodum deuotio mira enituit, dum de potenti principe seculi factus est in Carthusia humillimus pauper Christi. An. 1138 apud Antissiodorum clarus habebatur Irerius de quo iam supra fecimus mentionem, vir quidem & si non multa litteratura preditus, in ædificatione tamen adeo sermone profusus, vt cunctis esset admirationi tam eloquendi copia quam gratiositate audiendi. Hic videns locum quem reædificandum susceperat, non tam sua industria, quam Domini gratia sub se & per se assidua capere incrementa, cœpit apud se pensare altius, seque reputare felicem, si conuentum ex præmonstratensi ordine illuc adducere posset, qui iugiter Deo inibi deseruiret. Quod ergo minus per se poterat, per alios implere parat. Adit & consulit venerandum Hugonem Episcopum, & Guillelmum Niuernensem Comitem nec non & Comitem Theobaldum, viros tam vita laudabiles quam in seculo prepotentes. Horum concilio, & auxilij promissione munitus præmonstratum petijt, & à venerabili Hugone tunc præmonstrati abbate quod petebat obtinuit. Fratres itaq; ad Conuentum deliguntur, eisque Domnus Rainerus abbas preficitur: prius præmonstrati prior, & ex magna parte præmonstratensis ordinis institutor. Literaturæ vero tantæ tamq; prudens consilij, vt in toto præmonstratensi ordine, vix eo posset potior inueniri: mira gratia prepollens in cunctis, nisi quod laborabat incommodo modicæ surditatis. Venit igitur in locum designatum ipse cum fratribus, Anno Domini, 1139. Innocentij Papæ decimo. Ludouici iunioris regis Francorum post mortem patris sui tertio. Erat autem idem locus tenuis admodum & angustus. Amplificandi vero vix vlla spes erat, cum hi quorum possessiones locum circumcingebant nullatenus acquiescerent, eas aut vendere, aut pro æque valentibus commutare. Cum itaque eos opprimeret, hinc loci angustia, hinc tenuitas facultatum, præfatus Niuernensis Comes, inter alia plura beneficia dedit eis terram vbi grangiam quæ Capella dicitur, extruxerunt, vbi etiam sorores per aliquantum temporis habitarunt. Dedit quoque eis molendinum de stagno sed & ipsum postea stagnum adjacens molendino. Domnus præterea Hugo episcopus non modica spes eorum auxilij eo quod & ipse ordinem fecisset adduci, inter cætera beneficia perplura quæ contulit, terram grangiæ de bosculo emit eis de proprio. Denique considerans locum nimiæ arctitudinis esse, non posse ordini suo congruas dilatari vel extrui officinas, maxime propter tenaciam circumiacentes possessiones habentium, inito consilio Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Antisiodorensi

suburbi

suburbio sitam, eis cum suis appenditijs concessit habendam: cuius Ecclesiæ canonicis id proposuit optionis, vt aut inde recederent, aut superuenientium fratrum se ordini conformarent. Illuc ergo fratres adueniunt, vbi etiam multas tam loci quam rerum angustias pertulerunt. Denique cum ob secularium inquietudinem, in sinistram partem Ecclesiæ disposuissent officinas transferre, rogauerunt quendam ibidem habitantem Canonicum vt pro domo sua susciperet aut commutationem aut prętium Qui cum omnimodis reniteretur, iusto Dei iudicio mox grauiter infirmatur, & quinta die sequentis hebdomadæ traditur sepulturæ: Sic obtinuerunt à mortuo, quod à viuente non potuerant extorquere. Porro Domnus Rainerus vir consilij sapienter agebat in omnibus, suos & verbo instruens & exemplo præcedens: quem etiam multiplex corporis infirmitas opprimebat, propter paupertatis incommodum, quod cum cæteris in nullo sibi indulgentior sustinebat. Hoc tamen duplici incommodo paupertatis scilicet & infirmitatis frangi non poterat, vt pote quem exercitatio virtutis diutina in sacra religione fundarat. Sane cum tot in eum diuinæ gratiæ confluxissent dona, non potuit sub modio latere lucerna. Siquidem Sanctus eum Bernardus tam regi quam principibus notum fecerat & famosum, vt pote quam nouerat virum multæ virtutis, discretionis eximiæ & precipuæ honestitas, qui etiam vallem profundam eisdem fratribus impetrauit à rege donari. Anno Domini 1140 Senonis pręsente Rege Ludouico Episcopotum & Abbatum Religiosorum fit conuentus contra Petrum Abailardum, Hic ingenio subtilissimus, mirabilisq; philosophus, qui construxerat cœnobium in territorio Trecassino in prato quodam vbi legere solitus fuerat: in quo sanctimoniales plurimas Episcopali auctoritate congregauit, quod Paracletum nominauit. Quibus sanctimonialib' Heloissam quondam vxorem suam religiosam fœminam, & literis tam hebraicis quam latinis adprime eruditam pręfecit abbatissam. Quæ vere ipsius amica magnam ei post mortem in assiduis precibus fidem conseruauit, corpusq; eius de loco vbi obierat transtulit ad prædictũ cœnobium. Anno 1144 Henricus Senonum archiepiscopus hoc anno mortuus est, & voces auditæ fuerunt media nocte, primum in Burgo S. Petri, postea in ciuitate. Porro Henrico in archiepiscopatu successit Hugo præcentor. An. 1146 Domnus Rainerus S. Mariani primus Abbas quibusdam de causis Præmonstratum profectus, dum rediret apud Pruuinum ægritudinis lecto decubuit, vbi Theobaldus Comes principum illustrissimus eum sæpius visitauit, vt pote quem sciebat virum sanctum & iustum, & sua visitatione dignissimum. Post paucos autem dies, ingrauescente morbo beatum vitæ finem ibi sortitus est, & in Xenodochio quodam pauperum vt ipse petierat inter pauperes, pauper Christi sepultus est. Postmodum vero eodem Xenodochio in Abbatiam canonicorum quæ nunc sancti Iacobi dicitur commutato, contigit eiusdem loci Ecclesiam ampliari, & intra Ecclesiæ ambitum, eius includi sepulchrum, vbi nunc vt fertur multæ

Paracletense cœnobiũ, conditũ est in diœcesi Trecesi an. 1131. vt liquet ex diplomate Innoc. Papæ, eodem an. apud Altissiod. in gratiã Heloissæ concesso.

languentibus curationes præstantur, quibus viri Dei meritum declaratur. Obijt autem pridie Cal. Martij expletis postquam abbas effectus est 6 annis & 3 mensibus & 20 diebus, cui successit Bertoldus vrbe Colonia oriundus vir vitæ probabilis & præcipuæ mansuetudinis: qui cum vndecim mensibus præfuisset, obijt, eiq; Osbertus successit. Per idem tempus in Alemaniæ partibus habebatur admirabilis virgo quædam prouectæ ætatis cui tantam gratiam virtus diuina contulerat, vt cum ipsa laica & illiterata esset, mirabiliter tamen ab hoc mundo raperetur frequentius, & in summis disceret non solum quod postea in imis diceret, sed potius quod satis mirabile est & inauditum, etiam scribendo latine dictaret, & dictando libros catholicæ doctrinæ conficeret. An. 1147 Guillelmus Niuernensis Comes relicto seculi principatu & omni honore calcato, Carthusiam petit, ibiq; digne Deo in humillima paupertate conuersans, infra annum conuersionis suæ fœlicem terminat cursum vitæ. An. 1148 S. Malachias Hybernorum archiepiscopus & Apostolicæ sedis legatus 4 Nonas Nouembris apud Claramuallem migrat ad dominum, loco quem prælegerat, tempore & die quem prophetice designarat, homo præ cæteris sui temporis vita & virtute apostolicus, & in faciendis signis atq; prodigijs, in diebus suis potentiæ singularis. An. 1151 obijt Hugo Antissiodorensis episcopus, vir moribus & scientia clarus, cui successit Alanus, Ripatorij * primus abbas. Item obijt nobilis & religiosus princeps, & pauperum pater Comes Theobaldus, de hoc Comite quidam sic dixit

Te, bonitas notum dedit omnibus optime consul:
Nunc modo fama manens hoc operatur idem.

An 1152 S. Gibertus ex potenti milite seculi, humillimus miles Christi, elemosinarum, abstinentiæ, paupertatis admirandus exemplis, apud scolam auerniæ vicum migrauit ad dominum. Sepultus est autem in monasterio non procul a præfato vico, vbi Præmonstratensium ordinem pij laboris instantia ipso anno adduxerat, cuius magnitudinem meritorum, miraculorum magnitudo declarat. An. 1153. Papa Eugenius S. Bernardi in sancta conuersatione filius, ab hac luce, vel ab hac magis caligine, migrauit ad lucem. Hic mirabilis vir iustitiæ & pietatis amator & cultor eximius, cuius merita in ipsa cui insigniter præfuit vrbe miraculis pluribus illustrata choruscant, postquam præfuit Anastasius. Eodem anno dilectus Domini Bernardus Claræuallensis cœnobij primus abbas, aliorum quoq; amplius quam 160 monasteriorum pater consummatis fœliciter vitæ suæ diebus & annis circiter 63 expletis 13. Cal Septembris inter filiorum manus obdormiuit in Christo, & ex illa sua Claraualle ascendit in montem claritatis æternæ. Sepultus est ante altare beatissimæ virginis matris, ipsoq; in tumulo pectori eius superposita est capsula reliquias continens B. Thadæi apostoli, quas eodem anno ab Ierosolima sibi missas suo iusserat corpori superponi, de ipso sequentes versus scripti sunt.

Sunt clara valles, sed claris vallibus Abbas

Ripatoriũ (Larivour) cœnobiũ est Cister. ord. 2 leucis ab vrbe Tricass. distãs, in quo hodieq; asseruatur testamentũ Alani scriptũ an. 1182. cui⁹ etiam sepulchrale monumentum adhuc visitur in eccles. Claraual. monasterij, vbi perperã in tabula iuxta tumulũ appensa, est notatũ ipsum obijsse an. 1181.

Clarior, his clarum nomen in orbe dedit.
Clarus auis, clarus meritis, & clarus honore
Claruit eloquio, religione magis.
Claraq; mors, clarusq; cinis, clarumq; sepulchrum,
Clarior exultat spiritus ante Deum.

An. 1154. Anastasius papa moritur senex valde & plenus dierum, successit ei Nicolaus, vir disertus, genere anglicus, primo abbas S Ruffi deinde albanensis episcopus & papa dicitur Adrianus. Hic Fredericum imperiali diademate Romæ coronauit: cuius quidem coronationi cum Romani resisterent à Theutonicis potenter repressi sunt. Hoc anno Ludouicus Francorum Rex filiam imperatoris Hispaniæ fœminam morum honestate præcipuam accepit in coniugem apud Aurelianis vrbem, ibiq; nuptijs quam solemniter celebratis, ab Hugone Senonensi archiepiscopo vncta est, in reginam. Quod Sanson Remensis archiepiscopus ægre tulit, dicens, sui esse iuris vbicunq; consecrandi fuerint reges Francorum & reginæ eos à se consecrari debere: cum hoc nec approbet ratio, nec suffragetur exemplum. Quodquidem Iuo Carnotensis, decretorum ac legum peritissimus, in epistolis suis tam rationibus astruit quam exemplis, dicens. Nullo vnquam scripto vel exemplo probari posse, Remensem archiepiscopum, regem Francorum extra Belgicam prouinciam vnxisse aut coronasse. Ac proinde cum eadem potestas sit cuiusq; Metropolitani in metropoli sua, iniuriosum videtur si vnus in proprium ius ambiat vendicare, quod multorum constat esse commune. An. 1155 dimisit Osbertus Abbatiam suam expletis annis 8 Domnumq; Milonem habuit successorem. An. 1156. Ludouicus rex Senonensem Ecclesiam libertate donauit à malis & pessimis exactionibus quibus Senonica sedes, moriente Archiepiscopo solet fatigari & opprimi. Elizabeth sanctimonialis vidit visiones multas de gloria vndecim milium virginum. An. 1159. Adrianus papa obijt, quo mortuo facta est in Ecclesia Romana magna turbatio, Cardinales namq; ab inuicem diuisi, duos sibi pontifices elegerunt, Rolandum cancellarium qui papa Alexander dictus, & Octauianum graui schismate Ecclesiam disrumpentes: vnde proceres regionum turbati, quidam vni, quidam vero alteri adhæserunt. Imperator siquidem Romanus cum suis episcopis Octauiano, qui à sibi fauentibus papa Victor acclamatus est, cessit. Rex vero Francorum Ludouicus, & Rex Anglorum Henricus, cum suis Episcopis Alexandrum in patrem & dominum susceperunt. Anno 1160. In Ecclesia S. Petri viui inuenta sunt corpora sanctorum Christi discipulorum ac martyrum Potentiani atq; Altini sub maiori altari à venerabili Hugone Senonensi Archiepiscopo in sarchofagis intrinsecus plumbeis, extrinsecus ligneis, quæquidem ibidem diu latuerant, sed à nullo fratrum in eadem Ecclesia Domino seruientium sciebantur. Præfatus autem pontifex de tanta reuelatione cum multis clericorum suorum lætificatus Domino grates reddidit, & tantorum martyrum corpora absq; vlla diminutione in

Iuo Carno. epist. 70.

eodem loco vbi Deo annuente diu requieuerant, ſicut prius erant cum ingenti honore repoſuit. Ipſoq; anno mortua eſt Regina Franciæ, filia Imperatoris Hiſpaniæ, fœmina vitæ laudabilis, actibus clara, moribus perornata. Rex vero Ludouicus conſilio procerum ſuorum accepit in coniugem filiam bonæ memoriæ venerabilis comitis Theobaldi, quam poſtmodum prædictus Hugo Senonenſis Archiepiſcopus Pariſius in reginam vnxit, ipſamq; cum domino ſuo Ludouico ipſa die præſentibus tribus cardinalibus Othone videlicet & Vilelmo papienſi, atq. Henrico Piſano in Eccleſia B. Mariæ coronauit, & in eadem Eccleſia ipſis Cardinalibus & multis alijs præſentibus Miſſæ officium ſolemniter celebrauit, quod factum valde diſplicuit Remenſi Archiepiſcopo, & eius Epiſcopis. Anno 1161. Guillelmus Niuernenſis comes moritur, & apud S. Germanum in capitulo tumulatur. Poſtquem filius eius æquiuocus comitatum obtinuit, qui mox vt dominari cœpit multas à vicinis proceribus comite ſcilicet Iouiniaci & comite ſacri cæſaris Stephano infeſtationes ſuſtinuit, ſed tandem præualuit. An. 1162. Alexander papa in Gallias venit, & à regibus, Francorum videlicet & Anglorum ſuſceptus eſt. Anno 1163. Guillelmus Niuernenſis comes, Comitem Stephanum iuxta Marchiam in bello deuicit, & de ſuis multos occidit & cœpit, cum magna victoria Niuernis peruenit. Ipſo anno in feſto S. Hieronymi venit idem Papa Senonis cum multa caterua epiſcoporum & cardinalium Romanæ Eccleſiæ ibiq; ab Hugone Archiepiſcopo alijſq; Epiſcopis & Abbatibus & omnibus vicinarum Eccleſiarum conuentibus, honorificentiſſime receptus eſt & per annum ac dimidium in ſede Archiepiſcopali moratus eſt. Porro in Eccleſia S. Stephani rogatu Archiepiſcopi & clericorum eiuſdem Eccleſiæ ſub titulo BB. Petri & Pauli conſecrauit altare. S. martyris quoq; Columbæ dedicauit Eccleſiam tunc à fundamentis extructam. Anno 1164. Thomas Cantuariæ Archiepiſcopus exulat in regno Francorum, primo in cœnobio Pontiniacenſi moratus eſt, poſtea Senonis in cœnobio S. Columbæ regijs expenſis ſuſtentatus eſt.

1151.			1164.	
1152.		*Fredericus im-*	1165.	
1153.	*Anaſtaſ⁹ ā.1.*	*peras annis 30.*	1166.	
1154.	*Adrianus*		1167.	
1155.	*an. 5.*		1168.	
1156.			1169.	
1157.			1170.	
1158			1171.	
1159.	*Alexander*		1172.	
1160.	*annis 22.*		1173.	
1161.			1174.	
1162.			1175.	
1163.			1176.	

1177.
1178.
1179.
1180.
1181.
1182.
1183.
1184.
1185. *Vrbanus an.2*
1186. *Gregorius m.2.*
1187. *Clemens an.3.*
1188.
1189.
1190.
1191. *Celestinus*
1192. *annis 6.*
1193.
1194.
1195.
1196.
1197.
1198.
1199.
1200.
1201.
1202.
1203.
1204.
1205.
1206.
1207.
1208.
1209.
1210.
1211.
1212.
1213.
1214.
1215.
1216.
1217.
1218.
1219.
1220.

Anno 1165. Alexander Papa Romam reuersus est, & cum magna processione à Romanis est susceptus. Ludouico Regi Francorum nascitur filius Philippus nomine de cuius natali hoc distichon scriptum

Anno milleno, centeno, bisq; triceno
Quinto, de nato fit Francia læta Philippo.

Guichardus Pontiniaci secundus abbas in Lugdunensem Archiepiscopum assumptus est. Anno 1166. Radulphus Antissiodorensis matris ecclesiæ Thesaurarius obijt, vir non paruæ in seculo gloriæ, eo quod genere moribusq; clareret, & diuitijs non mediocriter redundaret. Hic cum sibi finem cerneret imminere, miræ deuotionis, miræ pœnitudinis cœpit esse, & cum alios, parentum quos deserunt amor afficiat, cura sollicitet, iste omni affectu post habito carnalis parentelæ, nihil eis omnino voluit impartire vt omnium quæ possidebat Christum hæredem faceret immo fieret hæres Christi cuncta quæ habuit disposuit Ecclesijs dilargiri: Ex quibus S. Mariani canonicis, maximam contulit portionem, vnde tenuitas eorum non modice est adaucta. Seipsum quoq; illis conferens mire deuotus & pœnitens, exitum inter eos vitæ sortitus est: quem ob beneficij & dilectionis eius erga eos maximæ monumentum, in presbyterio ante maius altare tradiderunt sepulturæ. Anno 1167. Alanus episcopus dimisit episcopatum suum, cui successit Vilelmus Antissiodorensis Ecclesiæ Thesaurarius & Senonensis Archidiaconus, frater ante Hugonis eiusdem Ecclesiæ archipræsulis. Mori-

tur Amalricus Siluanectis episcopus. An. 1168. pestis grauissima in terra Ierosolymorum fuit, vbi peregrini nostri pene omnes hoc anno mortui sunt. Vilelmus quoq; Niuernensis Comes armis strenuissimus moritur in terra illa sine hærede, cuius honorem & terram Guido frater eius suscepit. Ipso anno circa dies paschæ in Scicilia grauis est exorta seditio, cancellarius enim regis qui erat francigena tunc plurimum potens cum à plurimis odiretur in curia, quidam curiæ potentes in eum eiusq; complices conspirauerunt, & sigillum regis trans-formantes litteras sigillo adulterino signatas vbiq; per regnum direxerunt, vt quotquot ex Francis reperirentur capitaliter punirentur. Primo igitur in vrbe Messana factionis authores nefandum detexere consilium & clericum quendam Odonem nomine præfati cancellarij consiliarium præpotenter apprehendentes veste prius nudatum, dehinc asino super impositum ligatumq;, ita vt os eius, asini posteriora respiceret per totam vrbem vapulando duxerunt, & horrendo demum discerpsere supplicio, deinde quotquot Francigenas repperere, puniti sunt. Sed & per diuersa loca strages non modica facta est. Res tandem Regi delata est, & in seditionis auctores durius vindicatum. Hoc anno moritur Hugo Senonensis Archiepiscopus, cui successit Vilelmus famosissimi comitis Theobaldi filius, Carnotensis electus, sed nondum episcopus consecratus, Quem Senonis consecrauit venerabilis Mauricius Parisiorum episcopus. Florebat Antelinus ex priore Cartusiæ Belismensis episcopus. Anno 1169 canonici S. Mariani sedem pristinam mutauerunt 16 Cal. Decembris, in locum quem nunc inhabitant venientes die Dominica cum processione celeberrima & innumerabili clericorum, laicorumq; caterua. Qualiter autem eundem locum fuerint assecuti paucis est expediendum ad memoriam posterorum, Cum post Osbertum regimen abbatiæ suscepisset Domnus Milo, pensare cœpit attentius, quia loci prioris habitatio nec amplificandis officinis foret congrua, nec ordini conseruando, tum quia eos loci angustia premeret, tum quia ex nimia vicinitate vrbis, grauamen eis multiplex proueniret. Nam audiebantur frequentissime cantilenæ muliebres, plausus seculares, strepitus populares eo quod loco illi fons esset contiguus ad quem ex tota vrbe iugis omnium fit occursus. Proinde considerans præfatus abbas quia inter tot strepitus seculi, difficillime possit quies animi custodiri, locum cœpit inquirere, qui paululum ab vrbe remotior, plus haberet quietis, & officinis regularibus foret competentior extruendis. Ad hoc itaq; tam ei quam fratribus locus ille placuit: qui B. Martini ecclesiam, cœnobium quondam virginum circuncingit. Videns vero quia non facile obtineri posset eo quod plurimos habitatores haberet, comitem Niuernensem qui apud sanctum Germanum postea sepult⁹ est adit, rei pandit negotium supplicat vt sibi annuat quod deposcit. Tunc Comes videns locum, rei ad quam petebatur aptissimum, quicquid in eo sui erat dominij concedit Abbati: suis quoq; hominibus illic habitantibus vt locum exoccupent imperat, & terram eis

ad quam domos suas congrue transponant assignat. Exoccupato denique loco ædificiorum disponitur amplitudo, iaciuntur fundamenta, eriguntur structuræ iamque completis aliquibus officinis, anno prædicto venerunt vbi nunc sunt, trahente eos desiderio tum amplitudinis tum quietis. Anno 1170 sunt audita tonitrua horribilia, micuere fulgura 3 Cal. Ianuarij & 3 Februarij quo tempore & die sequenti anno Thomas præsul occiditur. Hoc anno Henricus rex Anglorum coronari fecit Henricum filium suum post Penthecostem, contradicente Domino Thoma Cantuariensi Archiepiscopo, licet apud Senonas Galliæ in exilio posito. Nec multo post eum reuocat præfatus Rex & cum eo fœdus pacis init, qui ipso anno reuersus in Angliam ab anglis cum exultatione susceptus est. Anno 1171. 4. Cal. Ianu. infra octauas natalis Dñi præfatus Thomas Cantuariæ archipræsul 30 die postquam applicuit fer. 3. est occisus ab impijs ministris prænominati Henrici regis Anglorum in Ecclesia Metropolitana Cantuariensi non longe ab altari hora vespertina glorioso martyrio, faciens sacrificium vespertinum gratissimum Deo. Cuius meritum magnum apud altissimum esse cum causa iustissima quæ vere martyrium facit, tum assertio euangelica quæ dicit: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quam innumera & inaudita contestantur miracula. Per huius enim B. pontificis & martyris meritum cooperante diuina clementia cæci vident, surdi audiunt, claudi diriguntur, & muti loquuntur, resurgunt mortui, sanantur leprosi obsessi a demonibus multi liberantur, & omne genus languidorum optatam frequenter obtinet sanitatem: in cuius obitum scriptum hoc distichon.

Annus millenus centenus septuagenus
Primus erat, primas cum ruit ense Thomas.

Anno 1172 ad sepulchrum præfati S. Thomæ Cantuariæ Archiepiscopi multa miracula fiunt.

Annus hic ipse mihi, sextus decimus fuit æui,
Quo mea Christe tuo, præbeo colla iugo.

Auctor Chronici factus monachus an. 1172.

Anno 1173. Petrus Comestor celebris habetur in Francia magistrorum Parisiensium primas vir facundissim᷑ & in scripturis diuinis excellenter instructus qui vtriusq; testamenti historias vno compingens volumine, opus edidit satis vtile, satis gratum ex diuersis historijs compilatum. Anno 1174 obijt bonæ memoriæ Harduinus Abbas S. Germani vir religiosus & mitis, cuius tempore idem locus & religione floruit & bonis exterioribus affluxit. Guarinus tertius Abbas Pontiniaci tam religione clarus quam genere, ad Bituricensem Archiepiscopatum prouehitur. Anno 1175 valde fuerunt tenues segetum messiones, quia magna ex parte quæ coloni terræ mandauerant, præteriti anni exundationes obruerant. Floret Mauricius Parisiensis episcopus, qui ob industriam ac literaturam eximiam & disertudinem linguæ præcipuam, de infimo magnæ paupertatis, ad pontificalis demum euectus est apicem dignitatis. Hic inter præclara opera sua, Ecclesiam cui præerat à

fundamentis extruxit, duosq. pontes lapideos condidit, alterum super Sequanam, alterum super Matronam. Anno 1176 maxima per Gallias fames inualuit in qua multarum Abbatiarum sed præcipue Cisterciensis ordinis magna apparuit munificentia in pauperibus sustentandus, in plerisque etiam ecclesijs multa ob sustentationem pauperum inuadiata sunt ornamenta, multa sanctorum feretra decrustata. Anno 1177 Vilelmo de Senonensi Archiepiscopatu ad Remensem translato, Guido Antissiodorensis ecclesiæ præpositus in Archiepiscopum est promotus. Ipso anno vrbem Auenionem adolescens nomine Benedictus aduenit dicens se a domino missum vt ibi super rhodanum, pontem construeret, derisus est ille cum illi nec sumptus ad opus & operi complendo spem demeret fluminis magnitudo & profunditas tam vasti & latitudine tam diffusi. Ille tamen institit prędicando, nec multo post diuino nutu incitati ciues certatim aggressi sunt opus iamdictum, licet supra modum difficile incredibiliter sumptuosum, ad quod peragendum sanctæ admodum vitæ iuuenis per multas diu prouincias ex fidelium elemosinis infinitas aggregauit expensas, quem ferunt etiam nonnullis claruisse miraculis. Anno 1178. Fredericus imperator cum papa Alexandro pacem componit, abjurat scisma, publice satisfacit. Sic depulso scismate vnitas reformatur ecclesiæ, & quæ iam per 16 annos ob suorum discissionem membrorum grauissime desolabatur, nunc ob eorum redintegrationem in domino consolatur. Siquidem cum legatur Romanam Ecclesiam multis scismatibus fuisse discissam, nullum tamen isto aut vehementius incanduit, aut diutius perdurauit. Anno 1179. Alexander papa Romæ post medium quadragesimæ concilium celebrauit, vbi ex diuersis terrarum partibus factus est innumerabilis tam Episcoporum quam Abbatum conuentus. Hoc anno filia Ludouici regis Francorum constantinopolim ducitur & imperatoris filio desponsatur. Hoc etiam anno in solemnitate omnium sanctorum Philippus puer præfati regis filius cum esset annorum 14. Remis à Vilelmo eiusdem vrbis Archiepiscopo in regem vngitur, & regio diademate insignitur. Petrus Comestor famosissimus doctor obijt, qui testamento sapienter disposito, cuncta quæ habuit, pauperibus & ecclesijs prorsus distribuit. Huius sepulturæ hoc epitaphium habetur insertum.

Petrus eram quem petra tegit, dictusq; Comestor
Nunc comedor, viuus docui nec cesso docere
Mortuus: vt dicat qui me vides incineratum
Quod sumus, iste fuit, erimus quandoq; quod iste.

Anno 1180. Philippus nuper vinctus in regem Hainocensis comitis filiam Comitis Flandriæ neptem accipit in vxorem, quam Guido Senonensis Archiepiscopus vnxit apud S. Dionysium in reginam, quod matri eiusdem Regis & matris fratribus valde displicuit, ac proinde castra suæ dotis contra filium munire præsumpsit, quo comperto à filio expulsa ad fratres confugit ac per hoc eorumdem fratrum contra Regem simultas incandescit. Non multo post diffinito consilio & illa reducitur

ducitur & procerum simultas sopitur. Hoc anno in Antissiodorēsi foro, surgente graui & grandi incendio, magna pars eiusdem fori combusta est. Ludouicus Rex Franciæ anno regni sui 43 obijt, filio eius Philippo iam in regnum prouecto. Sepultus est in monasterio à se constructo, quod dicitur Sacer portus non procul à Meliduno. Porro vir iste multa fuit honestate laudabilis, erga religiosos quosq; supplex ac beneuolus, & erga subditos vnica vsus moderatione, suumq; tranquille satis ac strenue regnum fouit. Hinc est quod sub ipso pace vigente tot nouæ villæ conditæ sunt & veteres amplificatę, tot excisa nemora & exculta, ordinesq; diuersi diuersisq; in locis multipliciter propagati. Ipso quoq; anno obeunt Guarinus Bituricensis, Mathæus Trecensis, Ioannes Carnotensis Episcopi, tam sapientia quam animi strenuitate famosi, quorum Ioannes S. Thomæ cuius & socius extitit passionem descripsit. Scripsit & librum quem prænotauit de curialibus nugis, in quo de diuinis ethnicisq; scripturis affatim testimonia congerens, satis innotuit quam fuerit ipse omni affluens sapientia, quam venustus eloquio, quam præclarus doctrina. Philippo rege natale Domini Senonis celebrante, orta est inter Guidonem Archiepiscopum regemq; dissentio, eo quod Archiepiscopus quædam decreta concilij nullatenus pateretur infringi. Siquidem commune concilium Romæ sub Alexandro papa anno præterito celebratum statuerat, nullum deinceps Christianorum, mancipium fieri iudæorum. Volebat itaq; Rex his nequaquam teneri, volebat quoq; secularium rerum causas non nisi sua in curia diffiniri, illaq; tantum quæ ad ius Ecclesiasticum pertinent Archiepiscopali iudicio reseruari. His alijsq; nouis vsurpationibus Archiepiscopo viriliter resistente, adeo ira regis incanduit, vt ipsum iuberet, aut sedem relinquere aut suis iussibus assentire: qui tamen maluit subire exilium, quam contra iustitiam regium implere præceptum. Verum paulo post accepto saniore consilio rex pœnitentia ductus exulem reuocat, & vt prius ei suum in omnibus ius reformat. Sub hoc tempore in territorio Senonico villa * Cudot habetur puella celebri opinione vulgata, nec enim mirum si celebris in qua nimirum effulget miraculum eminens ac præclarum, nempe diuinitus illi collatum est in corpore degere, & corporalis cibi subsidio vt dicitur non egere. Decem circiter annis vsq; ad annum hunc iam decursis, ex quo primum diuino munere tali est priuilegiata virtute. Hæc quidem genere infima, officioq; bubulca, Alpis nomine graui admodum atq; diutino prius est castigata flagello, adeo vt propter affluentem de toto corpore saniem, suis quoq; fieret in horrorem. Sed qui contemptibilia mundi elegit & infirma, post longa patientiæ probamenta, respexit humilitatem ancillæ suæ, & quo magis eam quasi in camino tribulationum excoxit, eo digniorem effecit, corpus ei redintegrans spiritalique alimento sustentans. Ita vero sui est impotens vt non nisi ab altero moueri queat, iacens continue resupina, præter caput & dexteram, membris cæteris sui vigore officij destitutis. Cumque nullum facile cibum possit traijcere, ad traijciendum tamen

Sanus siue sacer portus Abbatia de Barbeaux.

**Cudot, vicus est Senon. diœc. quiq; 6 leucis ab vrbe Senō. distat in cui⁹ loci Ecclesia, humatum est corp⁹ huius S. virginis Alpis siue Alpaidis forte Elpis sub tūba lapidea, cui superposita est ipsi⁹ effigies etiā lapidea, floribus (illæsæ pudicitiæ symbolum) coronata, ibiq; pij populi sūmo cū honore sanctitatē eius crebris miraculis consignatā venerātur.*

viaticum, naturalem meatum habet libere præparatum, Sane in corpore facta est admodum perexilis & marcida, quippe intestinis præ longa introrsus inedia vacuatis. Attamen ita venusta corpulentaque in vultu cernitur, ac si deliciarum copia perfruatur. Frequenter autem rapitur in excelsum, & angelo duce freta, nunc pœnarum percurrit loca, nunc gaudia beatorum. Ad se rediens, quid & cui proferat caute librat, magistrante nimirum interius spiritu & docente quid silere debeat, quid proferre. In solemnitatibus vero Domini, vel matris, datum est illi per excessum plerumque sursum rapi, mundumque & omnia quæ in mundo sunt libero mentis intuitu contemplari. Cum autem post vnum vel plures dies de illa altissima quiete regreditur, sicut ipsam audiuimus referentem, videtur sibi de quadam amplissima luminis regione in tenebras reijci, ac velut molam quandam mentis suæ oculis superponi. Refert quoque quia dum in illo est raptu conspiciat vniuersaliter mundum, in modum pilæ forma tereti circunscriptum, solem terra maiorem, terram velut ouum in medio pendulum & aquis vndique circuncinctum. Res vero rerumque rationes & causas tam infinitas esse tam abditas, vt ea tanto minus quisque capiat quanto curiosius inuestigat. Plerumque in spiritu videt absentia, præuidet plerumque futura. Verum illud eo specialius admirandum quo rarius, fœminam editam & educatam ruri, ruralique operi assuetam, tantæ dono sapientiæ insignitam.. Cum ea sane pluries collocutus fateor obstupui, tantam inesse fœminæ sapientiam in consilijs, circunspectionem in verbis. Etenim tam prudenter eloquitur, tam discrete consulit, tam salubriter adhortatur, vt luce clarius sit ipsum qui docet omnem hominem scientiam in ea sibi delegisse sedem, in ea facere mansionem.

Anno 1181 obijt Vilelmus Antissiodorensis episcopus. Hic Ecclesiæ cui præfuit tectum vetustate detritum fecit dirui, reficique, ac cum ipso tabulato sublimius erigi & lateribus coopertum, decenter intrinsecus camerari. Cumque plura altaria illic essent, & præter maius omnia seruitore carerent, ipse alia quoque quatuor exceptis his, inibi consecrauit & tam ista quam cætera, aut per ipsum aut sub ipso per alios assignatis reditibus sunt dotata, ita vt singula, singulos vel etiam plures ex tunc habuerint seruitores Sed & reditus episcopales non mediocriter ampliauit emptione agrorum & pratorum, constructione ædificiorum, acquisitione masnilium. Ecclesiam S. Mariæ ac S. Ioannis ipsamq; in qua sedit, aut dotauit in quibusdam, aut ornauit. Præterea cum sub ipso Niuernensium comitum fieret crebra mutatio, & ex his aliqui molirentur inducere consuetudines prauas, tam Ecclesias quam populum grauaturas, ipse viriliter restitit, nec destitit, donec obtinuit non solum illas violentias irritas fieri, sed & libertatem Ecclesiæ priuilegijs communiri Deniq; cum cunctis esset affabilis & benignus bonitatis tamen pręcipuæ erga S. Mariani ecclesiam dedit indicium, dum nec considerata paupertate loci, se ibidem statuit sepeliri. Post cuius obitum inter canonicos orta dissensio, diuque protracta, non parua

Ecclesiæ intulit detrimenta. Hisdem quoque diebus comes Campaniæ illustris Henricus, dum de Ierosolymis per Asiam redit, à Turcis captus sed ab imperatore Græciæ liberatus est. Vt demum terram suam attigit, quos ex reditu lætificauerat, ex celeri obitu mox contristat. Circa id tempus Philippus Rex comitatum Niuernensem in suam redegit ditionem. Hac autem de causa. Guido comes duos liberos quos ex coniuge Mathilde susceperat, moriens tutelæ regiæ deputarat. Post hæc Mathildis Petro Flandrensi nupsit, quo paulo post mortuo nupsit Roberto, sed quia erant consanguinei postmodum ab inuicem sunt disiuncti. His itaque gestis liberorum iam dicti Guidonis alter obit alterum Rex apud se tenuit, sicque terram in suum dominium vendicauit. Interea Antissiodorensi Ecclesia canonicorum dissensione turbata, iussit Rex contra ius in iura episcopalia manum mitti, & tam intra vrbem quam extra, quicquid episcopalium erat redituum totaliter confiscati. Anno prædicto apud Atuernis vrbem circa festum S. Ioannis Baptistæ grandis tempestas ingruit, quæ minus quidem in latum, sed nimis in longum processit, ac segetes, vineas, arbores grauissime profligauit. Post breue apud Aurelianis vrbem, insigne prodigium diuinitus est ostensum. Circa festum B Laurentij die Dominica, sacerdos quidam missam celebrans duas parauerat hostias, alteram quam reponeret, alteram vero quam sumeret. Iam vsque ad Dominicam orationem processerat, cum repente ipsam quam tenebat in manibus hostiam, rubeo conspicit colore suffusam. Vidit deinde ebullientem ex ea sanguinem, iamque sibi inter digitos profluentem. Mox eam super corporale deponens per tria loca transposuit, & in singulis quantum loci ipsa continuit, tantumdem sanguine purpurauit. Dum hæc cernens sacerdos repletus extasi moram facit, vt moræ causam inquireret, propius minister accessit. Qui videns rem tam mirabilem, mox conuocat populum tunc astantem. Accurrunt vniuersi, & in re tam stupenda, nimio sunt stupore percussi. Porro sacerdos vt sacrificium ex more peregeret, alteram libauit Eucharistiam, quam parauerat reponendam. Pe crebrescente fama miraculi ad tantum spectaculum vrbs tota confluxit. Rex quoque qui non longe tunc aberat festiuus aduenit. Plerosque vidimus qui viderunt ipsam hostiam in formam carnis liuidæ, & supra corporale, ipsas sanguinis notas cum transponeretur hostia ad modum hostiæ circulatas. Post modicum in Burgundia apud castrum Carolum res quidem similis sed dissimiliter accidit, vbi profecto insignius diuina virtus irradiat, dum vna eademque hostia partim carnis, partim panis speciem representat, accidit autem sic. In festo omnium sanctorum præfati loci prior dum mysteria diuina conficeret, & iam in hora fractionis ex more vellet hostiam tripartire, frangere ipsam non potuit, sed manens integra solummodo est per medium replicata. Mox cruentam carnis speciem vna pars induit, pars reliqua in pristina figura remansit. Tale quid etiam illo in tempore alibi contigisse certissime fertur: quod nunc apud Brennam oppidum reseruatur. Siquidem illic per eiusdem

Obitus Henrici Campaniæ Comitis, Ecclesiæ S. Stephani Trecens. fundatoris inqua ipse humatus est, contigit an. superiore, scilicet 1180 *vt liquet ex inscriptione incisa super eius tumulum, laminis argenteis antiquo sed eleganti opere obtectum & ornatum.*

oppidi Dominum de loco vbi contigit est allatum. Sed & in Vndocinensi territorio prodigium super eadem re simile, pro certo compertum est effulsisse. Ante paucos quoque annos apud Atrebatensem vrbem euenisse rem similem, veridica relatione vulgatum est. Hinc euidentissime claret, panem & vinum in altari per verba Christi, in Christi carnem & sanguinem transmutari, indubitanter ergo credendum est quod sic & res ipsa comprobat & veritas asseuerat. Quod tamen ideo nobis occulitur, vt fides meritum sortiatur, in id namque tanto maius est fidei meritum, quanto magis humanum supergreditur intellectum. Enimuero quibus mens est sanior, fit stupor non modicus, quod eodem fere tempore super Domini corpore tanta prodigia claruere, nam nullatenus præter causam, teste quippe scriptura, nihil in terra fit sine causa. Si ergo causa & in minimis, quanto magis in tam magnis, atquamquam res ista sit abyssus multa, credi tamen tam secure quam pie potest, id esse diuinitus gestum ad cōfutationem perfidiæ & fidei firmamentum nempe illorum quos Puplicanos vel catharos vel paterinos populicanos vocant, hæresis execranda, quæ Christi abnegat sacramenta, per id tempus clam quidem pluribus in locis irrepserat sed palam in Guasconia maxime populos occuparat. Illic namque à catholica communione præcisi, castra habent quam plurima aduersus catholicos communita, catholico ritu posthabito suis adinuentionibus inseruientes, earumque virulentia quos potuerint toxicantes. Quocirca ad eorum retundendam vesaniam missus ab Alexandro papa vir linguæ disertæ, Henricus ex Abbate Claræuallis, episcopus Albanensis, qui prædicationis verbo militum peditumque copias vndecumque contraxit pręfatosque hæreticos expugnauit verum id frustra. Nam vt sui compotes facti sunt, se in erroris pristini volutrabo reuoluerunt. Inter imperatorem Alemanniæ ducemque Saxoniæ post grauia vtrimque excidia, pax demum est reformata, tali interueniente pacto vt ducatum non reciperet, nisi prius septemnio exulasset. Ipso anno Alexander papa vir discretus, multaque litteratura præditus, obit: obit autem in festo SS. Fœlicis & Adaucti vnde quidam sic ait

Hunc festis auxere suis, fœlix & Adauctus
Cum quibus est fœlix, factus adauctus eis.

Post quem, Humbaudus Ostiensis episcopus vir mitissimus sed grandæuus, in papam eligitur, Luciusque vocatur. Eodem anno Philippus Comes Flandriæ, Odo dux Burgundiæ, Gulelmus Remensis Archiepiscopus, Theobaldus Comes Blesensis, Stephanus sacricæsaris, mutuam ineuntes confœderationem vnanimiter conspirant in regem. Turbatur proinde Francia, regnum concutitur, imminensque periculum, vehementer ab omnibus formidatur, præsertim quia nulla paterent effugij loca, commotionum vndique detonante procella. Porro Rex videns, plurima se parte suorum destitui, gentem nefariam, quos Brebentiones vocant, in suum auxilium accersiuit, cum quibus Stephani Comitis terram peruagatus abrasit, castra dilapidans, incen-

Coniuratio & conspiratio in regem Galliæ

dens villas, omniaque deprædans. Comes interim Flandriæ, cum manu valida terram regis peruadit, & vicos quamplures, villas & oppida, aut diruit, aut spoliat, aut incendit. Post hæc dominico instante natali, paululum a bellis quiescitur, datis inuicem inducijs, & expeditionibus vtrimq; solutis. Anno 1182. Hoc anno in quadam villa, in Trecensi territorio sita, dæmon innotuit, nemini quidem nocens, sed tantum quibusdam blandiens, quibusdam insultans, cuiusquidem vox loquentis patenter audiebatur, sed nulla prorsus eius species cernebatur. In eadem quoq; domo in qua erat, si quid forte audiret præcipi, vel sternerentur thori, vel aliud aliquid ageretur, excutiebat illico culcitras, & quicquid agendum erat, summa celeritate complebat. Deniq; cum sacerdos adesset, vt ad expellendum eum, aquam exorcizaret, ille mox vas deiecit, & aquam effudit, clamitans se toties id facturum, quotiens sacerdos, aquæ inciperet exorcismum. Verum non multo post dæmon abscessit. Erat per Franciam non minima circumquaque formido, timebant nimirum, post damna grauia, se adhuc incurrere grauiora, vicos proinde vallabant, murabant vrbes, oppida muniebant. Augebat metum, quod Regis aduersarijs Fredericus imperator se spoponderat subuenturum, ac per totum imperium mandarat edici, vt in expeditionem forent cuncti sine cunctatione parati. Porro regi fauebat, fouebatq; partem eius Rex Angliæ cum filijs Henrico iam rege, & Richardo Aquitanorum duce, his mediantibus, de pace interim agitur, multaq; inter regem & principes colloquia celebrabatur, & turbulentiam illam quæ tam acriter efferbuerat, vix tandem, pax reformata tranquillat. Ipso anno Antissiodorenses canonici, Garmundum 4. Abbatem Pontiniacensem elegerunt in præsulē, non tam ipsius merito, quam sollicito studio fratris eius Ægidij, tūc a Rege præ cæteris in curia sublimati. Verum cū quędam expersonis ecclesiæ restituissent, romam proinde pars vtraq; profecta est, ibiq; diutius sunt detenti, eo quod multis vtrimq; rationibus allegatis nequiret negotium terminari: At illic maxima interim mortalitate grassante, Garmundus moritur sicque contentio terminatur. Quodq; mirandum est per eosdem dies quibus peste in curia Romana obijt, frater eius in Franciæ curia principatum amisit. Huius autem Ægidij frater extiterat Robertus cognomento Clemens qui regem a prima ætate nutrierat & instruxerat, vir moderatus & prudens regique fidelis & qui regalia industrie satis & strenue administrarat negotia, dum regem post mortem patris habuit in tutela. Huic prædictus Ægidius in regni administratione successerat. Eodem anno, quo sic concussum est Franciæ regnum, Constantinopolitanum quoque imperium, graui est perturbatione discissum. Quodquidem vt fertur sic accidit. Manuel imperator vir strenuus dum adhuc viueret, latinos ita dilexerat, quod suas non nisi per eos expeditiones ageret, & primis eos palatij honoribus insigniret, siquidem & latinam coniugem duxerat, & susceptum ex ea filium, latinæ coniugi, hoc est Ludouici Regis Francorum filiæ copularat. Quo defuncto quidam de imperiali prosa-

Diabolus apparet in villa agri Tricassini innoxius.

Exorcismū impedit dæmon.

Andronici violēta intrusio. sapia, Andronicus nomine, se violenter intrusit, & imperatoris adhuc iuuenculi se tutorem effecit. Hic itaque cœpit Græcorum animos commouere, suggerens exterminandos fore græcos à latinis, nisi latini exterminarentur à græcis. Sic animati tandem græci irruunt in latinos, & intra Constantinopolim, fit acerrimus vtrimque conflictus, græci quotquot ex latinis inueniunt, aut trucidant, aut ex vrbe proturbant. Andronicus, palatium occupat, portus incenditur, vbi diffusius debachante flamma, inestimabilis facta est ædificiorum opumq; *Constantinopolis deformata incendio.* iactura. Sic ex parte attrita est illa florentissima Constantinopolis, & opulentia & amplitudine, omnibus in orbe vrbibus insignis. An. 1183. Quædam pacis nouitas apud Anitium vrbem exorta est, per quemdam rebus & genere satis humilem, qui dicebat se diuinitus admonitum, vt populum hortaretur ad pacem. Primo itaque paucis sibi aggregatis, matris Domini signaculum, in signum pacis gerentibus, factus est eorum in breui numerus infinitus, ita vt e vicinis quoque castris & vrbibus plærique principes se eis adiungerent, aduersantium sibi, deijcerent castra impiosque delerent, sicque regionem illam, diu iam à latronibus circumquaque corrosam, tutam efficerent & quietam. Ipso ** al. Alemaniæ.* anno * Aruerniæ proceres, in mutua pacis fœdera coniurarunt, & nefandam illam Brebentionum cohortem, iam per multos annos, multis in locis, sed in Aruernia maxime, rapinis & cædibus inhiantem, aggressi sunt, & ex eis tria circiter milia trucidarunt, nullum tamen ex suis vt dicitur, prostratum vel saucium repererunt. Antissiodori, Hugo Thesaurarius creatur episcopus. Apud Constantinopolim, Andronicus, imperatorem exterminat, imperiumque vsurpat. Dux Burgun- *Vergiacum circunsedetur.* diæ castrum Vergiacum obsidet. At cum eiusdem castri Dominus, Garnerij Triennensis viri pernobilis gener esset, idem Garnerius, proceres Campaniæ secum traxit, vt genero subueniret, guerra perinde vtrimque mota, dux eis damna intulit grauia, sed ab eis omnino pertulit grauiora. In Aquitania regionibusque vicinis, factum est graue & grande dissidium, ecclesiarum spoliatio, castrorum, villarumque vastatio; quia Henricus Rex & dux Ricardus fratres inuicem dissenserunt, patre eorum Henrico Anglorum Rege, Richardi partem fouente, sed non multo post Henricus iunior moriens, sicut vitæ, ita & *Dissidium inter Pōtificem summum & popul. rom.* dissidij finem fecit. Inter Romanos & Lucium papam exoritur acerba dissentio, Lucius proturbatus ex vrbe, frequenter à Romanis impetitur multisque iniurijs lacessitur, quod ex hoc vno satis liquet, quia multis ex parte papæ captis, eruerunt oculos, imposuerunt mitras ac remisere mitratos, accepto ab eis iuramento, quod papæ præsentarent taliter se videndos, post hæc papa tot conflictus ferre non sustinens, Veronæ se contulit, sperans sibi auxilium ab imperatore ferendum. Per *Saladinus imperator Turcarū le-* idem tempus Saladinus Turcorum rex cum innumeris copijs, partes Ierosolymorum irrumpit non vllas strages dat, loca pleraque profligat, ac diruit, nec longe post repulsus abscedit. Philippus Rex de terra sua præcipit Iudæos expelli. An. 1184. secta eorum quos Capuciatos vocant

quæ apud Anitium, anno cœperat præcedenti, cœpit & in Francia propagari, sed illis, subiectionem insolenter negantibus, principum contradictione deleta est. Ipso anno Benedictus Auenionensis pontis auctor, sanctæ admodum vitæ iuuenis, obit, sepultusq; est super pontem illum mirificum, magna iam ex parte constructum, ab eiusdem fundatione pontis, 7 annis circiter iam decursis. Philippus Rex Guidonis Comitis filiam, Petro patrueli suo tradit in coniugem, & comitatum Niuernensem quem iam triennio tenuerat, eis libera concessione resignat. Eodem anno tota pæne vrbs Senonis & mater Ecclesia graui est admodum & stupenda conflagratione detrita, sed & quamplurimos, dum circumquaq; flamma desæuiret, inuoluit: conbussit alios, alios suffocauit. Accidit hoc in vigilia S. Ioannis Baptistæ. Sic illa præcursoris Domini iucunda celebritas, facta est miseris ciuibus, luctuosa calamitas. Ipso anno Heraclius patriarcha Hierusalem, & cum ipso duo magistri Templariorum & Hospitalium mare transeunt, & defuncto interim magistro Templariorum, post papæ colloquium transalpinant, hac autem de causa vt opem poscerent, quæremoniasque deferrent, quia regio transmarina, & nimis incursetur ab hostibus, & ope sit destituta. Anno 1185. Balduinus Ierosolymorum Rex obit, nepote eius adhuc pueruło in Regem substituto. Inter Philippum Regem & Comitem Flandriæ Philippum, grauis discordia recrudescit, hac autem de causa. Vxor eiusdem Comitis sine hærede obierat, pro qua idem Comes, Viromanduorum regionem tenebat, hanc ergo dicebat Rex, ex iure regni ad se debere deuolui, facta est proinde grandis exercituum vtrimque conuentio, sed talis demum compositio intercessit, vt tota Viromanduorum regio, in Regis dominium deueniret, præter pauca castra Comiti, dum aduiueret derelicta. Eodem anno VVilelmus Rex Siciliæ, contra Andronicum vsurpatorem imperij, terrestrem naualemq; exercitum aggregar infinitum, græciæ fines ingreditur, vrbes multas, terramq; spatiosam, ipsam quoque Salonicam, amplitudine, opibusq; præsignem, peruadit & obtinet. Andronicus multos peruicit, & eos maxime quos videbat nobilitate & potentia præeminere. Quocirca cum cunctis exosus ac suspectus existeret, quidam de imperiali semine, Thursac nomine, ad eum venire Constantinopolim iussus, ciuium sibi animos prius conciliat, & mutua confœderatione inita à Constantinopolitano patriarcha; vt coronaretur obtinuit, & Andronicum cum suis aggrediens, fecit corripi ac truncari per pedum manuumque iuncturas, & per vrbem super * Camelum trahi, dehinc euelli oculos, linguamq; præcidi. Ipso anno incredibilis vbique vini copia redundauit, ob hoc præcipue cunctis stupescentibus quod ante vindemias æstimari non poterat, tantam fore redundantiam ex vindemijs prouenturam. Lucius papa veronæ moritur, post quem Hubertus vir multæ literaturæ, ex cardinali in Mediolanensem præsulem nuper assumptus, exinde in papam eligitur & Vrbanus vocatur. Exercitus Regis Sciciliæ multis milibus numerosus, cum iam partem græciæ

rosolymam inuadit.

Senonensis ciuitas tota pene incendio deleta.

Balduini regis Ierosolimæ interitus:

VVilelmus rex Siciliæ copias conscribit.

Tursac aduersus Andronicum venit.

** al. Asinum.*

Andronicus toto corpore laniatur.

plurimam occupasset, circumuentus à græcis vsq; ad internecionem deletur, Salonicam græci recipiunt. Ipso anno ignem in modum cuiusdem igneæ domus, per cœlum discurrere plurimi conspexere, nec id quidem semel sel pluries. Anno 1186. Philippus Rex adit & liberat castrum vergiacum, a duce Burgundiæ longua obsidione conclusum. Per idem tempus literæ incerto nuncio profectæ, per orbem late ventilabantur contestantes quod in anno prædicto, Mense Septembri, omnes planetæ conuenirent in libra, & à parte Occidentis procederet ventus validus, ita vt fere vniuersa destrueret, nec à venti turbine & fragore terribili possent euadere, nisi qui in Hypogæis specubus latitarent, huic adstipulabantur opinioni plures Astronomiæ periti. Quæquidem opinio multorum animos, etiam sapientium pauore concusserat, sed quam vanum falsumq; id fuerit, euentus probauit. Henricus, Frederici Augusti filius, Regno Italiæ à patre præfectus, Constantiam Rogeri quondam Regis Sciciliæ * sororem ducit in coniugem. Inter ipsum, & Vrbanum papam, per eosdem dies grauis simultas incanduit, adeo vt Papæ Veronæ moranti, quoquam prodeundi facultatem præcluderet, & ipsum adeuntium præpediret itinera multasque iniurias irrogaret. Philippi Regis soror in Hungariam ducitur, Regi Hungariæ desponsanda. Eodem an. Petrus Clarçuallensis abbas, vir sanctitatis opinione celebris, dormiuit in Christo. Balduinus Hierosolymorum rex adhuc puerulus obijt. Post eum Guido Ioppensis Comes, qui iam dicti regis matrem habebat in coniugem sublimatur in regem. Quodquidem valde displicuit Tripolitano Comiti, ac per hoc infensus cœpit tam regi quam regis fautoribus aduersari. Per hos dies venit ex Calabriæ partibus ad Vrbanum Papam Veronæ morantem, quidam Abbas nomine Ioachim de quo ferebant, quia cum prius non plurimum didicisset, diuinitus accepit intelligentiæ donum, adeo vt facunde diserteque enodaret difficultates quaslibet scripturarum. Hic itaque dicebat, quædam Apocalipsis misteria hactenus latuisse, sed modo per eum clarescere in spiritu prophetiæ, sicut ex opusculo quod scripsit, legentibus liquet: Dicit enim quia sicut scripturæ veteris testamenti, quinque ætatum seculi ab Adam vsq; ad Christum decursarum, historiam continent, sic liber Apocalipsis ætatis sextæ à Christo inchoatæ cursum exponit, ipsamq; ætatem sextam, in sex ætatulas dispartitam, earumq; singulas, singulis huius libri periodis satis congrue designatas. Dicit quoq; hæc reuelata fuisse in fine ætatulæ quintæ, atque in proximo succedere sextam, in qua tribulationes varias, multiplicesq; pressuras perhibet emersuras, sicut in apertione sigilli & in sexta libri periodo, vbi de ruina Babylonis agitur, patenter ostenditur. Id vero in libello eius præ cæteris notabile ac suspectum habetur, quod mundi definit terminum, & infra duas generationes quæ iuxta ipsum annos faciunt 60, arbitratur implendum quicquid de Antechristo legitur euenturum. Dicat quisque quod senserit, nos tutius iudicamus, non discutere, quam arguere quod nescimus, & rei nobis incertæ præsagium

Vergiacum obsidione liberatur.

** al. Filiam*

Petrus Claraual. Abbas e vita migrat.

Ioachim abbas infusa cœlitus scietia scripturæ nodos dissoluit.

Eius opusculum.

gium iudicio relinquere posterorum. Anno Domini. 1187. Tribulationum & casuum accidit multa varietas, regione transmarina per comitem Tripolitanum turbata, cum ad eius colloquium vt de pace agerent, magistri Templariorum & Hospitaliorum non procul à Nazareth conuenirent, nuntiatum est adesse Turcos, dolo vt aiunt præfati comitis euocatos. In Cal. itaq; Maij nostri cum Turcis congressi sunt, vbi Rogerus magister Hospitalis, vir moribus, & prudentia clarus occubuit & nonvlli ex Templarijs cum alijs multis vel occisi vel capti sunt. Margaritus dux classis regis Scicilliæ vir in mari experientissimus, ex sagacitatis audaciæque merito, de statu humili in sublimen prouectus contra imperatorem Constantinopolitanum potenter agit, & aliquantas eius insulas vastat & occupat. Hisdem diebus turbatur Gallia, Francorum & Anglorum regibus graui dissensione permotis, & exercitu perinde infinito ac valido in Bituria circumquaq; contracto. Philippus rex Castrum Exoldunum diripit, & castra constituit non procul a castro Radulphi, in quo tunc aderant Henricus rex eiusque filius comes Richardus, habentes & ipsi acies numerosas, & inualescente dissidio, dum expectatur vtrimq; conflictus, pax subito reformata, vtrasque acies disgregauit. Vno eodemq; tempore dum hæc aguntur in Gallijs, agitur & lamentabilis perturbatio in partibus transmarinis. Saladinus enim innumera gentium multitudine aggregata, galilæam ingreditur, Tyberiadem obsidet, obsidionis fama circumuolat, Guido rex, Templarij & Hospitalarij, nonulliq, episcopi ac totius prouinciæ proceres, populusque in vnum conueniunt, hostibusq; concurrunt, hostes obsidionem deserunt, & ad fontes, quatuor miliarijs circa Tyberiadem castra ponunt. Septimo igitur Non. Iunij, nostri progrediuntur in bellum, acerrimeq; concertant, diu pugnatum est, prælium nox diremit, ea die nostri gessere fortius, nisi quod aquam præoccupatam ab hostibus perdiderunt. Diurno proinde conflictu, æstuque ac siti confecti laborabant, eo quod aquam non haberent. Mane hostes se præparant, nec dum se nostri armauerant, cum eos vident irrumpere & congredi iam paratos. Ad arma concurritur, principes & primi exercitus ad regem conuolant, & quid facto opus sit in commune deliberant. Rex quemdam de numero equitum Ioannem nomine qui cum Turcis sæpius militauerat, & eorum omnia nouerat, præcipit accersiri, & disquiri ab eo, quid in instanti negotio sit agendum. Ioannes consulit, vt totis viribus irrumpatur in cuneum illum confertissimum, vbi Saladini vexillum altius eminebat, quia si posset pars illa deuinci, facile profecto obtinerentur & cæteri, placet vniuersis consilium. Comes Tripolitanus improuisus aduenit, is malitia verbisque potens allegat contraria, & quod Ioannes suaserat, penitus dissuadet, dicens ei non esse credendum, qui quandoq; nostros abjurauerit & iurauerit fidelitatem Turcis, rursusq, ruperit iuramentum. Præoccupanda suggerit esse montana, vt inde securius pugnent & hostes validius impetant, consilio vtili dissipato, acquiescitur proditori. In hostes mox irruunt,

Comes Tripolitanus träsmarinä regionem turbat.

Exoldunum castrum diripitur.

Saladin⁹ in Galilæam impetum facit.

Stratagema Ioannis militis.

Comes Tripolitanus Ioannis cōsilium destruit.

ſed proh dolot tam æſtu, quam ſplendore ſolis oppoſito, viſum reuerberante grauati, pilorum hoſtilium imbribus obruuntur. Tripolitanus comes factionis à ſe tractatæ ſignum dat euidens. Nam ptotinus cum ſuis arma proijcit, fugit è prelio, & ad caſtrum quod dicitur Saphetum ſecedit, fit noſtrorum interim mirabilis ſtrages, & vſq; ad internecionem cæduntur. Aconenſis præſul dum Crucem Domini ferret, lætaliter vulneratus, tradit eam alteri, & ille regi, bello vndique vehementius perurgente, rex capitur, Crux Domini aſportatur. Raro vnquam noſtris temporibus, vllo in prælio tantum ſanguinis fuſum eſt. Totius tunc terræ concidere vires, Templarijquippe & Hoſpitalariproceresq; & viri fortiores vel trucidati vel capti ſunt, ſic meritis ſuijs exigentibus, noſtri traditi ſunt in manus gentium, & gentibus ſubjugati. Nimis enim in varios luxus effluxerant & clerus & populus, totaque terra illa facinoribus & flagitijs ſordeſcebat. Sed & qui religionis habitum præferebant, regularis moderationis turpiter fines exceſſerant. Rarus in monaſterijs, rarus in ſeculo, quem non vel auaritiæ, vel luxuriæ morbus inficeret. Porro Saladinus celebri habito de noſtris trophæo, ad pontem Tyberiadis redit, ibiq; manubias præcipit diuidi, & meliora quæque Damaſcum deferri. Quotquot ex Templarijs vel Hoſpitalarijs reperti ſunt, præſentiæ victoris oblati, ipſo iubente omnes pariter decollantur. Guido rex in monumentum victoriæ reſeruatur, ſolo magiſtro Templariorum ad ſuam ei petitionem conceſſo. Tunc & princeps Rainaudus ante Saladinum adductus eſt, is poſt Rainaudum Antiochiæ princeps, dehinc à Turcis captus & per an. 16. in captiuitate detentus, multa poſtmodum pro eo taxata pecunia relaxatus, tenebat tunc Ebron & eam quæ eſt trans mare mortuum regionem vbi eſt mons regalis & ciuitas quæ nunc dicitur Perracenſis. Erat autem vir conſilij parſimoniæq; & honeſtatis amator, Turcorum impugnator accerrimus, & noſtrorum fidiſſimus propugnator, florens quidem in ſeculo, ſed ſeculi ſuiq; contemptor. Id tamen in eo culpabatur à pluribus quod cum inter Chriſtianos & Turcos ſtatuerentur induciæ, ipſe numquam eas voluit cuſtodire, proinde hunc præ cæteris oderat Saladinus, à quo nimirum frequentes graueſq; pertulerat læſiones. Quanta itaque ab eo ſuſtinuiſſet replicans cum eo aliquantum diſceptat, deinde ſuo eum mucrone decollat. His itaque geſtis Aacon vrbem quæ & Tholomais dicitur adit & obſidet, obſeſſam poſt biduum in deditionem recipit: manere volentibus non fuit hoſtilis opreſſio, recedere volentibus data eſt tuta conductio. Id ſane liberalitatem Saladini commendat, quod nullum grauari ſuſtinuit, qui ei vellet ſe ſubdere, & degere ſub tributo, ita vero ſuorum erat tenax dictorum, ſuiq; cuſtos integer iuramenti, vt quidquid iuraſſet, nullatenus pateretur infringi, vir magnanimus, & tanta liberalitate profuſus, vt vix negaret cuiquam, quod petiſſet. Aconenſi itaque vrbe recepta, Turci ad alias vrbes & oppida capienda contendunt, & pauca quidem, immo fere nulla per vim capiunt, plura in deditionem recipiunt, tota quippe

Saphetum caſtrum.

Ingẽs templariorum ſtrages edita.

Totus orbis ſceleribus & flagitijs opertus.

Rainaudus ad conſpectum Saladini adducitur.

Acon ſiue Ptholemais obſidetur.

regio tremebat exterrita, vt pote viris priuata fortibus, & suis tutoribus destituta. Hisdem diebus Conrardus Marchio filius Marchionis de Monte Ferrato, à Constantinopoli tendebat Hierusalem. Is natione Italicus imperatoris Tursach Sororem habens in coniugem, nuper contra quendam de imperiali genere, qui quorundam principum fultus auxilio, imperatorem deponere, & se cupiebat intrudere, strenue pugnauerat, ipsumque peremerat intrusorem. Ob hoc græcorum contra se concitato liuore vt suos interim æmulos declinaret, nauem, socijs armisque & opibus refertam ascendit, cumque appropiante eo Aconensem vrbem, vt moris est in appulsu nauium, nec biremes accurerent, nec cymbala resonarent obstupuit, & comperto quod vrbs teneretur à Turcis, illico cursum reflectens Tyrum applicuit ibique permansit. Comes Tripolitanus illuc tunc venerat, qui videns potentiam Marchionis & quia non fideliter egisset cum nostris, suspectos habens omnes, omnibusque suspectus, ab eodem Marchione & Tyrensibus vix dimissus recessit, Tripolimque deuenit. Et ecce mandat ei per nuncios Saladinus vt pacta quæ sibi iurauerat, iurari faceret & a suis, comes ciuibus conuocatis, quid mandauerit Saladinus exponit, & imperat vt instanter id fiat, dicens cedendum esse tempori, nec posse Saladino resisti. Respondenr ciues iuraturos se nemini, nisi prius formam, modumque audiant iuramenti, instat e contra comes, ciues vsque mane inducias petunt, petitas accipiunt. Ea nocte manus domini super comitem extenta est, eumque digna vltione percussit, quia sui in suo stratu, mane mortuum reppererunt. Res dissimulari non potuit, defuncti corpore nudato inspectoque, patuit quod nuper circuncisionis stigma susceperat, vnde palam fuit, quod se Saladino confœderans, sectam Saracenicam receperat obseruandam. Si quidem Saraceni & Turci ex paterna se traditione circumcidunt. Quorumdam quoque clientum eius confessione detectum est, quod vrbem Turcis tradere decreuerat, habens penes se vexillum Saladini, quod faceret in crastinum propalari, quocirca despectus ab omnibus satis inhonore & abiecte sepultus est. Post eum, Tripolis vrbis dominium, filius principis Antiochiæ de iure obtinuit parentelæ. Ioscius Tyrensis archiepiscopus transfretat, vt orientalem cladem, defectumque christianitatis nunciet principibus occidentis. Interea Conrardus Marchio fortiter agit in Tyro, magnum existens & nostris præsidium & hostibus nocumentum sæpe namque contra hostes terra marique pugnauit, sæpe de ipsis insigniter triumphauit. Eodem anno Philippo regi nascitur filius. Turci Aschalonem petunt, & obsessam, assiduis vrgent assultibus, machinas ad muros applicant & tormenta ad lapides intorquendos. Videntes ciues quia pauci sunt, & quia sibi nec vires ad resistendum, nec victualia in longum suppetunt, vrbem dedunt, concessis sibi, & vita corporum & facultatibus rerum mobilium. Vrbe tradita Saladinus potitus, turres occuppat, deputatque custodes, ciuibus expositis, & quo vellent pergere secure conductis. Facta est Aschalonis præfata

Conrardus marchio.

In aduentu principum rotula pulsari solita.

Comes Tripolitanus repentina morte sublatus.

Aschalo à turcis oppugnatur expugnaturq.

Solis deliquium. deditio, pridie Non. Septemb. Ipſoque die Ecclipſis Solis accidit, ſtellæque in cœlo viſæ ſunt, vt in nocte. Per hos dies latrunculorum Syriæ & eorum qui ſolitudinem inhabitant quos Turcomagnos vocant innumera multitudo, Laodicæam vrbem impetunt & deuaſtant, cum quibus princeps Antiochiæ Raimundus dum incaute congreditur, nonnulli ex ſuis ab hoſtibus perimuntur, deinde vſq; Antiochiam veniunt ipſamque incurſant, & circumiacentem regionem, rapinis, incendijs, cædibus, profligant. Terram quoque illam quæ Nerei mons dicitur, vel nigra montana, terram vtique peramœnam & rerum omnium copia monaſterijſque florentem, prædando pariter & incendendo depaſti ſunt. Cumque largiſſimis onuſti prędis in ſua redirent, Antiocheni & de vicinis locis vndique glomerati, eos ad quaſdam locorum anguſtias pręcurrentes aggreſſi ſunt, & conſerto prœlio ingentem ex eis multitudinem proſtrauerunt, pauci vix fuga elapſi ſunt, captiui eruti, excuſſa præda & de prædonibus inſignis victoria reportata. Interea Ieroſolymitæ & qui de vicinis locis vndiq; hoſtium metu confluxerant, omni ſe ſupplicandi genere affligebant, agebantur ob omnibus creberrimæ litaniæ, confeſſiones, ieiunia, quodq; miſerandum erat, ipſa quoq; paruula ætas, his ſpecialibus exercitijs inſiſtebat. Si quidem in patulo erat ira Domini vehemens & flagellum inundans, cum ſic oſtenderet Dominus populo ſuo dura, & partem terræ quam

Saladinus Ieroſolymã traducit exercitum. tulerat de manu Amorræi, rurſus traderet Amorræo. Aſcalone recepta munitaque Saladinus Hieruſalem properat, vt eam obſideat, arbitrans fore ceſſuros de facili, qui videbant & alios iam ceſſiſſe, ſibique adeſſe pauciſſimos qui defenderent, & innumeros qui defendere non valerent. Venientes itaq; Turci, vrbem a parte occidentali oppugnant, nouemq; diebus, continuos & acerrimos dant aſſultus. Sed ciuibus viriliter obſiſtentibus cum nec ſic proficerent, ab aquilonari parte ſtaſtuunt aſſilire, illic ergo machinis ac tormentis ad ſaxa iaculanda compoſitis inſtantiſſime cœperunt vrgere, & cum tormentis lapides indeſinenter excutere & concutere muros, adeo vt excuſſorum violentia lapidum perfracta rueret pars murorum. Conſiderantes obſeſſi obſeſſoribus non poſſe reſiſti quid agere debeant, in commune pertractant, placuit demum vt inſtanti periculo cederent ſeque dederent Saladino. Res ad Saladinum perlata eſt, placet ei quod expetunt, tali tamen conditione præfixa, vt certæ redemptionis accipiat prætium de capitibus

** al. Aureos.* ſingulorum, hoc eſt ab his qui decem annos & ſupra exceſſerant decem Bizantios * quinq; vero à mulieribus & ab his qui infra decemnium tenebantur. Secundo igitur Octobris die, qui erat ab obſidione 14. feria 6. dedita turris, vrbs patuit, Saladini ſtatim imperio, baſilicarum campanæ malleis ſunt contritæ, quarum tamen metalla in ſuos noluit vſus redigi, ſed ab his quorum erant libere vendicari, ſacra prohdolor loca, debita veneratione fraudata ſunt, in ipſis enim ſtabulauere iumenta & ſordes quaſlibet perpetrarunt. Cæterum eccleſia S. Sepulchri multo auri pretio, redemerunt Suriani, ne pateret gent-

Solyma à Saladino capta. Sacra loca profanata, polluta deturpata.

bus, ne sordibus subiaceret, Templo Domini miram venerationem exhibuere Turci, quod etiam iuxta ritus suos consueuerant antiquitus venerari. Sane antequam vellet illud ingredi Saladinus, iussit parietes intra extraque aqua rosacea dilui, totumque lustrari. Sed & crucem grandem ac deauratam supra pinnam templi celsius eminentem, ignominiose deiecerunt ad terram; & cum clamoso vlulatu per plateas in nostrum opprobrium detraxerunt. Porro à nostris exacta est taxata redemptio, cumq; pauperum ac debilium multa milia essent, qui se redimere non valerent iubente Saladino immunitate donati sunt, adolescentulorum ac mulierum quamplures, quos faciei venustas decorque corporis commendabat, aut apud se retinuerunt, aut alijs distraxerunt. His qui supra muros in cellis reclusi abstinentiæ & orationi vacabant, iussum est vt abirent. Porro infirmis qui seruabantur in hospitali, iussit Saladinus per aliquantum temporis de fisco proprio necessaria ministrari. Audita deditione Hierusalem, multa quoque castra quæ vix ab homine capi possent, si deffensores haberent in deditionem recepta sunt, condixerant enim quia si Hierusalem capta foret, ipsi quoque se dederent, sin autem resisterent quoad possent. Patriarcha Heraclius, clerusque vniuersus & de monasterijs diuersorum ordinum professores, turbaque cuiuslibet ætatis & sexus innumera de Hierusalem recesserunt, alij Antiocham profecti sunt, alij Alexandriam vt inde Siciliam nauigarent, vniuersis pene latinis vrbem linquentibus. Suriani & sectarum homines diuersarum vt pote Georgiani, Iacobitæ, Græci, Armenij, remanserunt ibidem sub Turcorum dominio constituti. Capta est autem Hierusalem post annos 88 ex quo à Turcis eruta & nostris est restituta, quodq; mirandum est tantumdem fere temporis possessa est à nostris, quantum & prius à Turcis, quod facile perpenditur si paulo superius hæc chronica reuoluantur. Illud quoq; admiratione non vacat, quod sicut Vrbani 2 tempore tunc liberata est, ita Vrbano 3. præsulante nunc capta est, vnde versus.

Mahumeticus turcorum ritus.

Egeni nullo soluto precio abire permissi sunt.

Solymorũ deditionẽ pluriũ castrorum deditio sequuta est.

Sublatis annis tredecim de mille ducentis,
Hierusalem capitur, & ea, gens turca potitur.

Transmarinæ calamitatis historia vbi per occidentem insonuit, graui mœroris aculeo corda omnium sauciauit, quia ibi emarcuerit Christiana religio, vbi floruit eius principium, & princeps prouinciarum facta sit sub tributo, accreuit quoque dolori, quod multa illic nefanda patrata sunt, profanatæ basilicæ, loca sacra sordibus ac iumentis exposita, nomen Christi & Christiana religio habita in blasphemiam & contemptum. Vrbanus papa cum tam flebilem rem audisset, nimis indoluit, & ex nimio animi dolore languescens post breue moritur sepeliturq; in vrbe Ferrarias quo nuper aduenerat de Verona. Ferrarienses ciues miram defuncto honorificentiam exhibuere, & septem diebus eius exequias cum immensis luminaribus celebrarunt. Post eum Albertus cancellarius substituitur & Gregorius 8 vocatur vir litteratura facundiaq; clarus, sed puritate vitæ, & animi integritate præcla-

Vrbanus 3. moritur.

Albert' in eius locum subrogatur

rior, suique corporis vehemens castigator. Audita eius promotione lætatus est admodum Fredericus Augustus, eo quod virum discretum & iustitiæ zelatorem cognosceret, sibique beneuolum & omnibus si diu viueret profuturum. Præcepit quoq; principibus & præfectis omnem ei reuerentiam impendere, & transeunti per terram suam de fisco proprio victualia ministrare. Pontificali itaq; dignitate suscepta vir Dei pensare cepit attentius, qualiter labenti rerum statui subueniret. Videbat nempe sui temporis ecclesiam per vitia diffluam & in maligna prolapsam, ambitioneque & auaritia, luxuriaque nec non hæresibus quasi quibusdam pestilentissimis hostibus vineam domini totam fere iam esse depastam. Hoc meditabatur die ac nocte, hæc eius cura, hoc studium vt sui negligens viueret omnibus, vt per eum cooperante Domino facies ecclesiæ marcida refloreret. In primis igitur ad subuentionem Hierusalem totis inhiat animis & ad comitandos principes & populos per occidentis prouincias destinat tam legatos quam literas, qui & cladem orientalem exponant, & pœnitentiarum absolutiones promittant Hierusalem profecturis. Sed proh dolor in suo mox exortu flos decorus exaruit, si quidem post duos menses dum venisset Pisam & inter Pisanos ac Genuenses feraliter antea dissidentes, sopisset discordiam, pacemq; firmasset, instante Natale Domini, rebus humanis eximitur & apud eandem vrbem honorifice sepelitur. Successit ei Paulus episcopus Prænestinus Clementis nomine alteratus. Imperator Constantinopolitanus & rex Siciliæ post longam & grauem vtrimq; profligationem reducuntur ad pacem. An. 1188. Crebrescebat vbiq; rumor lamentabilis de partibus transmarinis & ingemiscebat mundus, pluresque de correctione vitæ attentius cogitabant, plures signo crucis accepto ire Hierusalem proponebant. Philippus rex Franciæ & Henricus rex Angliæ dum pro sedando inter se dissidio ad colloquium veniunt, Tyrensi Archiepiscopo adhortante, signo se crucis insigniunt animum intendentes vt Christi opprobrium vindicent, gentesque debellent. Exemplo regum promoti, idem faciunt & Barones, adjunguntur & eis multa militum milia, turbaque conditionis cuiuslibet infinita. Fredericus quoque imperator eodem peregrinationis voto se alligat & per totum imperium ac fere vbique terrarum, eadem vota & studia efferuescunt. Post hæc regis & procerum consilio agitur, vt ad auxiliandum peregre profecturis hominum ad ecclesias pertinentium mobilia decimentur, quodquidem in grandem perniciem versum est, nam plures ex his qui decimationes exigebant violentius grauabant ecclesias. Exactionibus quoque taillijsque illicitis, minores quique & subditi à maioribus oppressi sunt & exhausti. Ex quo sane peccato creditur accidisse, vt iter propositum impediretur, & dissentiones feruescerent, & male parta in malum effluerent. Dum enim votiuo itineri instanter necessaria præparant, Sathan lætis principijs inuidens serit discordias, & effusa est contentio super principes. Nam inter Philippum regem comitemque Richardum & patrem ipsius recrudescit dissidium quod putabatur so-

Gregorius Pont. e vita migrat.

Philip. & Henr. Fräc. & Angl. reges votiuũ iter ad loca sacra suscipiunt.

Subsidijs grauioribus, populus oppressus.

pitum. Commouentur populi, expeditiones parantur. Philippus rex in Bituria dolense castrum diripit, aliaque plurima aut dedita recipit, aut vi capit. Nulla ei poterat obstare munitio, habebat quippe quosdam artifices quos fossores vel talparios vocant, qui ad modum talpæ subterranea fodientes, quaslibet murorum aut turrum firmitates, ferramentis validissimis perrumpebant. His alijsque machinis omnia de facili obtinebat. Templarij & Hospitalarij virique fortes quam plurimi cum plurimo armorum, equorum & victualium apparatu transfretant vt oppressis succurrant. Guillelmus quoque rex Siciliæ per Margaritum classis suæ ducem iter marinum liberum a piratis tutumque reddiderat, & tam subuectionibus nauium, quam rerum quarumlibet copia nostris trans mare satis munifice succurrebat. Ipso anno nimius æstus incanduit & siccitas fuit insolita, adeo vt per loca pleraque, & fluuij & fontes & putei siccarentur. Plurimæ quoque ignium clades per Gallias acciderunt, quæ plurimas vrbes & oppida plurimum attriuerunt: inter quas Antissiodori pars maxima, tam diuitijs quam ædificijs amplior atque insignior in vigilia S. Mariæ Magdalenæ, subita incensione consumpta est. In crastinum eiusdem festi, Trecæ ciuitas populosa, referta opibus tectis amplissima, repentina conflagratione fere funditus est euersa. Celebrabantur ibi tunc nundinæ, in quibus diuersas congesserant opes, qui de diuersis partibus confluxerant institores. Ita vero de nocte subitum emersit & inualuit vorax incendium, & circumquaque ventorum turbine raptabatur, vt dum volunt vnusquisque vel sua vel aliena eripere, aut eos interciperet flamma, aut quæ eruare voluerant, desererent exurenda. Facta est perinde inestimabilis rerum deperitio, & periere quam plurimi medijs ignibus intercepti. Episcopalis ecclesia regulis plumbeis decenter operta, illo tunc incendio conflagrauit. Necnon & S. Stephani basilica quam Henricus comes fundarat, & dotarat reditibus, aurique & argenti & ornamentorum varia suppellectile adornarat, perijt & cum ea tota illa ornamentorum insignium congesta varietas. Hisdem diebus Pruuignum, Beluacus & Pictauis, nec longe post Carnotum, vrbes populosæ opulentæque, vastis correptæ sunt ignibus & afflictæ. Sed & per hos dies multis in locis emergentibus repente incendijs, occulto Dei iudicio accidit rerum infinita vastatio. Saladinus vrbes & oppida quæ de manu nostrorum receperat, multis reparat & roborat munimentis, inter quæ Acon & muris maxime virisque præmunit: munitiones paucas quas adhuc nostri tenebant impugnat, & præcipue Tyrum expugnare contendit, sed cum damno suorum, sæpe victus & confusus abscedit. An. 1189 ingens fit motio, & de diuersis partibus per mare, per terras, partes adeunt transmarinas. Rauennensis & Pisanus Archipræsules, cum multo de Italia agmine tranfretantes, appulsi Tyrum, Tyrensibus fuerunt non modicum adiumentum. Fredericus imperator cum vno ex filijs suis duce Suauiæ, in festo S. Georgij, peregrinationis iter suscipit, imperij sui fines egreditur, comitante pariter multitudine infinita rerum omnium

Dolense castrum direptum.

Crebris incendijs deformata Gallia.

Antissiodorum fere ma pene deletum.

Tota ciuitas Tricassina propemodũ incendio correpta.

S. Petri nec non S. Stephani Trecens. Ecclesiæ igne prorsus cõsumptæ.

Vrbes plurimæ flammis ambustæ & exustæ.

apparatibus affluenter instructa. Intrans Hungariam à rege Hungariæ veneranter excipitur & magnifice muneratur. Dehinc transito Danubio, per Bulgariam tendit in Thraciam Sed cum ei græcorum imperator negaret transitum, vias obstrueret, diuertit in græciam, & græciæ partem occupans, per aliquantum temporis inibi demoratur. De Frisia & Dacia 50 naues pariter fœderatæ, eandem peregrinationem, arripiunt, de Flandrijs quoq; 37. rates cum grandi apparatu sequutæ sunt, & dum per Hispanias transeunt, quandam Saracenorum vrbem nomine Siluiam obsident & post 40. dies captam diripiunt. Nulli ætati parcitur, sexus vterque pariter trucidatur. Plurimum in ea opum & ornamentorum repertum est, & inter eos æqua distributione partitum. Regi de Portugal vrbem reliquere tenendam. Alia quoque Saracenorum oppida ab eis direpta sunt. De Francia & de Campania viri illustres & militiæ titulis gloriosi, eunt Hierusalem. Interim inter regem Philippum, & regem Angliæ feruescente dissidio, plurima fit castrorum vrbiumque direptio. Turonis vrbs capitur, Cenomanis vrbs opulenta amplaque & ipsa capta diripitur. Post hæc inter reges pax redditur, & paulo post defungitur Rex Henricus, nimio vt aiunt absorptus dolore, quia videret se & à rege Franciæ sic oppressum, & à suo quoque filio qui ad regem Franciæ confugerat derelictum. Sepultus est in cœnobio virginum quod fons Ebraldi dicitur, multis à se reditibus & muneribus ampliatum. Regnauit autem an. 36. vir prudentia gestisque famosus, lætis florens successibus, & qui tyrannos semper oppresserit, foueritque subiectos, perpetua dignus memoria, nisi quod S. Thomæ aduersatus est: in cuius vindictam sanguinis vt creditur à filijs imperitus, domestica diu clade non caruit. Successit ei Richardus filius eius & apud Londoniam coronatur in regem. Per eosdem dies nostri qui trãsfretauerant, cum multa milia apud Tyrum existerent, Accon vrbem petunt & obsident. Et ecce Saladinus cum multis milibus accurrit vt obsessis succurrat, & imperat obsessores. Cumque nostri hostium assultus assiduos ferre non possent, valla & aggeres in gyro castrorum extruunt, & sic tutiores existunt. Post hæc pugnam acerrimam cum hostibus conserunt, multique nostrorum occumbunt. Multis itaque diebus in Ptholomaidis obsidione morantes, multas patiuntur calamitates vel per incursus hostium, vel per aeris inclementiam, vel per victualium indigentiam. Si quidem & à facie & à tergo hostilis imminebat obsidio, & aeris intemperies tanta fuit, & inundatio pluuiarum vt præ nimia humectatione corrupta cibaria deperirent & innumeri morbo dissenterico laborantes obirent. Miranda proinde ac perpetuo memoranda virorum illorum constantia, quæ tot malis obsita, non defecit sed permansit infracta. Ipso anno rex Siciliæ moritur cuius mors vniuersis intulit inestimabile detrimentum. Nam cum non haberet hæredem, Henricus Frederici imperatoris filius dicebat se debere fieri successorem, & pacto promissionis & iure propinquitatis, quia Constantiam regis quondam Siciliæ Rogeri sororem duxisset in

Truculenta strages

Turonensis Cænomanensisq; ciuitates expugnantur diripiunturq;

Henricus rex Angliæ diem obit vltimum.

Ptholomais diuturna obsidione impugnatur.

coni ugem

coniugem. At Siculi regni proceres, inito simul consilio, Tancredum virum illustrem substituerunt in regem. Grandis igitur fit vtrimq; turbatio & alijs insistere, alijs resistere parantibus, concutiuntur prouinciæ & in primis maxime Campania & Apulia profligantur. Anno domini 1190. Philippus rex Franciæ & Richardus rex Angliæ cum infinito agmine & incredibili apparatu & fere vniuersi proceres, Odo dux Burgundiæ, Philippus comes Flandriæ, Henricus Campaniæ, Theobaldus Blesensis, Stephanus Sacricæsaris, sed & Archiepiscopi Episcopique quam plurimi, & qui alicuius in militia nominis habebantur, diuerso quidem tempore sed eodem anno peregrinationis iter arripiunt. Tantam aliquando populorum motionem fuisse ætas vlla non meminit, nulla recenset historia, diuersos itaque adeunt portus nauesque conscendunt. Mare tunc solito procellosius tumescebat, nauium proinde aliæ per multa pericula transfretant, aliæ ad littora vi ventorum repulsæ, aliquantæ quoque naufragantes submersæ sunt. Philippus & Richardus reges Messanam Sciciliæ vrbem vix tandem appulsi sunt, nec progredi valentes, ibidem hyemarunt. Venit ad eos Abbas Ioachim de suo euocatus monasterio in Calabria constituto, qui ab eis de futuris sciscitatus respondit, quod mare transituri forent, sed aut nihil aut parum proficerent, nec dumq; adesse tempora quibus liberanda foret Hierusalem & regio transmarina. Ipso anno Fredericus imperator cum imperatore Græcorum Turlach qualicunq; pace composita Bosforo transito perambulans Asiam multa suorum damna perpetitur, vel per assultus hostium vel penuriam victualium, nam Soldanus Iconij sua eum circumuenit astutia, qui forum venalium ei se promiserat paraturum. Ob hoc eundem Soldanum persequens, vsque ad Iconium potenter accessit & circumiacentia quæque succendit. Dehinc cum ad quasdam locorum venisset angustias, reperit Turcorum multitudinem infinitam, cum quibus congrediens eos viriliter debellauit. Habito de hostibus insigni thropheo, dum quendam fluuium transit, demergitur vix extractus paulo post moritur. Moritur autem anno imperij sui 38 vir quidem magnanimus gestisq; præclarus ac sibi rebellium fortis edomitor, & qui adeo imperium dilatarit, vt post Carolum magnum, gestorum magnificentia vix parem habuerit. Exercitus eius Antiochiam veniunt vbi dum fessa reficiunt corpora & infrunite epulis se distendunt, tanti ex eis ægrotant & obeunt, vt de tanto exercitu, vix pauca milia remanerent. Imperatoris filius corpus patris Tyrum vsq; detulit, quo ibidem sepulto, cum ad Ptholemaidis obsidionem venisset, paulo post obijt. Obeunt & Comes Flandriæ, Theobaldus Blesensis, Stephanus Sacricæsaris, procerumq; ac nobilium turba quam plurima de diuersis mundi partibus aggregata. An. Domini 1191. Clemens papa moritur, cui Iacinthus diaconus Cardinalis vir grandæuus ac generosus substituitur, Cælestinusq; vocatur, qui ipso die Paschæ pontificalem consecrationem accepit, & in crastino Henricum Frederici imperatoris filium imperiali corona insigniuit. Philip-

Principes plurimi cruce signãtur & trãsmarinum iter arripiunt.

Ioachimus Abbas futurorum præscius.

Frederici laus eximia

Principũ obitus.

Clementis papæ obitus cui Cælestinus successit

pus & Richardus reges mare intrãt,sed Philippus directo itinere Ptholomaidem appulit & cum inestimabili veneratione susceptus est. Richardus vero cum suis galeis & ratibus Cyprum venit inueniensque quemdam pseudoimperatorem Insulæ dominantem, ipsum cœpit, sibiq; Insulam subjugauit, eum interim Philippus ad expugnandam Accon expectabat, condixerant enim quod non nisi pariter expugnarent.

Cyprus expugnatur. Igitur cum venisset, primo fossata implere ac coæquare contendunt, sed cum a Philippo Richardus sæpius dissentiret, & in perurgendis assultibus minus fideliter ac dissimulanter ageret, Philippus tamen vehementissime insistebat petratias faciens adhiberi quam plurimas, quibus nocte dieque incessanter iactantibus, murorum pars crebris ictibus concussa perfringitur. Turris quoq; mirabilis firmitatis, fossoribus cuniculos subter agentibus conquassatur, hostes vehementer arctati cum nullam sibi viderent adesse potentiam resistendi, regis colloquium expetunt vrbemque & sua pariter seque dedunt. *Accon recepta.* Accon igitur 3. Id. Iulij à nostris recepta est, post decursum fere biennium ex quo cœperat obsideri. Porro Turci intra vrbem reperti, cum pacta quæ cum rege inierant tenere non possent, alij multo prætio euasere redempti, alij in compedibus ad seruiendum detenti sunt, quin etiam plurimi gladio trucidati. Audita captione præfata timor, & tremor irruit super hostes & Aschalonem aliaque castella quæ de manu nostrorum rapuerant diruunt, vacuaque dimittunt. Eodem anno in episcopatu Parisiensi apud Castrum Pontisaram sacerdos quidam VVilelmus *Vilelm' sacerdos fato fungitur.* nomine dum litanias quæ sunt ante Ascensionem Domini cum populo ageret, subita ægritudine tactus defungitur. De hoc ferunt quod miræ fuerit charitatis in pauperes viduasque & orphanos vitiorumq; vehemens insectator ac diuini officij vigilantissimus prosecutor, & licet in seculo degens sed seculum omnino postponens, qui quam pure, quam accepte Deo seruierit patet ex frequentium ostentione signorum, quibus mirificat Dominus sanctum suum. Per hos dies Romæ *Benedictus scelerũ quæ Romæ grassabantur impetum comprimit* quidam nomine Benedictus, vir in rebus seculi experientissimus, cum videret vrbem rapinis & furtis & cædibus diuersisque iniurijs expositam, primo sibi paucorum animos conciliat, dehinc pluribus aggregatis eligitur, vt totius vrbis obtineat potentatum. Cœpit itaque in malefactores districtus vltor existere, sibique aduersantes comprimere, sicque in breui malorum violentijs motibusque compressis intra vrbem & circa, tuta omnia efficit & quieta. Philippus rex apparatu suo sub manu ducis Burgundiæ commendato, redit à partibus transmarinis An. Domini 1192. Nostri qui trans mare remanserant parum proficiunt ac demum inter eos & Saladinum vsque in triennium statuuntur induciæ, sic tamen vt Ascalonem, quam nostri cum summo labore & expensis construxerant, rursus diruerent, sicque nobilis ciuitas in vastitatem redacta est. *Conrardus Marchio à sicarijs indignissime trucidatur.* Conrardus Marchio dum in vrbe sua Tyro per plateam ingreditur, à duobus sicarijs quos Assideos vocant cum cultellis occiditur, vnus eorum plagis innumeris in momento expirat, re-

liquus viuus captus incenditur. Odo dux Burgundiæ multique nobiles intra paucos dies obeunt, pauci repatriant. Henricus Comes vxore Marchionis accepta ad principandum eligitur. An. 1193. Richardus rex Angliæ dum per multa naufragia redit, ac per Austriam latenter in patriam suam transire deliberat, a duce Austriæ capitur & imperatori traditur, a quo & per annum in custodia detinetur. Ipso anno Saladinus totius orientis turbo orbisque concussor moritur in Damasco: post quem regno eius filijs dispartito, inter eosdem & Saphadinum Saladini fratrem de regno diutius concertatum est. Philippus rex, Normanniæ fines intrat, Gizortium castrum munitissimum capit, aliaque quamplurima vel vi, vel deditione peruersa aut incendit aut diruit, aut quæ retinere voluit firmius communiuit. Eodem anno sororem regis Danorum apud Ambianis vrbem ducit in coniugem, quæ à Remensi Archiepiscopo vincta est in reginam: Sed miro Dei iudicio vbi eam accepit, sic exosam habuit, vt statim eam relinquere cuperet & de diuortio cogitaret. Benedictus Romæ dum se magnificentius ageret, inuidiam contra se excitat Romanorum, eorumque factione in Capitolio obsidetur & capitur, captusque diu in custodia detinetur. Guido Senonensis Archiepiscopus obit. Per id tempus apud Constantinopolim facta est grauissima rerum discissio, nam cum imperator Tursach fratrem suum in sublime extulisset idem frater in fratrem & dominum insurgens rebellat, ipsumque de fascibus imperij deijciens & excæcans incarcerat & imperium vsurpatum diutina incubatione non tam regit quam lacerat. An. 1194. rex Angliæ infinita exactione redemptus, in regnum suum regreditur. Tancredus rex Sciciliæ, eiusque filius Rogerus iam in regem promotus, intra paucos dies regni simul ac vitæ exitum sortiuntur. Michael Parisiensis Decanus vir honestate vitæ & prærogatiua literaturæ famosus, à Clero transmarinæ Ecclesiæ in Patriarcham eligitur, sed interim dum hanc electionem detrectat suscipere, Senonensi Ecclesiæ in Archiepiscopum promouetur. Imperator Henricus qui ad peruadendam Apuliam, Sciciliamque sæpius aspirarat, audita morte Tancredi regis, terra marique copiosum exercitum destinat susceptusque à principibus regni, regnum vniuersum suæ subiugat ditioni. Carnotum ciuitas populosa ædificijsq; conferta, subita exustione vastatur, illo quoque incendio illa insignis Ecclesia nomine Dei genitricis ornata cum toto claustro conflagrauit & corruit, vbi etiam Reliquiarum & hominum multitudo nec non & ornamentorum congeries inmensa deperijt. Philippus rex nobile castrum Vernulium obsidet & oppugnat nec tamen expugnat, Ebroas vrbem incendit & subruit. Per hos dies 7. Id. Iulij grando cecidit horrenda in modum lapidum, quantitatis non modicæ, quæ in pluribus terrarum locis adeo segetes ac vineta vastauit vt ætas nulla meminerit, tantam tamque diffusam fructuum deperitionem aliquando accidisse per grandinem. Anno 1195. Imperator de Scicilia rediens vxorem filiumque Tancredi regis ac de primoribus regni qui contra se conspirauerant secum abducit, par-

Richardus rex Angliæ captus & in custodia habitus.

Guido Senonensis antistes decedit.

Carnotum repentina conflagratione exuritur.

Grādo ingens labitur.

temque plurimam thesaurorum à Sciciliæ regibus congestorum asportat, coniuge sua cum filio quem nuper ex ea susceperat apud vrbem Panormum derelicta. Ipso anno de orientalibus partibus Saracenorum exercitus infinitus in Hispanias transfretat, & cum rege Toletano habita congressione, confligit & superat, factaque innumerabili strage nostrorum, partem Hispaniæ occupat & rapinis cædibusque profligat. Perlato vbique tam miserando rumore, grauis omnium corda pertulit mæstitudo. Philippus & Richardus reges à pristina interim simultate non quiescunt, sed implacabili odio se inuicem prosequuntur, & maxime in regionum suarum finibus, multas grauesque faciunt direptiones & frequentes incursus. Eodem anno mense Februario ingens aquarum exundatio contigit, & fluuij præter solitum alueos suos egressi, plurima detrimenta, plurimis intulerunt. Per id tempus vehemens fames Gallias atterebat, quæ per quatuor annos continuos ita populos multiplici calamitate confecit, vt multi multis qui antea copijs floruerant, publice mendicarent, nec modo quarumlibet frugum sed & vini & olei & salis rerumque omnium quibus humana fragilitas indiget, grandis indigentia perurgebat. Anno Domini 1196. Imperator Henricus expeditionem parat in Siciliam, & de Alemania infinita virorum milia secum trahit. Per totum imperium ingens fit motio & tam de episcopis quam de principibus in quibus Archiepiscopus Maguntinus & dux Saxoniæ eminebant, Ierosolymitani itineris voto se obligant. Imperator quoque per Apuliæ & Siciliæ littora, tam in nauibus quam victualibus immensum exhibet apparatum & ad regionis transmarinæ libertatem inhianter intendit. An. Domini 1197. Theutonici qui mare transierant dum omnia turbulenter actitant, induciæ quas nostri cum Turcis inierant abrumpunt, vrbemque Beritum oppugnant & capiunt. Turci ob hoc infensi Iaphiam quæ & Iope dicitur repente peruadunt, obtruncant omnes, munitionem loci firmissimam diruunt soloque coæquant. Per eosdem dies Brenensis Comes eiusque fratres, Campaniensium militum fulti auxilio, Comitatum Niuernensem peruagantur, & loca pleraque aut diripiunt aut incendunt, Vizeliacumque cum expugnare non possent, Burgum suppositum domibus confertissimum direptione incendioque deuastant. Ipso anno Imperator dum in Sicilia commoratur quorumdam contra se conspirantium insidijs appetitus sed per fugam elapsus, conspirationis authores horrendo discerpit supplicio. Nec multo post idem apud Messanam moritur anno imperij sui sexto, filio eius admodum paruulo cum matre relicto. Regina Hungariæ Philippi regis Franciæ soror, cum post mortem viri sui multo apparatu partes transmarinas peragrasset, iamque Ptholomaidem appulisset paulo post obijt. In eadem quoque vrbe iisdemque diebus Henricus Comes nepos eius, dum in superiori cœnaculo palatij sui cuidam fenestræ innitendo se applicat, miserabili præcipitio collisus expirat, cuius mater Maria nomine, quæ Comitatum Campaniæ satis strenue viriliterque regebat, cum de morte filij ac sororis suæ reginæ Vngariæ nun-

Recrudescunt simultatum inter Philip. & Richardum vulnera.

Berithum expugnant catholicæ copiæ.

Imperatoris apud Messanam interitus.

cum accepisset nimis indoluit, nec multo post obijt. Theobaldus filius eius egregiæ indolis in Comitatu succedit. Eodem anno Petrus cantor Parisiensis doctor eximius, & tam vita conspicuus quam doctrina, vir iustitiæ ac pietatis amator, quiq; plurimis plurimum profuerat, tam eruditionis verbo quam virtutis exemplo, apud cœnobium quod dicitur longus pons in multa deuotione & sancta confessione migrat e corpore. Cælestinus papa moritur cui succedit Lotharius, Innocentij nomine alteratus. Teuthonici qui transfretauerant, cum grandia se facturos sperarent morte imperatoris audita repatriant. Sicque miro tremendoque Dei iudicio actum est, vt quæq; gentes de diuersis mundi partibus ad liberandam Hierusalem vndecumq; confluxerant vel casibus interirent multimodis, vel inefficaces redirent. Mauricio Parisiensi Episcopo viro grandæuo & magnorum operum patratore defuncto, succedit Odo Bituricensis cantor vir clarus genere & literis, & honestate morum & animi pietate. An. 1198. Inter principes Alemanniæ fit acerba dissentio alijsq; Philippum defuncti imperatoris germanum, alijs Othonem ducis Saxoniæ fratrem, & regis Angliæ ex sorore nepotem sublimare volentibus, regnum illud diu quietum opulentumque varie perturbatur misereq; discerpitur. Per idem tempus sacerdos de Parisiensi Episcopatu, Fulco vir magnæ fidei vitæq; honestæ, celebri opinione clarebat, Is domino inspirante de licentia sui Episcopi, vicinas peragrans regiones, Franciam, Flandriam, Burgundiam perlustrabat, verbum sanæ doctrinæ & veritatis instanter seminans, & duo præcipue crimina vsurarum atque luxuriæ vehementer insectans. Sane verbis eius attestabantur miracula, vt per eum cooperante Domino non modo animabus sed & corporibus influeret medicinam Recalescebat proinde fides in populis & tanquam cœli distillassent à facie Dei ad tempus mota est terra, sicq; afficiebantur erga iam dictum virum vt eum quocunque se verteret, & nimis gratulanter exciperent, & verba eius nimis sitienter haurirent. Currente igitur velociter verbo Dei, multas ex his quæ peccabant publice, multos ex his qui fœnus publicum exercebant, solo verbo conuertit ad Dominum, qui præ multitudine sua censura Ecclesiastica non poterant coerceri. Sed & de hæresi Populicana omnium hæreseon feculentissima, quæ virulentas radices suas late quidem sed latenter, hoc tempore propagarat multi ad fidem conuersi sunt, eorumq; confessione plures ex eadem hæresi sunt detecti. Inter eos Heresiarcha Terricus magnus diaboli laqueus qui apud Corbiniacum in specu subterraneo diu latuerat, pluresque subuerterat, tunc productus è latebris, & conuictus, incensus est. Apud vrbem quoq; Niuernis Abbas S. Martini & Decanus maioris Ecclesiæ de hoc pestilentissimo errore notati, Episcoporum sistuntur concilio Senonis conuocato, ibique Abbas deponitur. Decanus suspenditur, & sic ad Sedem Apostolicam destinantur. Apud vicum quoque qui dicitur Charitas, quidam viri prædiuites hæresis prædictæ notabiles, cum se absentassent die quo citati fuerant vt ab hac infamia se purgarent, ab

Petrus cantor Paris. obit.

Cælestino substituitur Innocentius Pontifex.

Hanc Odonis electionem celebrat Petrus Blesensis Epist. 126.

Fulco Parisi. sacerdos nominis celebritate conspicuus claret.

Terric⁹ hæresiarcha dæmonis illaqueum.

Mirũ fulconis in ferendis virtutibus studium.

Ecclesia sunt præcisi, & expositi publicæ potestati. Per hos prætereà dies Iudæi graui direptione & afflictione vexati sunt, nam cum vir Domini Fulco ad extirpationem vitiorum insertionemque virtutum totus insisteret, & vsurarios penitus abhorreret, Iudæos detestabatur omni modo, quia plerosque nostrorum infinitis & grauibus attenuassent vsuris. Ipsius proinde instantia & feruenti instinctu Episcoporumq; annisu res eo vsque deducta est, vt omnium debitorum quæ Iudæis debebantur dimitteretur dimidium & dimidium statutis terminis solueretur. Sed & aliqui de Baronibus eos de terra sibi subdita expellere curauerunt, qui tamen expulsi à rege recepti sunt & retenti, quodquidem famæ regis non modicum derogauit, dum eos quosiampridem expulerat, iterum receprauit. Eodem anno prędictus Fulco, Crucis sibi signum affigit & instanti prædicatione populos ad transmarinam profectionem asciscit. Nec modo per prædictũ Fulconem in tanta erat magnificentia verbum Dei, sed & quidam alij, dum prædicationis instarent officio, desideratissime concurrebat ad auditum verbi populi multitudo. Verum non diu perstitit illa feruens audiendi frequentia, sed processu temporis cito deferbuit, & multi qui à vitijs resilire iam cœperant, in eadem sunt relapsi. Ipso anno mense Iunio Cometes apparuit, radios dirigens versus Normanniam. An. 1199. Richardus rex Angliæ dum castrum quoddam vicecomitis Lemouicensis oppugnat sagitta transfigitur, nec longe post moritur, vir quidem animosus ac bellicosus, & armis strenuissimus & in militari negotio circunspectus, a militibus vero valde dilectus, verum nimis in flagitia lubricus & qui vix vnquam cum finitimis & principibus pacem habuerit maximeque aduersus regem Franciæ factiosus extiterit, ac per hoc totum fere principatus sui tempus duxerit bellis turbidum, laboribus inquietum. Successit ei Ioannes frater eius, iuuenis quidem remissioris animi amansque quietis ac per hoc cum rege Franciæ pacem quamtocyius studuit reformare. Michael Senonensis Archiepiscopus obit. Post quem Hugo Antissiodorensis Episcopus, & genere & litteris & facundia clarus, à clero eligitur: Sed pro eo nuntijs Romam missis, electioni præfatæ, D. Papa noluit consentire.

Richardus rex Angliæ iaculo confossus occumbit.

Hic deficit exemplar Pontiniacense. Quæ autem sequuntur, ex alio exemplari eiusdem Chronici Bibliothecæ D. Pa. Petauij curiæ Parisiensis Senatoris clariss. adiecta sunt.

Mysteriorũ diuinorum intermißio in Gallia.

Anno Domini 1200 erat in toto regno lugubris Ecclesiæ facies quia nulla celebrabantur in Ecclesijs Sacramenta vel diuina officia præter viaticum & baptisma. Nec modo in Ecclesijs, sed & monasterijs cessatum est à diuinis, negabatur mortuis sepultura. Erat igitur vbique per regnum mœsticia circunfusa, cum hic Ecclesiæ silerent organa, & ora canentium Dominum clauderentur. Octauianus Ostiensis Episcopus à Domino papa legatur in Franciam, regnum absoluit, Regem ad hoc inducit, vt Reginam quam expulerat, in regnum reducat, non tamen cum debito honore susceptam, nec thoro redditam maritali. Idem

Interdicti absolutio.

præterea Legatus, Petrum de Corboilo qui litteraturæ ſecularis & theologicæ prærogatiua famoſus, in ſcolarum regimine Pariſijs diu claruerat, & de cathedra magiſtrali, ad Cameracenſis Eccleſiæ cathedram nuper aſſumptus fuerat, tam de aſſenſu regis, quam D. Papæ clero licet (præter paucos) inuito, in Senonenſem Eccleſiam intronizat. Anno Domini 1201. Theobaldus Campaniæ Comes moriens grauem pluribus ingerit luctum, tum quia indolem præferebat egregiam, tum quia cruce ſignatis Ieroſolymitano ſperabatur itineri pro futurus. Hic regis Nauarræ ſororem nuper acceperat in vxorem. Quæ geminam ex eo ſuſceptam peperit ſobolem, alteram viuente viro, alteram iam defuncto. Philippus & Ioannes reges, habito inter ſe colloquio confœderantur adinuicem. Ioannes rex Pariſius vrbem quidem egregiam ob dignitatis regiæ ſedem, ſed doctorum in omni ſcientia præeminentium frequentia, plus inſignem venit, & à rege cum ingenti honore atque tripudio; clero ſimul ac populo ſolemniter accurrente exceptus eſt. Euraudus miles quem Henricus Niuernenſis comes, terræ ſuæ præfecerat, vir in rebus ſeculi verſutus admodum, oppreſſorq; minorum, hæreſis illius quam Bulgarorum vocant, coram Legato arguitur, & dies ei præfigitur de obiecta hæreſi publice ſe purgandi. Legatus concilium Pariſius conuocat, in quo aſſidentibus cum legato Archiepiſcopis & Epiſcopis regni Pariſienſibuſq; magiſtris, Euuradus ſtatuitur, & multis contra eum teſtimonijs teſtibuſq; productis, maximeq; Hugone Altiſſiodorenſi præſule vrgentius inſiſtente, hæreticus eſſe conuincitur, & expleta diffinitione iudicij puniendus traditur poteſtati. Attamen vt diſpenſationis ſuæ redderet rationem redditur interim comiti Niuernenſi. Dehinc Niuernis adducitur, & in conſpectu omnium quibus ob illata grauamina exoſum ſe fecerat flammis exuritur. Per idem tempus Galterus Brenenſis comes romam adierat hac de cauſa. Vxor Tancredi regis quondam Siciliæ, ab imperatore Henrico Siciliam obtinente captiuata cum liberis, diuque detenta. tandem caſu cum filiabus euadens, ad præfatum comitem ſe ſe contulerat eiq; ſuam filiam deſponſarat. Quo circa idem comes ſocijs quos potuit aggregatis, vt ſponſæ ſuæ hæreditaria iura requireret, Romam profectus, a Domino Papa veneranter exceptus eſt. Cuius auxilio præmunitus, parte ſibi campaniæ tradita, cum Tibodo tyranno congreditur ipſumque cum ſuo exercitu fugat, perſequitur & expugnat. Secunda demum congreſſione ante * Barolum inſigne Apuliæ oppidum eiuſdem tyranni exercitum vſq; in internecionem concidit. Ipſo cum paucis profugo & in quadam munitione recluſo. Caſtra deinde diripit, multiplici opulentia variaque ſupellectile cumulata, manubias reperit infinitas quibus idem tyrannus iam per aliquot annos prædis & rapinis inſiſtens, circumiacentes exhauſerat regiones. Hac igitur potiti victoria, ditantur omnes comes in ſublime euehitur, atq; in breui lætis ſucceſſibus maximam regionis partem Tibodi ereptam tyrannidi ſuæ ſubiugat ditioni. Pellex illa quam Philippus rex ſuperduxerat moritur, nec

Theobaldi Campa. comitis præmaturus obitus.

Lutetiæ elogium.

Euraudus heretica prauitate infectus.

Conuictus Eurandus flammis addicitur

Galterus comes Brenenſis.

Tibodus à Galtero ſuſus pr. ſugatuſq.

**Barletam.*

Comes in priſtinum ſtatum re-

[...] sunitur.

tamen adhuc vxor legitima in gratiam reuocatur. Annus Domini 1201 nimis est pestilens, & redundans grauibus infortunijs casibusq; sinistris.

Pestilentia grauissima.

Toto fere orbe ingruit fames grauis, totamq; Italiam & Hispanias, Galliasque profligat, in quibusdam tamen partibus minus, in quibusdam amplius ingrauescens. Per idem tempus cum inter

Dissidium inter Galliæ & Angliæ reges.

Franciæ & Angliæ reges, crederentur res esse quietæ, subito quibusdam de causis dirupta pax deficit, & vetus illud dissidium recrudescit. Paratis itaque expeditionibus Philippus rex Regis Angliæ terram aggreditur, munitionum quas capit, quasdam funditus diruit, quasdam detinet & communit. Gornacum castrum situ loci stagnisque cingentibus munitissimum, facta prius diruptione stagnorum peruadit & diripit. Arcas identidem castrum firmissimum obsidet, nec obtinet. Normanniam peruagatur, prædis & incendijs circumquaque depopulans vniuersa.

Fulco de Nulkio obit, tuba belli illius sacri, cuius historiam captique a Francis Byzantij, nobilis Gallus Gaufridus Dominus de Villa-harduini, id vici nomen est 5 leucis ab vrbe Tricass. remoti, vir fortissimus qui rebus præclare gestis interfuit, patrio sermone conscripsit.

In ipso anno mense Maio, Fulco ille celeberrimus qui per diuersas prouincias prædicando, populos concitauerat, & in quo tanquam viro magnanimo ac fideli, fiduciæ plurimum habebant quam plurimi, cum votiuo itineri necessaria præparasset, ægritudine correptus, in villa sua Nulliaco, vbi capellani officio fungebatur, defungitur. Ea sane quæ de fidelium elemosynis collegerat moriens disposuit peregre proficiscentibus dilargiri. Hisdem diebus innumera populorum milia prædicti Fulconis instantia iam annis aliquot per Gallias concitata Ierosolymitanum iter arripiunt, tantaq; fuit peregrinantium numerositas, vt non solum præcedentibus expeditionibus æquari potuerit, sed præferri. De Flandriis siquidem 60 rates mediæ quantitatis quas illi Nacas vocant necessarijs omnibus præmunitæ mare ingressæ sunt, & toto æstiuo tempore, aurarum intemperie per fretum quod Hispanias Africamq; disterminat circumactæ, post longos tamen circuitus exceptis paucis Massiliensi portui appulerunt, progredi vlterius non valentes. Ludouicus Theobaldi comitis filius comes Blesensis, & Balduinus comes Flandrensis proceresq; nonnulli magni inter suos nominis & amplæ potestatis cum inestimabili vulgarium multitudine pariter comitante, Venetias petunt vt transeant Sed dum libere transituros se putant, quædam inter ipsos & Venetos emergunt causæ, quibus transitus impeditur. Ob hoc interim peregrini multas patiuntur molestias, alijq; redeunt, alij obeunt, alij dum morantur sua prorsus expendunt, eo quod vehemens ingrueret inopia victualium, quæ non modo Italiam, & occidentales prouincias, sed & partes premeret transmarinas. Sed & alii quoque innumerabiles qui Massiliensem portum adierant, vel per multa discrimina transfretant, vel aduersis casibus detinentur. Vnde patet quanta sit abyssus diuini consilii qua disponente, expeditiones hæ tantæ sicut & aliæ præcedentes tam multiplici impedimento præuentæ sunt, vt sibi cuncta in contrarium cederent, nihil ad votum. Veruntamen nulli ambigendum est Christiano, quin plurimum profuerit fidelibus, peregrinatio tam fideliter suscepta pro Christo, quia & si negotium quod intendebant effectu

fectu

fectu caruit, fidei tamen intentio præmio non carebit. Nec modo in occidente, sed & in oriente super nostros effusa est indignatio Domini, & manus eius solito grauius est extenta.

Grauis dei ira orientalibus & occidentalibus incubuit.

Per eosdem namque dies cladibus insolitis & flagellis grauissimis, regio transmarina supra modum afflicta est. Mense Maio 20 die mensis, tribus diebus ante Ascensionem Dominicam, circa diei crepusculum, audita est vox terribilis de cœlo, & mugitus horribilis de terra & terræmotus facti sunt tam horrendi, tam graues, vt Aconensis vrbis partem maximam, in muris & in domibus, ipsumq; regis palatium ad terram deiecerint, & populum innumerabilem occupatum prostrauerint.

Tyri omnimoda pene vastatio.

Porro Tyrus ciuitas & antiquitate originis, & fortunæ varietate insignis, qua etiam in partibus illis nulla tutior, nulla munitior, flebili stupendaque ruina, fere funditus est subuersa. Nam omnes turres, exceptis tribus corruerunt, murique tam alti quam solidi præter antemuralia quædam quæ barbacanas vocant, vel cassaturis debilitati vel penitus sunt deiecti.

Vrbes plurimæ diruuntur.

Vniuersæ vero domus & ædificia paucis reseruatis, repente concussa plebem innumerabilem sexus promiscui, miserabiliter oppresserunt. Nusquam sic euidens fuit nusquam sic nocuit, tam in hominibus quam in ædificijs illa repentina subuersio. At vero in finibus Tripolitanis Archas oppidum totius regionis inexpugnabile munimentum, cum turribus & muris, domibusq; ac vitis ad solum vsq; diruptum est. Tripolis quoq; vrbis maxima pars cecidit, & plebem plurimam occupauit. Sed & castri albi maxima pars murorum & turrium in terram prostrata est. Paucæ vrbes in maritima quæ non huius cladis, aliquam senserint læsionem. * Antarados ciuitas quæ & Tortosa dicitur, incolumis & indemnis euasit, in qua primam basilicam S. Dei genitricis ornatam nomine, Petrus Apostolus dum Antiochiam peteret dicitur condidisse.

** Forte Antãdros*

Pestilentia memorabilis.

Sequuta est ex corruptione aëris tanta mortalitas, quod fere tertia pats eorum qui de terræmotu remanserant vel defuncta est, vel longæ ægritudinis lectulum vix euasit. Cladem hanc, clades quoq; alia comitata est, nam cum terræ fructus solito vberiores apparerent, & præ multis annis fertilius pullularent in granis subita cuiusdam immissione nebulæ ita segetes sunt corruptæ quod vix dimidiam partem seminis reddidere.

Guilelmus Rhemens. Archieps repentina morte interceptus.

Guillelmus Remensis Archiepiscopus, cum Laudunum venisset, morbo subitaneo præuentus opprimitur, & occluso linguæ officio moritur intestatus, vir quidem nobilis genere, & qui diu floruerat tam seculari quam Ecclesiastica præditus potestate. Hic in primis sui pontificatus auspicijs, satis modeste se habuit, & morum enituit ornamentis, fœlixque proculdubio extitisset, si primis vltima responderent, & vsq; in finem merita cohæsissent.

Exitus acta probat, finis non pugna coronat.

Sed cum res in contrarium versæ sint, nec fuerit concolor finis initio, & omnis pendeat laus ex fine, finali non attolimus laude, quem nimis reddidere notabilem, & munerum iniusta acceptio, & prodigalis effusio. Ita vt illud ei Claudiani possit non incongruenter aptari

Distantibus idem

Claud. de bello Gild.

Inter se vnijs cinctus, quodcunq; profunda
Traxit auaritia, luxu peiore refudit.

Anno sane recedenti, simili fine decesserat R[illegible]odus nepos eius Cathalaunensis Episcopus iuuenis quidem strenuus, sed sui sanctimoniam negligens officij, & vltra quam deceret vanitati luxus deditus, & actui seculari. His alijsq; exemplis quæ superius liber iste commemorat, profecto liquet vix vnquam eos bono fine concludi, qui cum honoribus Ecclesiasticis sublimentur, ipsa honorum officia negligunt, & Ecclesiasticorum effusione bonorum, fluidas mundi pompas, & palpantes gloriolas aucupantur. His diebus tota Aquitania; graui feruescit dissidio, graui depopulatione vastatur. Nam proceres Aquitani quibusdam iniurijs lacessiti, à Ioanne rege Angliæ cui tenebantur, defecerant, & ad Philippum regem fidelitate pollicita sese contulerant. Arturus quoque adolescens minoris Britanniæ comes Ioannis regis ex fratre Gaufrido nepos, & ipse cum suis adhærebat Philippo, & obnixe contra patruum insurgebat. Graues perinde variæq; perturbationes & direptiones castrorum & vrbium, vtrimq; fiunt. Turonis ciuitas cum castro illo nobili ædificijs diuitijsq, insigni, & quod insignius est, B. Martini reliquijs decoraro, quia in confinio partium vtriusq; regis sita erat, nunc ab his nunc ab illis peruaditur, expoliatur, incenditur, & in solitudinem pene redigitur. Andegauis vrbs perampla opulentaq;, ab exercitu Philippi regis fauentibus vt fertur ciuibus occupatur. Arturus & proceres Aquitani, contra Ioannem regem potenter agunt. Cuius cohortes quas rotario vocant, cum quadam die viriliter debellassent, super recenti certamine fatigatos, improuise rex irruit, eosque superat captosque retentat. Quos tamen datis postmodum obsidibus relaxat Arturo retento, arctiusque recluso. Anno Domini 1203. Andeliacum castrum munitissimum & murorum ambitu, & Sequanæ circumfluxu, Philippus rex subita irruptione obtinet & incendit, quod tamen postea reparat & communit. Castrum quoque vallis Rodolij prævalide circummunitum obsidet & oppugnat, & tandem expugnat, nec non & castrum quod dicitur rigidus pons, multimoda munitione firmatum obsidet, machinisque adhibitis & vrgentissimis coarctatum assultibus demum capit & obtinet. Proceres aquitani Philippo regi confœderati cohortes regis Angliæ quos rotarios vocant, subita circumuentione aggressos debellant, & ex eis vt fertur pene ad duo milia, vel capiunt vel obtruncant, atque ita fit, vt qui sępe diuque de regionibus prędas abegerant, darentur in prædam, eorumque prędatio fieret victoribus copiosa ditatio. Ioannes rex Angliæ minorem Britanniam prędis incendijs cędibusque deuastat. Ipso anno peregrini nostri post multas impeditiones quas in Venetia tulerant, initis quibusdam pactis cum Venetis Iaderam regis Hungariæ vrbem maritimam Venetis inimicam expetunt, obsident, capiunt & excidunt. Inde Constantinopolim adeunt, obtinent, renouantque imperium & sublimant. Quod qualiter gestum fuerit, breuiter explicemus. Cum de fastu imperij flagitiosus

Perditi antistitis & præposteri mores.

Turonensis ciuitatis encomium & incendium.

Andeliacum incendio absumitur.

Ioan. Anglican' rex Britanniæ pernicies.

corruisset Andronicus, eique successisset Tursac quem alij Isachium vocant, idem fratrem suum armis quidem strenuum sed iniquum in tantum extulerat vt non minoris esse potentiæ crederetur quam frater, excepto quod carere videbatur coronæ priuilegio, & solo nomine dignitatis. Hac ergo permotus inuidia, potentioribus regni sibi per munera conciliatis, parricida nequissimus insurgit in fratrem & Dominum, ipsumque de imperio deiectum excęcat ac perpetuo carceri mancipat, sibique imperatoris nomen ignominiose vsurpat: filium quoque eius Alexium iam in imperio sublimatum, pręcepit excęcari, sed ab hoc diuinitus inmunem seruatum, eripuit felix exilium. Is tandem liberatus a vinculis, & elapsus de Græciæ finibus, eo tempore quo peregrini nostri votiuum iter aggressi sunt, quibusdam de nostris in Italia veniens in occursum apparuit. Inde ad sororem suam & sororium suum Philippum, Henrici Imperatotis fratrem in Alemanniam proficiscens, competentes nuntios misit ad nostros in Venetia, qui patris & ipsius causam omnium miseratione dignissimam, lachrymabiliter exponentes multis supplicationibus satagebant inflectere nostros ad condolendum carceri patris, & exilio filij, asserentes quod ipsis assisterent in hoc facto maiores imperij, & regis ciuitatis pars potior, Domini sui reditum suspiraret. Præterea pollicentur qud si Dominus suus optatis successibus potiretur, liberaret eos à debitis 30. milium marcharum argenti, quibus adhuc Venetis tenebantur & præcia nauium restitueret, orientalem quoque Ecclesiam, romanæ Ecclesiæ, tanquam membra capiti subderet & vniret, & ad subuentionem terræ sanctæ totius imperij vires exereret, & sumptus de suo, exercitui procuraret. Attendentes igitur nostri causam iustissimam, & quia inter ipsos plurimi laborantes inopia, terræ sanctæ grauamen essent potius illaturi, quam allaturi subsidium, spondent nuntiis quod exorant. Vocato perinde & adducto apud Iadaram adolescente iamdicto, & super sponsionibus exoluendis, datis & acceptis inuicem sacramentis nostri cum Venetis iter eorum domino prosperante, aura fauente nauigant, & in breui applicant quo tendebant videlicet 6. Cal. Iullij, nullo tamen prout crediderant consilio vel auxilio ab incolis terræ, clam vel palam inuento. Sed nec adueniunt improuisi. Ille namque impius proditor & tyrannus, non solum ex imperij finibus sed ex remotis partibus gentes aggregauerat innumeras cum quibus obseruans littora, parat obsistere ne nostrorum stolus possit littoribus applicare. Ex vna parte ciuitas munitior maior & populosior quam vlla in orbe sit apparebat, ex altera vero armatorum equitum & peditum multitudo aderat infinita. Neutrius dum partis viribus impediti nostri & Veneti per medios fluctus strictioris maris quod Bosforus vel brachium S. Georgij dicitur intrepide nauigant & turrim quæ Galatas vocatur expugnant rumpuntque cathenam, qua fit accessus ad portum, & littoribus occupatis terram circumiacentem vi capiunt, Græcis refugientibus & se se recipientibus intra vrbem. Disponunt præterea, terra marique vrbem obsidione vallare. Sexto igitur

Hæc fuse narrat Ganfridus de Villa-harduini in Gallica historia huius Asiaticæ expeditionis quã auctor chronici sequutus est.

Constantinop. elogiũ

Iulii, adaptatis machinis & bellicis instrumentis, per terram nostri per mare Veneti mœnibus vrbis appropiant, & vrgentissimos dant assultus frequenti & vario interueniente conflictu, nostraque paucitate contra eorum multitudinem semper obtinente victoriam. Ingruit eis interea victualium tanta penuria, quod equorum suorum carnibus vrgente inedia vesci compulsi sunt, & nisi cœlitus adiuti fuissent, obsidionem intra 15. dies protelare nulla ratione valerent. Porro die obsidionis 8 Veneti violenter in vrbem irruunt, ignemque apponunt, & partem vrbis non modicam incendio grassante deuastant. Nostri quoque partem muri ruperant sed non irruperant, cum ecce ille incubator imperij suas ordinat acies, & ad dimicandum contra nostros in campum egreditur habens secum 60. milia equitum & infinitam multitudinem peditum armatorum, é contra nostri licet illorum respectu paucissimi, nam vix plus quam duo milia tunc temporis erant, ad pugnandum parati, quadam tamen diuinitus inspirata securitate confisi, dum ardentibus animis prestolantur congressum, & iam vtreque acies quantum arcus iaceret appropinquassent ad pugnam, tyrannus cum suis, tantam nostrorum admiratus audaciam, diuinitus pauefactus illico refugit, & intra mœnia se recludit. Ea nocte sine vxore & liberis, clam cum paucis aufugit. Quo comperto Græci proceres in palatio congregantur, & accensis luminaribus copiosis, adolescentis exulis solemnis electio celebratur. Mane facto die obsidionis nono, 15. Cal. augusti ciuitas aperitur, prodit in castra inermis græcorum procerum multitudo, suumque cum gaudio quærit electum, restitutam ciuitati asserit libertatem, & regredienti filio ad fasces imperii cum inestimabili lætitia subleuatum de carcere, caput patris Tursac quondam imperatoris ostendunt. Præordinatis igitur que necessaria videbantur, ad Ecclesiam ἁγίας σοφίας Sanctæ Sapientiæ quæ Christus est, cum solemni processione nouus imperator deducitur atque ita tam in Ecclesia patriarchali, quam in imperiali palatio, imperiale sibi restituitur diadema cum plenitudine potestatis. His ita gestis pater & filius, grata cum nostris miscent colloquia, flagitantque vt secum per hyemen demorentur. Quæ promiserat filius accumulanter exoluit restituit prætia nauium, liberat nostros a debitis Venetorum, victualia omnibus ministrat copiose, & sumptibus suis stolum prolongat in annum, ducenta milia marcharum argenti, nostris & Venetis de imperiali munificentia dilargitur, Pacta prius inita de subuentione terræ sanctæ, & de obedientia Romanæ Ecclesiæ exibenda renouat & confirmat. Illud preterea referendum est, quod Grecis referentibus fertur, quia cum prius gentem nostram præ paucitate despicerent, vbi ventum est ad conflictum vix eorum audacior ausus est se mouere, quia gentem videbant niueam & maxime candidam nostræ subuenientem genti, ideoque tantæ multitudines pauefactæ, tantæ cesserunt paucitati. Anno Domini 1204. a fine mensis Ianuarii, vsque ad maium, per tres menses aut nullis aut rarissimis pluuiis terra infusa est, cum ii menses ob hyemis verisque confinium maxime esse

Fames extrema & annonæ difficultas.

Tyranni fuga.

Promissa exoluuntur

soleant & pluuiosi et gelidi, eratq; contra consuetum ordinem temporis continua siccitas & calor æstiualis mense martio, cœlum cum sine vlla nubium densitate, multaq; serenitate clarescerer, visum est à parte Septentrionali nocturno tempore tanto rutilare rubore, ac si penitus igne flammesceret & amplissimum cęli spacium occupans, quasi quiddam motabile discurere visebatur. Nec semel aut bis sed pluries id accidisse notatum est. Mense April. 16. Cal. Maiji vna cum hora 12. & sub noctis initio apperere cœpisset quasi tota hebescens soliti fulgoris radios non emisit, deinde totaliter in horrendam nigredinem ac postmodum versa est in ruborem, Sicq; tota nocte perstitit eclypsis illa donec paulatim circa diei crepusculum lunæ sua est claritas restituta. Petrus Altissiodorensis comes Dominica in ramis palmarum inspectante clero & populo, dum ageretur processio, de iniurijs Altissiodorensi episcopo irrogatis publice satisfacit. Siquidem anno præterito idem comes quibusdam de causis, ab episcopo anathematis vinculo innodatus, tam ipsum quam suos multis lacessierat iniurijs, & affecerat pluribus nocumentis. Adeo deniq; contra episcopum incanduerat comitis furor, vt quia suis hominibus vetabatur cemeterij sepultura, in ipsa domus epalis camera, recens defuncti corpusculum faceret infodi, & matris ecclesiæ clericos præciperet ex vrbe propelli, propulsorum tamen rebus & domibus non peruasis sed indemniter conseruatis. Propter hæc itaque aliaque commissa, tamdiu censura ecclesiastica perurgente districtus est, donec Senonensi & Bituricensi archiepis satagentibus, episcopo satisfaceret, illata damna plenarie resarciret, cadauer infossum manibus suis effoderet, & effosum proprijsque humeris deportatum cemeterio rursus infoderet, incederet quoque nudis pedibus, sola indutus linea, in facie omnium tunc ad processionem solito frequentius confluentium. Sic igitur dei & ecclesiæ honore seruato, tantoque excessu congrua satisfactione purgato, pax vtrinq; & gratia reformatur. Per hos dies Philippus rex castrum quod Insulæ andeliaci imminet in sublimi situm, & tam situ loci quam munimento fere inexpugnabile postquam illud diutina obsidione concluserat, potenter expugnat. Rothomagum deinde vrbem opulentam, populosam valideque munitam expetit, obsidet & oppugnat, & in tantum vrgentibus coarctat assultibus, donec ciues se dederent, & vrbem in regis traderent potestatem. Sed & nobile illud castrum Vernulium à regibus francorum toties impugnatum, nec expugnatum, aliaque oppida quæ hucusque restiterant, in deditionem recepta sunt, & regis tradita ditioni. Igitur rex tota potitus Normmania, septem Episcopatibus distributa, in corpus eam regni redigit, post trecentos circiter annos, exquo Carolus rex cognomento simplex, Rolloni duci, primo exducibus Normannorum baptizato, dictoq; Roberto, filiam suam dedit in coniugem cum parte Franciæ, quam ex tunc obtinentes Normanni, Normaniam vocauere. His quoq; diebus tota Aquitania cum vrbe Pictauis, regi se subijcit atq; tota in breui ampliato corpore

Cœli facies tota ignea apparet.

Comes Altiss. anathematis vinculo expeditus.

Normannia Galliæ regis ditioni subiecta.

regni, quocunq; rex graditur fœlices eum successus, lætaq; auspicia prosequuntur. Eodem anno apud constantinopolim fit stupenda & prorsus insolita rerum mutatio, illudq; famosum orientale imperium de manu græcorum eripitur & in ditionem redigitur latinorum. Quod qualiter acciderit paucis est explicandum. Peregrini nostri eorumq; victores Veneti apud Constantinopolim hyemantes, dum tuta sibi omnia & quieta sperat erit, tum propter imperatoris promissa, tum propter immensa beneficia imperatori collata, rogat eos imperator vt egrediantur ex vrbe, ne inter eos & græcos diffidentia motum, discordiæ pareret incentiuum. Ad preces igitur imperatoris de vrbe exeunt, & ex aduerso ciuitatis interiacente portu castra constituunt. Et ecce imperator ex insperato animum auertit ab eis, vel de innata malicia, vel tam patris quam græcorum suggestione seductus, & pacta quæ cum patre & Patriarcha ac mole nobilum eis statuerat, destruere non veretur, & in omnibus promissis tot implicatur periurijs, quot se astrinxerat iuramentis. Ab eis proinde desertus, parat damnis eos affligere, tentatq; incendere classem, quæ ipsum aduexerat & prouexerat ad coronam. Sed ad nihilum deductus est hic conatus, nuntiantur ei suorum cædes incendia & rapinæ, pars sua succumbit per omnia, foris pugnæ, intus timores, græci namq; quorum iam infensionem incurrerat æmulum ei imperatorem creant. Cumq; nulla spes ei restaret nisi ad nostros confugeret quendam Marculfum nomine in quo præ cæteris cõfidebat, tamquam sibi propinquo & à se præ cæteris eleuato, ad eos destinat vt ex parte imperatoris & sua, iuret se traditurum eis imperiale palatium Blaquerna dictum, donec plena fieret impletio promissiorum. Accedit ad recipiendum palatium Bonifacius marchio, illudit Alexius marchioni, & spretis obsidibus quos iam dederat, periurio periurium cumulat. Nocte insecuta Marculfus reddendi palatij græcis reuelat arcana, asseritq; hoc facto vrbi eripi libertatem, ac per hoc ad deiectionem Alexij eos animat & instigat. Huius itaq; proditionis merito, tertius in vrbe attollitur imperator, qui mox in Dominum dormientem & rei nescium sacrilegas mittit manus, eumq; tetro recludit in carcere, Deinde Nicolaum qui apud S. Sophiam imperiales infulas nouiter vsurparat, græcis qui eum excæcauerant prodentibus, captum incarcerat.. Moritur interim Tursac Alexij pater, & acclamante clero græcorum, & populo, vt nostri de terra tollantur in breui, prælia contra eos proditor iam dictus instaurat, vrbem machinis & propugnaculis munit. Cumque altus esset murus, latusque & validus, turres etiam habens amplissimas quinquagenorum circiter pedum spatio interiectas, super ipsas & super murum a parte maris quo nostrorum timebatur assultus turres erigit ligneas, trium aut quatuor stationum continentium multitudinem armatorum. Mangonellis & petrarijs hinc inde dispositis murus etiam ipse corcumcingitur inferiore muro, dupliciq; fossato. Interim terra marique nostros impetit perfidus, incubator inperij, sed semper à domino proteguntur, & hostiles impediuntur cõnatus. Nam præter ordinationem maiorum ad præ-

Imperator iusiurandi religionem turpissime violat.

dam victualium procul exeuntibus nostris vsque ad mille animas hominum pugnatorum, impetator occurit in multitudine graui, primoq; congressu dissipatur omnino, cæsis captisque non paucis, sine damno nostrorum fuga ignominiosa consulens sibi, clipeum abijcit, arma deponit & nostris vexillum imperiale dimittit. Nobilemq; quam sibi præferri faciebat iconem S. dei genitricis & honori, & nomini dedicatam. Iterato nostrorum nauigium flammis aggreditur intempestæq; noctis silentio sexdecim suas naues accensas velis in altum expansis, & inferius ad proram colligatis flante fortiter austro, nostras mittit in naues, sed domino fauente cum multo labore nostrorum custodiuntur indemnes, & ardentibus nauibus clauis infixis cathenis hærentibus nostrorum remigio trahuntur in pelagus. Igitur tyrannum nostri terrestrem ad pugnam prouocant, & ponte atque amne transmisso qui eos separabat à græcis cuneis ordinatis ante portam diu steterunt regiæ ciuitatis, & palatij imperialis quod Blaquerna nuncupatur in nomine domini præcedente cruce viuifica, parati ad prælium græcos excipere si eis placuisset exire. Et quidem pro militiæ exercitio, exeuntem quendam nobilem nostri pedites trucidarunt. Sic in castra reuersi terra marique sæpius prouocantur, sed domino fauente semper ac triumphaliter obtinent. Mittit deinde tyrannus ad eos fictæ pacis legatos, postulat & obtinet cum eis dulce colloquium cui cum dux magnanimus obiecisset, quia nulla pacis cum eo possit esse securitas, qui dominum suum carcere reclusisset, ille inter cætera, quæ subintulit obedientiam romanæ ecclesiæ & subuentionem terræ sanctæ quam iuramento & scripto imperiali firmarat Alexius penitus refutauit. Nocte igitur insequenti dominum suum latenter suffocat in carcere, cum quo ipso die prandium sumpserat, inde & claua ferrea quam tenebat in manu, latera morientis & costas inaudita crudelitate confringit, casuque vitam quam laqueo extorserat confingit ereptam, ac imperiali sepultura concessa propalatum omnibus scelus funeris honore dissimulat. Sic nostris hyems tota perficitur, donec nauibus & scalis aptatis & instrumentis bellicis præparatis, se & sua recipientes in nauibus. 5. Idus Aprilis in Feria 6 ante passionem domini vnanimiter nauali prælio ciuitatem inuadunt, & ea die sine multo tamen sanguine tanta perpessi sunt, vt inimicis suis in opprobrium verterentur, quorum ea die pars fuit per cuncta superior, adeo vt tracta in terram græcis compellerentur sua bellica machinamenta relinquere, & infecto negotio, ad rippam redire cogerentur aduersam. Conturbati ergo plurimum & conterriti sed deinde in domino roborati, definito consilio rursum restaurantur ad pugnam, & 4. die hoc est feria 2. post passionem domini flante borea, rursum applicatur ad muros scalis nauium turribus applicatis cum multo labore nostrorum permultum, resistentibus græcis. Sed ex quo cominus gladios sensere nostrorum, non diu belli anceps durauit euentus. Duæ siquidem naues pariter colligatæ quæ nostros episcopos Suessionensem videlicet ac Trecen-

Imago Dei para virginis in vexillo militari depicta.

Suessionen. & Trecen. episcopi in eadem naui

ſem deferebant, quarum erant inſignia paradiſus & peregrina, primæ ſcalis ſuis, ſcalas turrium attigerunt & fœlici auſpicio peregrinos pro Paradiſo certantes hoſtibus admouerunt. Prima muros obtinent vexilla pontificum, miniſtriſque cœleſtium ſecretorum prima de cœlo conceditur victoria. Irruentibus igitur noſtris cedit Domino iubente multitudo infinita per paucis, & propugnacula relinquentibus græcis, noſtri audacter militibus portas aperiunt, quorum cum imperator qui non procul à muris in tentorijs ſtabat armatus conſpicaretur ingreſſum, ſtatim tentoria dereliquit & fugit, noſtri cædibus occupantur, ciuitas capitur populoſa, recipiuntur in palatijs imperialibus qui noſtrorum enſes effugiunt, multaque cęde facta græcorum, noſtri ſeſe recolligunt aduesperaſcente iam die, arma feſſi deponunt de aſſultu palatiorum in craſtino tractaturi. Suos recolligit imperator, & craſtinam hortatur ad pugnam, aſſerens quod noſtros in poteſtate nunc habeat, intra murorum ſepta concluſos, ſed nocte latenter dat terga deuictus. Quo comperto græcorum plebs attonita, de ſubſtituendo imperatore pertractat. Et dum mane facto ad nominationem cuiuſdam Conſtantini procedunt, pedites noſtri non expectata deliberatione maiorum ad arma proſiliunt & terga dantibus Græcis, fortiſſima & munitiſſima palatia relinquuntur. Diripitur equorum innumera multitudo, auri, argenti, ſericorum, præcioſarumq; veſtium atque gemmarum & omnium eorum que inter diuitias computantur, tam ineſtimabilis abundantia reperitur, quod tantum tota non videretur poſſidere latinitas. Et qui admodum pauca negauerant, cuncta noſtris diuino iudicio reliquerunt, vt ſecure dicamus, quia maiora his mirabilia circa bellorum caſus nulla vnquam narratur hiſtoria, vt impleta manifeſte prophetia videatur in noſtris quæ dicit. Perſequetur vnus ex nobis, centum alienos, quia ſi inter ſingulos victoriam partiamur, quilibet ex noſtris plures quam centum & obſedit & vicit. A Domino factum eſt iſtud & eſt mirabile in oculis noſtris. Ordinatis igitur diligenter, quæ diſponenda rerum poſcebat euentus, ad electionem imperatoris vnanimiter ac deuote procedunt, & cum ſex baronibus Venetorum, venerabiles Epiſcopos, Sueſſionenſem, Trecenſem & Aconenſem electum cum alijs tribus, imperatoris conſtituunt electores. Qui oratione præmiſſa vt decuit, dominica qua cantatur (Miſericordia domini) Balduinum flandrenſem comitem, ætate quidem iuuenem ſed moribus ac pietate inſignem ad culmen imperij eligunt, & ſequenti dominica cum ingenti honore atque tripudio, diuinis laudibus clero ac populo acclamante, mote etiam ſuo applaudentibus græcis imperiali corona inſigniunt & ſublimant. Vniuerſorum itaque ineſtimabilis erat lætitia, cum ita viderent mutationem dexteræ excelſi, in tranſlatione & renouatione imperij, cum ad obedientiam Romanæ eccleſiæ & ſuccurſum terræ ſanctæ, ſe ſe regia ciuitas deuoueret, que tam diu, tam potenter aduerſaria ſtetit, & contradixit vtrique. Hæc eſt quæ ſpurciſſimo gentilium ritu pro francica ſocietate, ſanguinibus alternis ebibitis, cum infidelibus

Bizantium a Francis expugnatur.

Balduini egregia laus eiuſque ad imperium erectio.

infidelibus ausa est sæpius amicitias firmare ferales, & eos mamilla diu lactauit vberrima, & extulit in superbiam seculorum, arma, naues, victualia ministrando. Quid é contrario fecerit peregrinis, magis edocere sufficiunt in omni latinorum gente exempla quam verba: propter quæ & alias iniquitates innumeras, quæ ipsum dominum ad nauseam prouocabant diuina iustitia nostrorum ministerio, eos digna vltione percussit, deditque nostris terram bonorum omnium copia affluentem, fructibus opulentam, speciosam spaciosamque, & cui similem non continet orbis aere temperatam. Vrbe igitur sic obtenta munitaque, & vniuersis pro personarum varietate affluenter instructis, ditatisque contendunt ad alia, & vltra citraque circumiacentes occupant regiones. Morculfus vsurpator imperij capitur, excæcatur, & ad Balduinum imperatorem adductus, de prominentissimo vrbis loco, præcipitatus obruitur, & per vrbem tractus discerpitur. Nostri dum per vrbem discurrunt, palatia & Ecclesias spoliant, tam thesauris quam sanctorum reliquijs, vnde & plerique dum redeunt, vel sanctorum pignora, vel quæque preciosa ad exteras deuehunt regiones. Constantinopolitanæ captionis fama, totum orientem circumuolans Christiani nominis inimicos plurimum exterrebat. Sephadinus dominans in Damasco Babylonia & Ægipto adeo cum omnibus saracenis indoluit, vt maluissent occupatam esse Hierusalem a Christianis, quam Constantinopolim à latinis, statimque inita treuga cum omnibus inimicis, ipse personaliter longe lateque discurrit, vt contra Christianos, confœderet vniuersos de Ierosolymitana prouincia, tam peregrinis quam indigenis Constantinopolitanas partes adeuntibus, remanet terra illa viris & viribus pene penitus destituta. Patriarcha moritur regisque filio qui sperabatur successurus defuncto, rex quoque & regina diem claudunt extremum, vix aliquo remanente, qui temporaliter vel spiritualiter præesset ac prodesset præter Templarios & Hospitalarios, quorum professio est pro terræ custodia stare fideliter, fortiter propugnare. Tripolitanus comes & rex Armeniæ pro principatu Antiocheno contendebant, guerra vtrimque feruente grauissima, diuque protracta. Antiochiæ siquidem princeps filius principis Boamundi adhuc iuuenis in frenesim versus, obierat. Comes perinde quia principis frater extiterat, de iure parentelæ principatum videbatur exigere. Rex vero quia filiam suam princeps iamdictus habuerat in vxorem & hæredem ex ea genuerat, ius filiæ & hæredis vendicabat quia successione legitima paterna foret hæreditas ad relictum puerum deuoluenda. Antiocheni fauebant comiti, patriarcha regi, & ob hoc partibus sic diuisis, grauis vtrimque conflictatio agebatur, vrbs quoque Antiochena per aliquantum temporis à rege obsessa est. Anno Domini 1205. nostri qui Constantinopolim cœperant cum eis omnia hucusque fœliciter successissent, nunc circa feriatos dies Paschæ graui admodum infortunio sunt afflicti. Rex enim Blacorum & Bulgarorum cum Cumanis græcis & Turcis aduersus eos pugnantes Domino permittente vicerunt, maioribus in bello

Constantinop. terra vberrima, cui par nulla est, nulla est fecunda.

Morsulphus è columna Altiss. præcipitatus est vt refert Gauffred.

Constantinop. excidij fama volat & vagatur.

Patriarchæ interitus.

Templariorum institutum quale.

Antiochia obsidio.

peremptis. Etenim cum de communi consilio exercitu tripartito, alij ad custodiam vrbis captæ deputati consisterent, alij sub Henrico imperatoris fratre circumquaque discurrerent, vrbes & oppida nondum subacta subigentes vel iam subacta ne rebellarent arcentes, imperator ipse cum maioribus Andronopolim obsidebat, vrbem munitam admodum & à Constantinopoli distantem quinque spatio dietarum. In hac ergo obsidione morantes, quadam die ab hostibus prouocatus Ludouicus comes Blesensis alijque nobiles, dum eos inconsulte aggressi longius persequuntur, persequentes circuncludit numerositas hostium, de circumpositis insidijs exeuntium, factaque miserabili strage nostrorum, imperator ipse capitur, nobiliumque quam plurimi perimuntur. Suo capite truncatus exercitus, ab obsidione recedens Constantinopolim redit. Accrescit hinc hostibus fastus & nostris confusio. Accidunt hoc anno tempestates assiduæ, & per loca plurima profligant tam segetes quam vineta. Galterus Brenensis comes cum partem Apuliæ plurimam occupasset, & lætis hucusque floruisset auspicijs, à Tibodo circumuentus insidijs capitur, vulneratur, nec multo post moritur. Anno Domini 1206. Adela regina Philippi regis Franciæ mater, Parisius obit, & ad cœnobium Pontiniacense delata, sicut ipsa petierat, honorificam ibidem accipit sepulturam. Ioannes rex transfretat in Aquitaniam & innumeras secum copias transuehit ad Rochelam, Philippus rex & ipse cum multo apparatu concurrit, diuque in finibus illis exercitus vtrinq, consistunt non longe ab inuicem constituti circumposita deuastantes, nec tamen aliquando mutuos iniere conflictus, donec tandem exhaustis donarijs & infecto negotio, Ioannes inefficax redire compulsus est. Otho qui contra Philippum de imperio diu contenderat deficientibus à se partibus sola ei fauente Colonia, intra Coloniam consistebat. Philippus Coloniam obsidet, ciuibus ad pugnam egressis sed potenter repulsis, & Othone fugato, Colonia recipitur à Philippo. Nostri apud Constantinopolim cum de Balduini imperatoris vel vita vel morte nulla fieret certitudo, Henricum fratrem eius iuuenem strenuissimum, ad culmen imperij prouehunt & coronant. Hugo Antissiodorensis Episcopus Romam profectus, ibidem obit. Hic extitit corde magnificus ingenio perspicax, facundia copiosus, & tam in ecclesiasticis, quam in secularibus sagax admodum & peritus. Episcopales reditus multimodis cumulauit augmentis. In cunctis fere Episcopalibus locis ædificia insignia, vel de nouo construxit, vel diruta reparauit. Siquidem Varziacum castrum, murorum & turrium reparatione muniuit. Cumq; prædecessores sui domum ibidem in quam honeste descenderent, propriam non haberent, domos geminas in modum palatiorum extruxit, tam diffusas amplitudine, quam opere sumptuosas. Cumque intra castri ambitum nullum existeret molendinum, fontis qui de ecclesia oritur cursum artificiali deductione retorsit, & intra fossata domos prædictas cingentia & piscibus copiosa collegit. Inde molendinum extruxit cui nouus aquæ discursus sufficeret, & multis in locis per castrum

Andronopolis obsessa

Ludouicus Blesen. comes.

Exercitus acephalus obsidionem deserit.

Adela Philippi regis mater è viuis excedit.

Otho a suis desertus.

Hugo Antissiod. Eps Romæ fato concedit.

deductus multorum vsibus deseruiret. Sed & apud Carbinachum villam, locum de nouo instituit quem bellum reditum apellant, locum vtique peramœnum nemore circumsito & molendinis & stagnis, viridarijs quoque fructiferis & domibus spaciosis. Regennam honestioribus ædificijs insigniuit. Hæreticos quos Bulgaros vocant, vehementer studuit insectari, eiusque instantia actum est, vt plerique rebus suis exinanirentur, exterminarentur alij, alij cremarentur. Litterali scientia præditus, amansque librorum, repetebat libenter cum sibi vacaret, ocia litterarum. Cumque ita strenuus in multis existeret, sibi tamen minus in alijs studuit, minus cauit. Nam in sibi subditos minus clemens extitit, eosque immodicis exactionibus aggrauauit. Erat quippe in expensis profusior, amans contubernia militum & militarium actuum solitus pompam plus prosequi, quam sacerdotali competeret grauitati. Et quia in suis negocijs plus peruicax & minus cuique cedens erat, vixque se ab aliquo vinci permittebat, plures à pluribus persecutiones sustinuit, quas tamen magnanimiter tolerans & finaliter præualens sæpius obtinebat. Terram sibi subditam, & si plerumque grauauerit, tamen ne grauaretur ab aliquo potenter defendit. Iudæis à Petro comite de vrbe propulsis, Synagogam eorum in medio vrbis sitam in ecclesiam commutauit, duoque inibi altaria alterum in honore S. Nicolai, alterum S. Anthonij consecrauit. Erga matrem domini deuotus extitit ipsiusque ecclesiam in vrbe sitam studuit honorare, ipsoque satagente creuit eiusdem ecclesiæ fabrica, decentiore & altiore structura, creuit canonicorum paucitas maiore numero, creuit redituum paruitas multiplici incremento. Promiserat namq; quoq; quod plura conferret, nisi mors præueniens impedisset. Denique quibusdam de causis à quibusdam impetitus, vrgente negotio romam proficiscitur, vbi cum venisset a Domino Papa veneranter exceptus, paulopost morbo corripitur & pluries pureq; confessus & pœnitens intra paucos dies moritur, & in Lateranensi Ecclesia presente Domino Papa & Cardinalibus cum multa honorificentia tumulatur. Per eosdem dies in vigilia Sancti Nicolai mense Decembri contra naturam temporis hyemalis, audita sunt tonitrua, fulgura micuerunt, quibusdam etiam in locis fulminum ignibus ædificia sunt incensa. Subsecuta est aquarum tanta inundatio, vt velut abyssis euomentibus aquas, flumina suos alueos prætergressa, camporum planicies occuparent, absorberent sata, molendina & ædificia pleraque subruerent. Nemo ætatis huius erat, qui diceret se vidisse tantæ inundationis illuuiem aliquando erupisse. Anno Domini 1207. Altissiodorensi Ecclesiæ vnanimi electione præficitur Guillelmus decanus, ætate quidem iuuenis: sed morum senio præmaturus. Regalia tunc peruaserat regia clientela, exactionibus immodicis vniuersa diripiens, ea quoque confiscans quæ Hugo Episcopus testamento legauerat ecclesijs largienda. Electus itaq; pro recipiendis regalibus, destinat ad regem nec impetrat. Post consecrationem vero suam illico regem adit, & multo licet labore expensisque, obtinet apud

Hugo Bulgarorum malleus & flagellum.

Hugonis mores.

Egregia & singularis Hugonis in Virginem deiparam pietas.

Hugo Romæ in Laterani Ecclesia conditus.

Vndarum ingens eluuies.

Guilelmus episcopus Altissiod. consecratur

eum vt non modo prædecessoris sui tastamentum quod iusserat confiscari, iuberet restitui: verum etiam quicquid iuris habebat in regalibus in remedium animæ suæ donaret Altissiodorensi ecclesiæ ita vt moriente Episcopo, Decanus & capitulum regalia manu teneret, & quæ de reditibus interim prouenirent, successuro Episcopo reseruarentur. Per hos dies Satellia ciuitas munitissima, & ad transfretandum in Syriam portus aptus, quæ Christianorum licet græcorum hactenus fuerat, à Soldano iconij obsidetur & cum multo Christianitatis damno capitur, & alijs patibulo suffixis, alijs in vincla coniectis Turcorum dominio subiugatur. Per idem tempus Bulgarorum hæresis execranda errorum omnium fex extrema, multis serpebat in locis tanto nocentius quanto latentius: sed inualuerat maxime in interra comitis Tholosani & principum vicinorum, vbi dum suum publice profitentur errorem, primatum & iudicium romanæ Ecclesiæ spernût & communionem Christianorum sub ea positorum declinant, dicentes nullum sub ea vel in ipsius fide posse saluari, omnesq; fidei articulos aut denegant aut peruertunt, omnem omnino religionem & cultum & gradum pietatemq; Ecclesiæ Catholicæ blasphemantes, damnantes omne genus hominum præter se solos, suorumq; conuenticula Catholicam Ecclesiam iactitantes. Quocirca de consilio Domini Papæ Cistercienfis abbas alijque abbates circiter 15. delegantur, eiusdemque ordinis viri probabiles omnes & sapientia & facundia perinstructi, parati ad satisfactionem omni poscenti rationem de fide, & pro fide etiam animas ponere non verentes. Egressi igitur de Cistercio mense martio numero circiter 30. per ararim labuntur in Rhodanum modicis expensis, equitaturis nullis, vt per omnia viros euangelicos se probarent. Ingressi deniq; quo tendebant bini vel terni ab inuicem diuisi, partes illas perambulant & hostes fidei, sanæ doctrinæ spiculis appetentes, vix in multis millibus paucos inueniunt rectæ fidei professores. Alij vero quorum erat numerus infinitus sic suo pertinaciter inhærebant errori, vt nullis veridicis acquiescerent documentis: sed tanquam aspides obsurdescerent ad voces incantantium sapienter, ne mentes dimersas tenebris, penetraret auditio veritatis. Per tres itaque menses, vrbibus, villis & oppidis multo labore & sollicitudine peragratis, multisque periculis & insidijs appetiti, paucos reuocant, paucos fideles repertos de fide certius instruunt, & confirmant. Affuit & cum eis quidam Episcopus Oximensis ciuitatis Hispaniæ vir mitissimus ac disertus, qui & ipse lucrandis animabus inuigilans & circumquaque perambulans, de reditibus suis cibariorum emerat copiam, & per loca plurima posuerat, & prædicatoribus verbi Dei largiter exponebat. Per id tempus anglicana Ecclesia graui scandalo perturbatur. Defuncto namque Huberto cantuariensi Archiepiscopo cum in eligendo pontifice dissensio fieret, & alium rex intrudere vellet, quam communis electio decreuisset, adeo ira regis incanduit vt Cantuariensem conuentum extruderet, & Ecclesiasticos reditus confiscaret atque ita nobilis illa filuit Ecclesia diu admodum de-

Regalia Altissiod. Ecclesiæ remissa.

Impia & absurda Bulgarorû hæreticorû dogmata.

Abbates Cisterciẽses aduersus Bulgaros legantur.

Huberti Cãtuar. epi obit⁹ Ecclesiam anglicanã turbat

solata. Interea Stephanus eiusdem ecclesiæ electus à Domino Papa in pontificem consecratur, & remissus in galliam donec cum rege Angliæ componeret, iubetur inibi commorari. Hunc nuper in cardinalem Dominus Papa promouerat, virum quidem vita honestum, præclarumque inter parisienses magistros tam facundia quam scientia scripturarum. Anno Domini 1208. In partibus prouinciæ accidit res dolenda. Nam cum in eadem regione nimis increuissent plantaria vitiorum, Dominus Papa viros illuc destinauerat strenuos & prudentes, qui de vinea Domini Sabaoth auellerent inutilia, & vtilia propagarent. Inter quos legatum statuerat contra hæreticos Albigenses Petrum de castro nouo sacerdotem & monachum, virum inter viros vtique virtuosos, vita scientia & fama præclarum. Qui cum in commisso sibi ministerio proficere non cessaret, comitem Tholosanum sæpius arguebat, eo quod ad fauendum hæreticis videretur procliuior, & pro multis ac magnis excessibus in eum sententiam excommunicationis intorsit. Tandem apud villam Sancti Ægidij legatum comes conuocat, plenarie se de omnibus quibus impetebatur capitulis satisfacturum promittens. Loco & die condicto conueniunt, comes iuri parere detrectat, tantoque furore inuehitur in Legatum, vt mortem ei publice comminetur. Legatus à Burgensibus inuito comite Rhodanum vsque deducitur, eique duo satellites comitis se adiungunt & nocte instanti pariter hospitantur. In crastinum mane facto missa celebrata de more, dum ipse cum socijs ad transitum fluminis se pararet, vnus ex satellitibus sathanæ lanceam manu vibrans, ipsum inter costas posterius vulnerat, percussus in percussorem respiciens & sæpuis repetens verbum istud: Dimittat tibi Deus, quia & ego dimitto, post multas demum orationes fœliciter obdormiuit in Christo, corpus eius relatum, in Ecclesia Sancti Ægidij honorifice tumulatur. Tanti piaculi fama percrebuit, & comes sententia districtiore percellitur. Tota anglia grauissimo subijcitur interdicto, & tam in monasterijs quam in ecclesiis cessantibus quibuslibet priuilegijs, organa lętitiæ diuino sunt suspensa silentio. Phillippus rex collecto grandi exercitu, Aquitaniam intrat terram vicecomitis de choart adhuc regi Angliæ fauentis, peragrat & deuastat, resistentes sibi munitiones quasdam funditus deijcit, quasdam detentat & munit. Dum rex in hac expeditioue moratur terræmotus in partibus illis Id Iunij dicitur accidisse. Per eosdem dies Philippus imperatorcum iam rerum turbinibus in parte sopitis, quieto potiretur imperio à quodam çomite palatino, viro quidem potente sed scelesto dolose perimitur, ob hoc autem vt aiunt odij rancore concepto, quia Philippus filiam suam ei subtraxerat quam spoponderat se daturum. Tanto scelere perpetrato, tumultus ingens oboritur, elabitur homicida, amici Philippi fugientem diutius persequuntur, tandemque latentem reperiunt & trucidant. Fuit autem Philippus vir moderationis eximiæ & æquitatis amator, & impensius litteris eruditus. Vxor eius filia Tursac quondam imperatoris Græcorum nimio affecta dolore, paulopost mo-

Petrus de Castro eximiæ sanctimoniæ monachus.

Petri mors cruculenta.

Philippus imperator misere trucidatur.

ritur. Otho qui de imperio diu contenderat, rursus imperium accer-
Odo Parisiensis episcopus moritur. situr. Odo parisiensis Episcopus obit, vix æmulator virtutis & vitiorum egregius insectator, qui inter cetera bona quibus enituit, id habebat præcipuum, quod in beneficijs ecclesiasticis conferendis non ad genus, non ad munus, non ad præces, sed ad mores scientiamque respiceret, nec nisi dignos ad dignitates ecclesiasticas promoueret. Hinc est quod eius studio Guillelmus ad Bituricensem, Gaufridus ad Turonensem, Albericus ad Remensem archiepiscopatum promoti sunt: quorum prior karoliloci abbas extitit, alij duo Parisienses archidiaconi sibi inuicem successerunt, viri insignes, ac timentes Deum, honestatisque ac iustitiæ præcipui sectatores. *Videat & imitentur Antistites.* Ipso præterea suggerente & satagente actum est, vt Dominus papa principes & populos per Gallias concitaret, ad debellandam Albigensium hæreticorum perfidiam, qui sæpius attentati nullatenus gladio verbi dei poterant expugnari. Litteris itaq; Domini papæ longe lateque directis, peccatorum remissione & pœnitentiarum absolutione concessa, innumerabilis multitudo fidelium concitatur, & nouo more crucis se signo consignant in pectore contra fidei desertores, zelo fidei se armantes. Anno Domini 1209. Guillelmus Bituricensis archiepiscopus, cum se cruce signasset, ob hoc præcipue quia prouinciæ suæ multas ecclesias & aliquas vrbes hæresis pestilens occupasset, dum propositum iter aggreditur, ægritudine tangitur, & intra quinque dies sancto fine decedit, vir religiosus & simplex & humilis, cuius vita quam accepta Deo extiterit, signorum frequentia innotescit. *Guillelm⁹ Bitur. Archiepiscop⁹ in cælestem sedem demigrat.* Mense maio Trecarum pars maxima, graui & subito conflagrauit incendio. *Trecense incendium.* Mense Iunio in vigilia Sancti Geruasij totum fere altissiodorense forum in ea parte quæ ædificijs atq; diuitijs erat insignior atque confertior, repentina exustione vastatum est. *Altißiod. forum flāmis vastatur.* Ipso anno de cunctis Galliarum partibus Francia, Flandria, Normania, Aquitania & Burgundia tam Episcopi quam comites & barones, militum & vulgarium numerus infinitus, votiuæ profectioni se præparant. Mense igitur iunio apud Lugdunum conueniunt excondicto, & dispositis itineri necessarijs, & ducibus qui præessent de communi conniuentia constitutis, versus prouinciam iter mouent omnes cruce signati in pectore, accensis animis aduersus homines pestilentes, & fidei refugas pugnaturi. Adiungitur & eis Tholosanus comes quem Dominus papa per Legatum absoluerat satisfactione humillima de commissis exhibita. *Biterris vrbs circūsedetur.* In primis itaque Biterris vrbem populosam & amplam: sed fide vacuam moribusque corruptam obsident & oppugnant, eamque statim capiunt captamque subuertunt. Nulli sexui vel ætati parcitur, omnes à minimo vsque ad maximum pariter trucidantur. Occisorum cadauera coaceruant & concremant & deuorante cuncta incendio, fit vastitas circumquaque & horribilis solitudo. Vicos præterea & oppida, dum nostri percurrunt vacua reperiunt: quia timore perterriti profugerant vniuersi. *Carcassona opulēta sed peruersa moribus obsidetur.* Carcassonam deinde pertendunt & obsident, vrbem grandem plenam diuitijs: sed vitijs & erroribus plus refertam, victualium & ar-

morum copia & transitu loci quam muris validis præmunitam, habentem duo suburbia congesta opibus, fossatis murisque firmata. Ad hanc de circumiacenti regione multi confluxerant. Aderat & Rogerus Biterrensis vir perfidus, per cuius maxime nequitiam pestilens error increuerat, & plures infecerat quia

Mobile mutatur, semper cum principe vulgus. *Claud. lib. 1. Stilic.*

Hic ergo nostri cum tentoria collocassent, vrbem acriter impetunt, assiduosque & vrgentissimos dant assultus. Ac primo suburbia capiunt diruunt & incendunt, videns Rogerus quia sic inualescerent nostri nec sibi afforet potentia resistendi, ad nostros egreditur, rogat vt sola suis corporum vita concessa egredi liceat quo libuerit, vix tandem impetrat quod requirit. Egrediuntur miserrimi, & solis indutis lineis tam rebus quam fide vacui dimittuntur. Rogerus sub arcta custodia detinetur. Nostri vrbe potiti, libere cuncta vendicant, copiarum omnium reperitur infinita congeries. Simon de monte forti vir armis strenuus ac fidelis, de communi consilio vrbi & regioni præficitur, & quicquid in vrbe repertum est & pars exercitus sub eius dominio deputatur. His ita gestis cæteri regrediuntur ad propria. Ipso anno Ioannes Brenensis comes a partibus transmarinis electus in regem, cum multo transfretat apparatu, & in gloria exaltationis S. Crucis Acon vrbem applicat & in crastinum vxorem ducit Conrardi Marchionis quondam filiam cui regnum hæreditarie debebatur. Porro in Dominica post festum S. Michaelis cum fauore principum & populi apud Tyrum solemniter coronatur. Per eosdem dies Otto affectator imperij intrans Italiam à plerisq; vrbibus veneranter excipitur, & fauente sibi Innocentio papa, & ad promotionem ipsius modis omnibus aspirante: tandem Romæ die Dominica circa festum S. Michaelis imperialem benedictionem sortitur, quibusdam ab eo præstitis iuramentis super fidelitate romanæ Ecclesiæ, & super regno Siculo nullatenus inpugnando, quæ tamen ilico violat & dirumpit, ac per hoc inter ipsum & Innocentium papam grauis simultas protinus incandescit, vnde fit stupor, rem tantopere affectatam, ipsi quoq; affectanti, in tantam perniciem mox fuisse conuersam. Nostrates qui in Albigensi & Carcassonensi prouincia remanserant, multas interim patiuntur molestias. Cum enim timore exercitus qui nuper recesserat, indigenæ pauefacti, ad S. Matris Ecclesiæ gremium confluerent, & se velle renasci per reconciliationem si forte in aliquo contra fidem peccassent simulantes, semper etiam vbique agninam faciem prætendebant, lupinam interius rabiem palliantes sed se ipsam non cohibens, interioris veneni malitia diu latere non potuit. Nam cum nostros vt pote incautos, etiam simplices sibi credere & ab eorum malicia sibi minime conspicerent præcauere, per castella clanculo discurrentes subripere munitiones festinant, etiam tam milites quam seruientes ad castrorum custodiam derelictos captiuant alios, alios necant quam plures etiam aurium & narium cum labro superiori vel aliorum membrorum detruncatione deformant. Eos

Simon de monte forti præficitur vrbi.

Ioānes Brenens. comes, Ierosolym. rex creatur

Cruce-signati ærūnas sustinēt

Strages catholic. edita

autem qui munitiones obtinebant, machinationibus huiusmodi deludebant, boues & oues seu quælibet animalia saccosque stramine repletos & paleis in strata publica, ante oppida deponentes insidiabantur in abscondito quasi leo in spelunca sua, vt si forte horum concupiscentia abstracti & illecti egredi præsumpsissent, sedentes in insidijs incautos diriperent & occiderent innocentes. Sane quantæ sint crudelitatis & quod parcant nemini nec religioni deferant nec ætati, ex his quæ perstringimus satis liquet. Cum quidam Cistercienſis ordinis abbas prouectæ ætatis, miræ simplicitatis, cum suo monacho & conuerso pro quibusdam negotijs iter ageret, casu incidit in insidias impiorum, in quem continuo lupina rabie debachantes, quinque letalibus inflictis

Cister. Abbatis cruẽta cædes & mactatio. vulneribus mortuum abiecerunt. Conuerso quoq; eius varijs cruciatibus interempto, monachum diuersis macerantes vulneribus, & proptio sanguine volutatum, in arena media reliquerunt, mortuum æstimantes, viuus tamen per Dei gratiam inuentus & delatus Carcassonam, tandem sanatus est, abbate & conuerso in maiore Ecclesia ciuitatis eiusdem, honore quo decuit tumulatis. Sane vitam abbatis & meritum ostendit latens ad caruem cilicium in obitu patefactum Porro in quodam oppido erant præter indigenas capellanus vnus, milites sex multa

Giraudus de Pipio. præditi probitate cum seruientibus quinquaginta. Erat eis vicinus quidam de indigenis potens nimis Giraudus de pipio, qui nostris dexteras dederat, ab eis in familiaritatem receptus. Hic ipsa Dominicæ Natiuitatis die postera, tamquam proditor & periurus cum armata multitudine repente irruit in incautos Cumque non posset eos ad libitum obtinere, blandis promissionibus de munitione arcis in qua continebantur, eos extrahere procurauit, iuramento se obligans, quod cum armis & equitaturis totisque mobilibus liberos abire permitteret, & vsq; ad suos secure conduceret. Eadem nocte ad mensam eos propriam recepit, sed post mensam, Iudam illis alterum se ostendit. Nam cunctis tam militibus quam seruientibus capellano etiam primo rebus omnibus spoliatis, in turris imo deposuit vniuersos, postmodum autem eductis militibus cæteris, ibi capellano & seruientibus derelictis ignem & paleas lignaq; quam plurima superiecit desuper, clamantibus eius ministris & B. Mariæ crebrius exprobrantibus in hunc modum, ah me-

Blasphemia in B. Virgin. dei genitricem. retrix Domina Sancta Maria. Post paululum iterum super turriculam ascendentes, explorant vtrum miseri animas exhalassent, quos cum nec dum mortuos inuenissent, ignem iterum cum lignis & paleis iniecerunt Beatam Virginem iteratis blasphemijs impugnantes, Hi itaq; huiusmodi ludibria experti & tormenta, in vinculis & carcere triduo per-

Catholici a flãmis minime læsi. manserunt, ignis quidem attacti incendio, sed non vsti. Nam virtus altissimi obumbrauit illis, & B. Mariæ virginis castitas fuit illis in velamento diei, & in vmbraculo caloris ab æstu. De seruientibus quidem sic. Porro milites quos ad explendam sæuitiam reseruarant, captiuos adducunt, duos ex illis cæteris præeminentes eductos extra castra pœnis & iniuriis Christum Dominum fidemq; catholicam abnegare compellunt.

pellunt. Tandem persistentes in fide pollicibus propriis exoculant, auriculas radicitus amputant, nares insuper & labium superius detruncantes, semineces reliquerunt, quorum altero nimietate doloris extincto, alter viuus repertus est. Deniq; Fuxensis comes non princeps sed proditor perfidus & periurus, rupto fœdere quod nostris fecerat, filioque proprio quem vnicum habebat obside derelicto, reuersus est ad vomitum, hæreticam prauitatem catholicæ præferens puritati. Castrum quoddam fortissimum, quod quorumdam puerorum nobilium fuerat custodiæ mancipatum, inuasione clandestina indigenis eum recipientibus subintrauit. Pueros autem qui munitiones arcis obtinebant, primo blandicijs attentans extrahere sed non valens, tandem inedia compellente obtinuit, prius tamen præstito sacramento quod eos cum omnibus suis vsq; ad suos conduci faceret liberos ac securos. Sed proh dolor cum eius præsentiæ fuissent oblati, præcepit eos ilico iugulari. Cabaretum præterea castrum inexpugnabile non procul à Carcassona situm, vbi plures ex his quos perfectos vocant confluxerant, nostris erat inuisum penitus & infestum. Tot & tantis obsitus angustijs, princeps virtutis, Simon de monte-forti fide munitus & armis, viriliter agebat in omnibus fideles fouens & protegens, & fidei inimicos omnimodis execrans & insectans. Anno Domini 1210 grandis iterum fit motio nostrorum tam episcoporum quam procerum & vulgarium. Erat enim peregrinatio ista celebris & votiua, tum propter zelum fidei fidelium animis accensum aduersus fidei corruptores, tum propter pœnitentiarum remissionem à sede apostolica repromissam. Accedentes igitur adunato exercitu, Minerbiam obsident castrum munitissimum non longe à Carcassona situm & nostris infestum, obsessi deniq; ad deditionem se offerunt: cumque daretur omnibus optio vt qui ab hæresi resipiscerent immunes euaderent, reperti sunt vsque ad 180 circiter qui maluerunt incendio concremari, quam ab hæretica prauitate conuerti. Obstupuerunt videntes tam irreuocabilem miserorum peruicaciam, qui rationis obturbato iudicio, nec monitis salutaribus cederent, sed ad supplicium spontanei festinarent. Nec est vlli fidelium vllatenus ambigendum quin tales diaboli martyres post temporalem flammam, statim transeant ad æternam. Ad aliud deinde castrum obsidendum accedunt, quod Terminos non Termas vocant accessu difficile, in rupe prominenti superiectum, & quod vel petrarijs vel aliquibus vix posset machinis expugnari. Illic ergo multis diebus detenti sunt. Signum quod interim accidit non debet sileri. Cum enim ad implenda fossata contenderent, peregrinus quidam ramalia collo deferens, in fossatum proiecit, vnus de balistarijs castri hoc intuens, intorquet spiculum de balista, peregrinum ferit vbi signum crucis gerebat in pectore, spiculum tanquam in saxum percutiens longius resilit repercussum. Peregrinus præ stupore concidit, sed consurgens nullam in se conspicit vel diruptionem vestis, vel corporis læsionem. Accurrunt & mirantur omnes videntes incolumem, quem æstimauerant pro-

Pueri arcis custodes immanissime iugulati.

Peregrinatio frequentissima.

Mira hæreticorũ peruicacia, bis flãmas, bis ignem passurorum.

Stupẽdum miraculum

ſtratum ad mortem. Fuit hoc ſignum eo certius, quo celebrius. Multa quidem & ſigna alia cælitus contigerunt, quæ tamen nos prætcrimus, dum breuitati ſtudemus. Prædicti caſtri habitatores, longæ obſidionis pertæſi, noctu tentantes fugere, ſed à noſtris excubantibus comperti intercipiuntur, & quotquot reperti ſunt gladijs obtruncantur. Otto imperator Innocentium papam, quia ſe excommunicauerat omnimodis inquietat, caſtra eius peruadit & diripit, & ad regnum quoque Siculum peruadendum contendit, & ſic inuicem euentu vario & longa concertatione confligunt. Henricus Conſtantinopolis imperator, exercitu congregato græcias peruagatur, reſiſtentes ſibi ſubijcit, ſubiecta pacificat, & ditionis ſuæ terminos circumquaq; dilatat. Erant per idem tempus quidam ſcioli litterarum in Francia, ſed peſtilentis doctrinæ, clanculo diſcurrentes, & vana quædam & impia dogmata fideiq; omnino contraria latenter plurimis ſuſurrantes, & niſi præueniſſet eos virorum prudentium cauta ſagacitas, plures in baratrum perfidiæ demerſiſſent. Nam de communi epiſcoporum conſilio miſſi ſunt, qui actus eorum ſagaciter explorarent per quos comperti & detecti, captique & adducti, pariſius cuſtodiæ mancipantur. Erant autem numero 14 quorum erant aliqui ſacerdotes curam animarum habentes, quibus fecerat fauorem ad populum fucata ſpecies honeſtatis, & vitæ grauitas ſuperducta. Congregato igitur epiſcoporum concilio, aſſidentibus magiſtris pariſienſibus propalantur eorum ineptiæ, omniumq; iudicio reprobantur & iudicati hæretici exponuntur publicæ poteſtati, ex quibus decem traduntur incendio, reliqui quatuor murali recluſione damnantur. Affuit tali ſpectaculo innumerabilis hominum multitudo, nec ſine fructu hoc actum eſt, quia inde & area Domini mundata eſt, euentilando zizania, ne fidelium fruges corrumperent, & pleriſq; timor incuſſus eſt, & repreſſa temeritas ne nouis adinuentionibus inhærerent. Habuit autem initium hæc adinuentio profana verborum, à quodam nomine Almarico quem non longe ante defunctum iudicauerunt anathemate percellendum, feceruntq; corpus ipſius à tumulo erui & velut hoſtem fidei extra locum fidelium procul poni. Librorum quoque Ariſtotelis qui de naturali philoſophia inſcripti ſunt, & ante paucos annos Pariſius cœperant lectitari, interdicta eſt lectio tribus annis, quia ex ipſis errorum ſemina viderentur exorta. Anno Domini 1211 maiorum & minorum de Francia fit iterum grandis profectio aduerſus hæreticos Albigenſes, & coacto in vnum exercitu Lauallis oppidum obſident, omni genere munimenti firmiſſimum, ſed hæretica impietate omnimodis deprauatum. Nuſquam ſic euidens à fide diſceſſio, nuſquam ſic ritus catholicus videbatur abolitus. Hic ergo noſtri contra fidei hoſtes vehementer aſſultant, eoſque fortiter impetunt & coarctant: ſed interim dum in hac obſidione morantur, noſtrorum numeroſa caterua iuxta caſtrum quod mons gaudij dicitur, tranſiens intercipitur, & pro fide decertans ab hoſtibus fidei trucidatur. Ad declarandum eorum meritum, lux cœleſtis emicuit, & globus ignis ſuper

Otto imperator Papã oppugnat.

Impiæ doctrinæ ſatores per Fräciam diſcurrunt.

Scioli hæretici in rogũ mittuntur.

Libri Phyſici Ariſt. Lutetiæ legi prohibentur.

Catholici trucidãtur.

corpora prostratorum visus est descendere, videntibus hoc plurimis & hærentibus præ stupore. Aduenerunt episcopi, abbates & clerici ordinum diuersorum, ibique cœmeterium dedicant, & defunctorum fidelium corpora officiosissime curantes, ea qua decuit pietate sepeliunt. His ita gestis, habitatores Lauallis, dum nostrorum imperium ferre non sustinerent, ad eorum libitum sese dedunt. Nostri castro potiti, cunctis arma detrahunt, & in loco reponunt tutissimo. Reperti sunt circiter 74 milites qui omnes suspendio periere, vel gladio. Rogus ingens extruitur, datur omnibus optio, aut ab errore resipiscere, aut incendio deperire. Repertus est multus eorum numerus, quos erroris peruicacia sic tenebat, vt mallent comburi quam fidem catholicam profiteri, qui omnes se mutuo cohortantes, rogum accensum vltronei subierunt. Domina castri Girauda nomine, quæ de fratre vel filio se concepisse dicebat, proiecta est in puteum, & aceruus lapidum superiectus, victualium & opulentiarum quarumlibet immensa illic copia reperta est. Eodem anno apud vrbem Lemouicas, matrona quædam nobilis virum habens, graui infirmitate decumbens, occubuit, & peractis obsequijs sudario inuoluta, iuxta morem fidelium seruabatur, cum ecce subito de morte resurgens stuporem ingerit vniuersis dicens, beatam sibi apparuisse Mariam Magdalenam sibiq; tetigisse labia, seq; ita spiritum resumpsisse. Quocirca vt gratias referret in festo eiusdem Sanctæ Vizeliacum veniens, cum plurimo comitatu sudarium quo fuerat obuoluta detulit ad altare, secum adductis testibus plurimis tam suæ resurrectionis quam mortis. Raimundus Tholosanus comes cognito quod faueret & foueret hæreticos, cunctis ad diripiendum exponitur, tanquam refuga fidei & publicus hostis Ecclesiæ indicatus.

Eorum sanctitas miraculis indicatur.

Matrona mortua ad vitam reuocatur.

Raymundus comes hæreticorum fautor.

Hucusq; perduxit Cronica sua frater Robertus.

Currente adhuc anno Domini 1211 moritur venerabilis virgo Alpais de Cudot, de qua quoniam superius multa dicta sunt, hic eius obitum tetigisse sufficiat. In Hispania quidam presbyter nocte Dominicæ natiuitatis mulierem incurrit, cumque missam primam nec contritus nec confessus celebrare præsumpsisset, & peracto sacramento orationem Dominicam decantasset, subito columba cum impetu aduolans, rostro misso in calicem quod inerat totum absorbuit, & hostiam de manibus presbyteri rapiens, euolauit. Simile & in secunda missa contigit. Tunc demum presbyter ad cor suum reuersus, quendam discretum adijt sacerdotem, cui crimen quod commiserat deuote confessus, accepta pœnitentia reuersus est. In tertia igitur missa post orationem Dominicam, tertio columba redijt, & rostro misso in calicem, quidquid inde tulerat totum refudit, ac duas hostias ad pedem calicis deponens protinus euolauit. Hinc aperte colligitur, quanti meriti sit apud Deum deuota confessio. Ferrandus alienigena ex partibus portugalensibus accipit vxorem Ioannam iam nubilem, cui mortuo patre suo Balduino quem supradiximus imperatorem fuisse græcorum, hæreditario iure Flandrensis comitatus obuenerat.

Mirum de sacerdote qui peccati sibi conscius missam celebrabat.

Ferrandus Portugalensis.

Hoc autem apud regem Francorum, matertera Fertandi per pecunias vt dicitur procurauit quæ quondam in coniugium venerat Philippi illustris comitis Flandriæ. Anno Domini 1212 mense Iulio habita in Hispania miraculosa victoria de paganis, conuenerat enim cum rege Carthaginis multitudo maxima paganorum aduersum regem Castellæ Alphonsum, qui illustres reges Arragonum scilicet & Nauarræ in auxilium secum adduxerat, totam illam sarracenorum multitudinem in virtute Christianæ fidei confecit. Significauit ergo per literas idem Alphonsus Domino Innocentio papæ belli totius euentum & victoriæ veritatem, asserens quod vix inuenti sunt cecidisse viginti quinq; homines aut ad plus 30 de exercitu christiano, cum ex parte aduersa ceciderint plusquam centum milia paganorum. Asseruit etiam idem rex quod cum post bellum in castris gentilium moraretur cum suis, ad omnia quæ coquenda erant non alijs lignis vsi sunt Christiani, quam sagittis & lanceis paganorum, & in illis vsibus non plus quam medietas est consumpta. Cumq; exercitus Dei in victualibus & alijs fere deficeret, propter longam moram factam in locis desertis, ibidem tantam inuenerunt ciborum armorum dextrariorum & aliorum iumentorum copiam quod accipientes singuli pro sua ex his omnibus voluntate plus reliquerunt ex magna abundantia quam cœperunt. Fuerat enim numerus Sarracenorum qui venerant in prælium, centum octoginta quinq; milia equitum, peditum vero non erat numerus, prout ex vera relatione ipsorum qui capti fuerant est compertum. Post paucos dies in captione Ybede quæ est ciuitas magna munita & fortis perierunt 60 milia paganorum, quorum quidam occisi sunt, quidam viui retenti in obsequium Christianorum & monasteriorum quæ fuerant in Marchia reparanda. Hoc anno nimia fuit siccitas, nec tamen caristia fuit panis aut vini seu fructuum. Eodem anno moritur fœlicis momoriæ frater Robertus. Hic egregie literatus sed eloquens erat impense, & in historiarum noticia, nulli temporis sui secundus. Sacram vero scripturam mirum in modum in promptu habebat, paratus semper omni poscenti reddere rationem ita quod mirabantur omnes de his quę procedebant de ore eius. Gratiosus & amabilis intuentium oculis apparebat, in ipso exteriori vultu, præferens interioris hominis puritatem. Metiebatur ex sua simplicitate alios, & totius suspicionis expers, contra pessimum illud vitium sæpius opponebat, quod Seneca dicit, amicum fidelem si credideris facies. Nam quidam docuerunt fallere, dum timent falli, & illi ius peccandi suspicando fecerunt. Zelo iustitiæ feruens, peccati genus quodlibet perfecto odio abhorrebat, sapientis consilio acquiescens dicentis. Nimis odito execrationem .i. peccatum quod est opus execrabile. Veruntamen peccatorem cōuersum quantumuis enormiter deliquisset, miro diligebat affectu, & affatu mitissimo refouebat, sciens nimirum quod vera iustitia compassionem habet, falsa vero dedignationem. Erat enim valde compatiens & super pœnitentes seu quolibet casu afflictos, pia gestans viscera. Satagebat per omnia seruare vnita-

Alphonsus Sarracenos debellat.

Dextrarij equi sunt Gallice destriers.

Numerosissima Sarracenorum acies.

Robert' auctor Chronici è viuis excedit.

Seneca illustris gnome in ore Roberti.

Qualis quā iustus vir fuerit Robertus.

tem spiritus in vinculo pacis, & discordiæ incentores persequi non cessabat, non ignorans quod iuxta Salomonis sententiam, illum Dei anima detestatur, qui seminat inter fratres discordias. Erat præterea verax & constans in verbis, strenuus in diuinis officijs, parcus & temperans in sumendis necessarijs, in consilio circumspectus, discretus in pœnitentijs iniungendis. Deniq; cum tot bonis moribus eniteret, admirandus tamen & imitandus extitit, maxime in duobus, videlicet in humilitate mentis, & corporis castitate, nam supra modum præ nimia humilitate, corporis sui negligens extitit & contemptor, & diuina se protegente gratia, virgo creditur obijsse. In diebus illis suscitauit Dominus inimicum Othoni, qui dudum ob multiplices suos excessus ab Innocentio papa sententiam depositionis exceperat. In tempore enim illo, anno scilicet quinto decimo post mortem imperatoris Henrici venit latenter in Theutonicam Fredericus Appulus adolescens, filius ipsius Henrici & Constantiæ reginæ Appuliæ. Hic igitur Fredericus ab Innocentio papa missus est ad Archiepiscopum Magontinum, a quo & à quibusdam alijs tam episcopis quam principibus venerabiliter est susceptus, cumq; postmodum venisset apud vallemcoloris quod est castrum Lotharingiæ, super fluuium Mosam situm, rex Francorum Philippus misit illuc cum multis regni sui hæredem & filium Ludouicum vt mutuam hinc inde confœderationem inirent, in depressionem Othonis. Firmata est igitur iuramento confœderatio inter eos, cumq; recessissent ab inuicem Fredericus apud Magontiam coronam regni Theutoniæ in festo B. Nicolai suscepit. Anno Domini 1213. 7 Idus Aprilis Philippus rex conuocata apud Suessionem multitudine procerum regni sui, habuit tractatum cum eis de exercitu ducendo in Angliam, aduocauerant enim eum proceres Anglicani, vt veniens pugnaret bella Domini, vltionem sumpturus de rege eorum facinoroso Ioanne, qui prę̨ter impuritates & tyrannides multas quas fecerat, per quinq; annos & eo amplius & se excommunicari & regnum suum permiserat interdici, ob causam superius memoratam Post Pascha autem cum rex Francorum & principes sui magnam multitudinem nauium præparatam armis & alijs victui necessarijs onerassent, præuenientes quidam docti ad nauale prælium missi à rege Angliæ sine multo conflictu multitudinem illam nauium fere totam, nunc multas, nunc plures tandem septingentas insimul abduxerunt, præcipuus vero actor & dux eorum in nauibus abducendis, fuit Reignaudus comes Boloniæ: Hic a facie regis Francorum fugiens, tunc cum rege Angliæ morabatur, sed post, cum Ferrando comite in Flandriam nauigauit, paucas autem naues quæ remanserant apud Dam, qui est portus Flandriæ, vnde abductæ fuerant septingentæ, iussit rex in ira & indignatione comburi. Sed & villam ipsam quæ in porta est distans à Brugis per leugam iussit tradi incendio, eo quod incolæ loci ipsius, comperti sunt irruentes Anglos ad hoc nutibus & signis consilijs adiuuisse vt tenerentur & Franci qui apud eos pro custodiendis nauibus morabantur. Rex igitur proposito

Duabus potissimum virtutibus insignis.

Fredericus Appulus.

Vallis coloris castrum Lotharingicum.

Fredericus Rex Theutoniæ consecratur.

Reignaud⁹ comes Boloniæ.

Dam port⁹ Flandriæ crematur.

nauigandi in Angliam intermisso, & acceptis ex ciuibus Flandriarum obsidibus remeauit in sua. Porro Ferrandus perditis duobus castris, Sancto scilicet Audomaro & aria quæ filius regis occupauerat Ludouicus, perdita etiam beniuolentia regis, eo quod à rege Anglorum donaria sibi missa receperat, fugit in Angliam, & confœderatus eidem, reuersus totam fere Flandriam sine multo labore recepit, licet rex in sua remeans ex ea vt diximus secum obsides abduxisset. Facta est igitur magna concertatio inter regem & ipsum, fouente eum rege Angliæ, qui ei in vsus guerræ procurabat expensas. Per idem vero tempus, quo disponebat rex nauigare in Angliam, recepit in gratiam & in coniugales affectus legitimam suam Isburgem reginam quæ per annos 19 repulsa, multo tempore apud Stampas in tenui victu & arcta custodia transegerat dies suos. Pauci postea euolutis diebus in ipsa scilicet ætate, Stephanus Cantuariensis Archiepiscopus permissus est venire in Angliam, & fungi in omnibus sibi debita dignitate, vexatio namq; dederat regi Angliæ intellectum, vt intelligeret tandem quod odio esset omnibus, tum propter vitam impuram qua seipsum polluerat, tum propter sæuitiam multam quam exercuerat in subjectos, tum propter excommunicationis & interdicti sententiam, quam per quinque annos passus fuerat, & se regnumq; suum inuolui. Vidit enim quod ad suggestionem suorum, parata esset militia gallicana, vt ad punienda scelera quæ committere non expauit, faceret irruptionem in Angliam, & eum à dignitate regia, & à regno tanquam infidelem, flagitiosum & impium exturbarent. Timuit ergo timore magno, videns se omnibus auxilijs destitutum, cernens igitur manifeste quod iam erat in periculo honor suus, vniuersis quos læserat satisfecit Placauit sibi Papam muneribus, Principes mansuetudine, Archiepiscopum indulgentia reuertendi. Obtinuit à Papa à vinculo excommunicationis absolui, recognoscens & accipiens regnum suum ab eo, mille Marchas in recognitionem annis singulis soluturus, septingentas scilicet ex Anglia, trecentas ex Hybernia quam sibi excommunicationis suæ tempore subiugauit. Factæ sunt igitur duæ insulæ Anglia scilicet & Hybernia de feodo S. Petri. Porro pridie Idus Septembris sequentis, feria scilicet quinta infra octauas natiuitatis B. Mariæ commissum est bellum inter hæreticos & fideles apud Murellum quod est castrum non longe à ciuitate Tholosa, fauerant autem Tholosani hæreticis, habentes secum Petrum regem Arragonum, qui venerat in adiutorium sororij sui scilicet comitis Tholosani. Displicuit igitur Domino via eius eo quod hæreticis præberet auxilium, & eorum protectori amicitia iungeretur. Vnde cum ipso conflictu bellico multi hæreticorum occumberent, & ipse occubuit inter multos, & cum eorum qui ex parte infidelium ceciderunt multitudo fuerit magna valde, ex parte fidelium, vnus tantum miles repertus est cum paucis alijs cecidisse. Eodem anno venit rex Ioannes ab Anglia, & applicuit cum multitudine copiosa in partes Pictauiæ, contra quem Philippus rex misit filium suum Ludouicum cum

Ferrandus Flandriam in suam potestatem reducit.

Rex Angliæ omnium scelerum libidinumq; maculis nominatissimus.

Rex Angliæ excommunicationis vinculo exoluitur

Prælium commissum apud murellum castrum.

multis, ipse vero collectis viribus comiti Flandriarum Ferrando & eius fautoribus resistebat. Anno Domini 1214 pridie nonas Iulij die Dominica laxatum est interdictum cui subiecta Anglia fuerat per sex annos & menses tres. Anno etenim praecedenti cum rex ab excommunicationis vinculo obtinuisset absolui, non permisit clerus interdictum laxari, donec de ablatis sibi omnibus quadrans vltimus redderetur. Sed rex à sede apostolica impetrauit, quod infra quinq; annos singulis annis quandam certam summam pecuniae restitueret spoliatis; donec ablata omnia soluerentur. Eodem tempore scilicet quarto nonas Iulij venit Valentianas in auxilium Ferrandi Otho, qui pridem fuerat imperator, commiserunt igitur bellum cum rege Francorum Philippo die Domiuica 6 Cal. Augusti non longe à ciuitate Tornaco iuxta villam quam Bouinas appellant. Sed victoria cessit regi Francorum, dicto Othone per fugam elapso, & captis in conflictu bellico viris centum & 40 nobilibus, inter quos erant 4 comites ipse scilicet praecipuus actor belli Ferrandus Flandrensis, Reignaudus Boloniensis, Guillelmus Salisberiensis, & quidam alius qui stipendia sequens venerat cum Othone. Ipsa die prope Senonis, villa quae dicitur Pons super Icaunam fulmineo igne consumitur. Rex igitur in sua remeans, Reignaldum comitem Boloniensem reliquit Peronae in arcta custodia compeditum, Ferrandum cum alijs secum ducens Parisius, vbi exceptus est cum triumpho, inde quia in Pictauiam properabat contra regem Anglorum in breui reuertitur, firmatis treugis vsq; in quinquennium inter eos. Porro rex Siciliae Fredericus Appulus, de quo supra, qui in partibus Suauiae morabatur, audiens quod aemulus suus Otho, à partibus Flandriarum sine victoria remeasset, uenit & obsedit cum multo exercitu Aquisgranum, vt cum capto castro coronam regni Germanici gestasset ibidem, inde romam properans imperiale susciperet diadema. Sed cum multis diebus sedisset ibidem, nec posset frequentes incursus, aut famen vlterius sustinere, cum multo exercitus sui damno vix in propria se recepit. Anno Domini 1215 insurrexerunt in regem Angliae proceres regni sui, qui eum pro quibusdam consuetudinibus quas obseruari volebat, grauem sibi & importabilem perhibebant, fauit autem magnatibus plebs pedestris, manus scilicet rusticana, sed & plurimae ciuitates, siquidem propter victoriam Othoni apud Bouinas à Domino denegatam defecerunt interim ab eius auxilio viri multi, vnde factum est, vt fortunae cedens terra Saxonum patrimonio scilicet suo contentus degeret ibidem priuatus. Illo igitur sic cedente, aemulus suus Fredericus Appulus Aquisgranum reuertens vnde ipso anno negotio infecto recesserat, castrum sine multa difficultate obtinuit, vbi octauo Cal. Augusti in regem Germaniae sublimatus, mox ne de honore percepto Deo ingratus existeret signum crucis assumpsit, in subsidium terrae sanctae cum alijs profecturus. Porro mense Septembri, passi naufragium submersi sunt viri multi nobiles tam Brabantij quam Flandrenses, volentes transire in Angliam in auxilium regis, qui profusa sti-

Otho suppetias tulit Ferrando.

Pons supra Icaunam caelesti igne absumitur.

Aquisgranum obsidetur.

Primates Angliae in regem insurgūt & rebellant.

Fredericus ad Germanici regni gubernacula euehitur

pendia venientibus promittebat. Lætati sunt aduersarij regis super interitu submersorum, & ad rebellandum vehementius animati, asserentes nimirum quod esset manifeste manus Domini contra regem. Timentes tamen ne possent ei vsq; in finem resistere, Ludouicum primogenitum regis Francorum de ferendo sibi auxilio per internuntios conuenerunt, promittentes ei expulso rege, totius Angliæ monarchiam. Qui acceptis obsidibus ab eisdem, militum eis multitudinem destinauit. Eodem anno Robertus S. Stephani in monte Cœlio presbyter Cardinalis, cum iam fere per biennium ob negotium crucis Franciam peragrasset, & propter temeritatem suam omnibus se fecisset exosum, tandem concilium apud Bituricas conuocauit, Tunc Episcopi Franciæ appellarunt, viri improbi impetum formidantes, quem postea Romæ in generali concilio vehementissime reddidere confusum, adeo quod Dominus Papa multiplices dicti Cardinalis excessus à prælatis Franciæ sibi petijt relaxari. Ipso anno mense Nouembri præsidente Domno Innocentio Papa tertio, pontificatus eius anno 18 celebrata est sancta & vniuersalis synodus Romæ in Ecclesia Saluatoris quæ Constantiniana vocatur, in qua synodo fuerunt Episcopi 412, inter quos extiterunt de præcipuis patriarchis duo, videlicet Constantinopolitanus & Ierosolymitanus, Antiochenus graui langore detentus venire non potuit, sed misit pro se vicarium Andandensem Episcopum. Alexandrinus vero sub Sarracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit mittens pro se diaconum germanum suum. Primates autem & Metropolitani 71 cæterum Abbates & Priores vltra octingentos. Archiepiscoporum vero Episcoporum, Abbatum, Priorum & Capitulorum absentium non fuit certus numerus comprehensus. Legatorum vero regis Siciliæ in romanorum imperatorem electi, Imperatoris Constantinopolitani regis Ierosolymitani, regis Franciæ, regis Cypri, regis Artagoniæ, regis Angliæ, regis Hungariæ necnon & aliorum principum & Magnatum ciuitatum aliorumq; locorum ingens affuit multitudo. Porro in ipso Concilio multam inuenerunt gratiam apud dominum Papam, Abbates ordinis nostri Præmonstratensis, primum fuit quod dominus Papa contulit ordini nostro Ecclesiam S. Quirici quæ est in diœcesi Reatina, amotis inde monachis, qui male viuendo in vsus extraordinarios dilapidauerant bona loci. Secundum, quod idem Papa quitauit ordinem nostrum à vicesima quam in subsidium terræ sanctæ vsq; ad tres annos annuatim soluendam, à cæteris Ecclesijs collegiatis siue conuentualibus exigebat. Sane mense Decembri circa octauas B. Andreæ venerunt Londonias milites missi à Ludouico in auxilium eorum qui in Anglia coniurauerant contra regem, præoccupauerant etenim ciuitatem conspiratores prędicti, cum adhuc pateret ciuitas vniuersis, nec ex pręcepto regio aduersantibus clausa esset. Vnde factum est vt suos in ea fautores reciperent & exinde suos circa se terminos dilatarent. An. domini. 1216. venit circa Cal. Maij Parisius vir illustris Simon comes montis fortis qui infra 8 annos ita fauente domino pręualuerat aduersus hæreticos

Robertus cardinalis concilium conuocat.

Synodus œcumenica celebratur.

Legati principum ad Synodum destinati.

Ordo Præmonstratēsis auctus & propagatus.

Simō comes mōtisfortis

sus hæreticos in prouincia Narbonensi, vt debellaris illis ip se se scriberet in litteris suis vicecomitem Carcassonæ & Biterris, & ducem Narbonensem. Veniens vero per singulas ciuitates vel castella cum mira deuotione tam cleri quam populi nec non & solemni processione susceptus est. Venit autem contra Arragones auxilium petiturus, a quibus propter necem Petri regis Arragonum, graues sustinebat insultus. Venit etiam de re hæreditaria ac familiari disponere, pro eo quod in fata concesserat Amicia mater sua. Igitur infra paucos dies, circiter 120 milites ex Francia secum ducens. Eodem tempore & eisdem diebus venit Parisius Gualo S. Martini presbyter Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, qui diligenter monuit tam Ludouicum vt a sua præsumptione desisteret, quam patrem suum regem Francorum, vt filio transitum dissuaderet, denuntians eis excommunicationis sententiam, quæ iam in Concilio lata fuerat, in omnes regi Angliæ aduersantes. Cumq; nihil proficeret, licet dictus comes Montis Fortis pro bono pacis laboraret medius inter eos, nauigauit in Angliam compositurus si fieri posset inter regem & principes. Igitur nauigatione peracta feria 6 in crastino Ascensionis Dominicæ 13. Cal. Iunij circa horam nonam à portu Flandriæ quem Calais dicimus, aggressus est nauigium Ludouicus anno ætatis suæ 29, regni vero patris sui 37. Recreatus autem in Insula Thaneth, post ægrotationes plurium & labores; sequenti secunda feria apud Sanduis portum scilicet Australem nemine sibi resistente, Angliam est ingressus, disparuit etenim rex Anglorum qui prope portum consistens cum multitudine copiosa, videbatur paratus terra & mari occurere classi ac miliciæ gallicanæ. Ludouicus vero ab his qui eum aduocauerant iocunde & reuerenter exceptus, ab eis hominium & fidelitatem accepit. Rex autem inter mala omnia quibus vndiq; premebatur eneruiter se agebat, cuius vice & loco Cardinalis prædictus pugnauit vt potuit, gladium Petri quem solum habuit euaginans. Omnium enim qui adhæserant Ludouico, subiecit & interdicto terras, & excommunicationi personas. Porro 3. Idus Iunij apud Thessalonicam moritur Constantinopolitanus imperator Henricus imperij sui 12 agens annum, & Petrus comes Antissiodorensis defuncti Imperatoris sororius, vir fide & armis strenuus in Imperatorem eligitur. Porro 17 Cal. Augusti moritur apud Perusium Tusciæ ciuitatem, Innocentius Papa 3 literatura clarissimus, & facundiæ singularis, sedit autem in episcopatu annis 18 mensibus 5 diebus 4 successit autem ei infra paucos dies Honorius Papa 3 ibidem electus & promotus in papam, qui prius SS. Ioannis & Pauli presbyter Cardinalis suo nomine Cinchius dicebatur. Sed & rex Anglorum Ioannes 15 Cal. Nouembris moritur cui successit filius suus Henricus puer decennis. Currente adhuc anno Domini 1216 circa intrantem Martium reuersus est in Franciam Ludouicus, passus tamen sed & vltus Anglorum insidias in recessu. Anno igitur Domini 1217. congregata multitudine tam pecuniarum quam militum, præter turbas pedestres quæ eum ob

Hic desunt pauca.

Gualo Cardinalis Lutetiam venit.

Caletũ portus Flãdriæ

Interdicto & excommunicatione feriutur fautores Ludouici Regis.

Innocẽtius 3. decedit.

Ioãnes angliæ Rex obit.

ſtipendia ſequebantur, poſt Paſcha remeauit in Angliam. Reuerſus ergo obſiſtentibus ſibi grauiter imminebat, ægre nimirum ſuſtinens & indigne, quod ex nobilioribus quidam in abſentia ſua, relicto eo in partem regis tranſierant. Honorius Papa 3 conſecrat Petrum comitem Antiſſiodorenſem in Imperatorem Conſtantinopolitanum & Yolem vxorem eius in Imperatricem, Dominica qua cantatur miſericordia Domini, in monaſterio S. Laurentij extra muros. Nona die conſecrationis, recedit Imperator ab vrbe cum vxore & 4 filiabus ducens ſecum milites circiter 160 ſeruientes tam equites quam pedites quinque milia & quingentos, & omnis illa multitudo incedit ſecundum quod exterior prædicat habitus annis, armis & animis ad pugnam elegantiſſime preparata. Imperator cum ſuis, Ioannes de columna preſbyter Cardinalis Apoſtolicæ ſedis Legatus in Romania & Veneti conueniunt apud Brunduſium, ſtatimq; mari tranſito vrbem Dirachium obſidet Imperator, promiſerat autem Venetis & literas inde cōfecerat ob quaſdam interpoſitas pactiones, quod dictam vrbem quam ſibi querebantur, olim violentia ducis ablatam, eiſdem protinus reſignaret, ſi ſibi capiendi eam à Domino copia præſtaretur. Igitur multis diebus inutiliter in obſidione conſumptis: non ſine ſuorum diſpendio obſidionem deſerit Imperator. Poſt hæc nutu Dei cuius iudicia abyſſus multa terram cum ſuis ingreditur Tyranni cuiuſdam qui Theodorus communiter vocabatur, & dux erat dictæ ciuitatis Dirachij. Poſt aliquot vero dies, inter montes nemoroſos & fluuios ad meandum difficiles conſtituti, copia victualium & eorum acceſſu indigenarum malicia iam excluſo, conſiderantes quaſi mortem in ianuis, decernunt finaliter congredi cum Theodoro & ſuis qui eos cominus inſequuntur. Theodorus ergo videns imminere tempus quo concepta impietas in animo, partum prodire poterat actionis, loquitur ſecretius cum Legato pacem affectare ſe ſimulat, pollicetur Imperatori & ſuis ſecurum conductum, & competens forum victualium, dummodo eorum arma penitus deponantur, Firmata igitur pactione, per ſimulatorum iuramentum, & per alterum oſculum Iudæ, ſuadente legato qui rem verius agi credebat quam concipi ſimulate, arma depoſita hoſtibus committuntur. Paulopoſt ſeruientibus paululum ſegregatis Imperator & milites vniuerſi, Legatus, Archiepiſcopus Salonenſis, VVilelmus comes Sacricæſaris & alij nobiles per diuerſa loca carceribus recluduntur, Seruientes velut oues gregatim ducuntur ad loca deuia, & nudati veſtibus atq; omnibus bonis, ſoli fortunæ miſerabiliter exponuntur. Circa hos dies accidit apud Lincorniam Angliæ ciuitatem, vt illuſtris adoleſcens Thomas comes Perticenſis Anglorum gladio cum multis alijs occumberet. Quo Ludouicus audito & tactus dolore cordis intrinſecus, incenſis machinis apud Douoram quam in diebus illis obſederat, tranſtulit Londoniam ſe & ſuos, cumq; pluries tentarent plurimi vt ei ex Francia ſubuenirent, tandem circa octauas Aſſumptionis, quidam magni & honorati viri in auxilium cum manu valida venientes, quoſdam

Petr⁹ comes antiſſiod. Impera. cōſtantinop. coronatur.

Dirrachiū obſidetur.

Obſidio deſeritur.

Theodori callidū ſtratagema.

VVillelmus com. ſacri Cæſaris.

Thomas comes anglus ferro interimitur.

ex Anglis in mari obuios habuerunt, consertoq; nauali prælio capti sunt nobiles, reliquis omnibus interfectis ibidem, præter paucos qui se fugæ præsidio saluauerunt. Deniq; in exaltatione S. Crucis vel circiter, cum iam cœpisset Londoniarum ciuitas famis incommodo laborare, habito diligenti tractatu de pace circa quam prædictus Cardinalis efficaciter satagebat, concessum est Ludouico cum suis omnibus remeare: prius tamen præstito iuramento quod staret mandato Ecclesiæ & quibusdam alijs conditionibus interpositis, quarum mysterium reuerentes, nec dum curauerunt omnibus reuelare. Parata ergo nauigatione pro reditu feria 6, 4 scilicet Cal. Octobris est reuersus in Franciam currente iam anno ætatis suæ 31. Circa dies illos venit in Franciam vxor illustris comitis Symonis Montis Fortis contra hæreticos auxilium petitura. Ita enim arctauerant virum suum comes Tholosanus & vltores mortis regis Arragonum qui in manu valida venerant contra eum, vt perditis quibusdam castris cum ipsa vrbe Tholosa quam potenter possederat, vix spem haberet de reliquo retinendo, nisi succursus ei celeriter præstaretur. Turres Ecclesiæ S. Stephani Antissiodorensis, miraculose sine alicuius hominis læsione corruunt, hora nona Dominica aduentum Dominicum præcedente, Ipso anno fit ventus vehementissimus, qui multas Ecclesias & domos euertit, & arbores infinitas euulsit. Anno Domini 1218. Symon comes Montis Fortis dum Tholosam obsidet, ictu petrariæ percussus moritur, vir fide & armis strenuissimus ac perpeti dignus memoria. Hic ex eo tempore quo primum cœperunt Franci in partes Albigensium proficisci, ad exterminandam hæresim qua infecta fuerat Narbonensis prouincia, numquam præter semel in Franciam est reuersus. Semper enim satagebat impuram hæresim extirpare & Christianæ fidei terminos dilatare, licet alijs reuertentibus ipse ibi cum multo labore & periculo moraretur. Fuit autem Dominus cum eo, quia omnia eius opera dirigebat, per manum ipsius hæreticos exturbando. Misit enim Dominus singulis annis tam ex Francia, quam ex alijs terris in adiutorium eius multos, qui ex deuotione propria assuerunt sibi in pectore signum Crucis, vt venientes starent cum eo contra hostes fidei ad minus 40 diebus, propter indulgentiam à Sede Apostolica ei factam. VVilhelmus quondam Bituricensis Archiepiscopus, cum iam diu miraculorum gloria claruisset, canonizatur a Papa Honorio & Sanctorum cathalogo sociatur. Eodem anno de diuersis mundi partibus tam episcopi quam Barones, militum & vulgarium numerus infinitus, Cruce signati Ierosolymitanum iter arripiunt. Mense Octobri vineæ & infinitæ arbores gelu licet modico ita exustæ sunt, quod exustionem eiusmodi nemo tunc viuens se vidisse & audisse assereret. Herueus comes Niuernensis, mari transito cum multo nobilium comitatu, circa festum apostolorum Simonis & Iudæ applicat Damietam. Est autem Damieta ciuitas secus ripam Nili [illegible] valde commodo posita; & inter metropoles Ægypti, nobilis plurimum & antiqua. Sane Ioannes rex Hierusalem & vir potens strenuus

Londonia fame pressa pacis pactionem init.

Turres Ecclesiæ Altiss. sponte nullo impellente collabuntur.

Symon comes Mõtis fortis occũbit.

Symon hæreticorum osor & hostis capitalis.

VVilelmus Bituricensis Archiepiscopus ab Honorio diuorum collegio aggregatur.

Ioannes rex hierusalem.

ac fidelis Dux Austriæ, ad hanc singulariter oppugnandam cum valido exercitu mense Mayo accesserant, cæteris paganorum vrbibus prætermissis. Dicebant enim omnes ex sententia, quod si dicta ciuitas capi posset, facilis foret totius terræ sanctæ subiectio. Deo autem fauente res eo vsq; deuenerat, quod nostri licet cum nimio labore nec sine strage multorum, turrem iam cœperant in alueo fluminis sitam, erectam singulariter & ad sui præsidium quibusque necessarijs sufficienter munitam. Porro quia multi de populo placuerunt Domino, præmisso triduano ieiunio quod clerus in pane & aqua seruauit, & multis processionibus factis tentari meruerunt. Nam in vigilia S. Andreæ apostoli intumuerunt fluctus maris, crescentes & excursus facientes vsque ad castra fidelium, ab alia parte fluuius inundans illos occupauit incautos, vnde nauium & victualium damna non modica pertulerunt, durauit autem hæc tempestas per triduum continuum. Inuasit præterea dolor repentinus quorumdam pedes & crura, & coniunctim caro corrupta, gingiuas & dentes obduxit, mastigandi potentiam auferens, tibias horribili nigredo fuscauit & sic longo tractu doloris afflicti, cum multa patientia migrauerunt ad Dominum. Plurimi siquidem vsq; ad tempus vernale durantes, beneficio caloris euaserunt liberati. Sane in festo S. Agathæ virginis pater misericordiarum & Deus totius cõsolationis, nostris in obsidione positis conferre dignatus est victoriam gloriosam. Cum enim parati essent nostri vt fluuium transirent causa obsidendi vndique ciuitatem, Soldanus & sui qui cum multo exercitu supra marginem fluuij fixerant castra sua, diuino terrore perterriti ante lucis auroram in fugam conuersi sunt, castra sua relinquentes quod quidam apostata, qui cum Soldano diu militauerat, nostris insinuauit. Summo igitur diluculo cum inchoatum esset officium diei festi per oratoria Christianorum *Gaudeamus omnes in Domino*, gaudio plenum, à Domino factum miraculum, regi, legato & alijs nunciatur. Itaque fugientibus Ægyptijs, nostri certatim & alacriter fluuium transeunt nemine resistente castra fugientium occupant, spolia eorum diripientes. Nocte sequenti multi bellatores territi propter inopinatum transitum fugierunt de Damietha, & sic per girum in crastino à nostris firmiter est obsessa. Eodem tempore mense Februario Philippus rex Franciæ fecit constitutionem hanc de Iudæis potestatis suæ. Nullus Iudæus ab octauis Purificationis B. Mariæ inantea mutuo tradet Christiano pecuniam qui proprijs manibus laboret, sicuti est agricola, sutor, pellipariius, Carpentarius & huiusmodi qui non habent hæreditates, vel mobilia vnde viuant nisi laborent proprijs manibus, nec debitum curret vltra annum à mutuo facto, & libra non lucrabitur per septimanam, nisi duos denarios. Item nullus Iudæus tradet mutuo monacho vel canonico regulari, nisi de assensu Abbatis & capituli sui cum literis patentibus. Item nullus Iudæus accipiet in vadium ornamentum Ecclesiæ aut vestimentum sanguinolentum, aut madidum, aut ferrum carrucæ, aut bladum non ventilatum. Eodem anno in die Palmarum Sarraceni

Tempestas grauis, triduana.

morbis infestãtur fideles.

Fideles rerum potiti.

Philippus Rex Galliæ edicta in iudæos promulgat.

collecto terribili & innumerabili exercitu, irruerunt super nostros, prælioque commisso ceciderunt hinc inde mortui & vulnerati multi, tandem fatigati retraxerunt se hostes, cum maximo damno. Per idem tempus Regina ciuitatum Ierosolyma quæ videbatur inexpugnabiliter munita, destructa est à Coradino filio Sefadini, foris & intus muri eius cum turribus redacti sunt in aceruos lapidum præter templum Domini, & turrim Dauid. De sepulchro autem glorioso destruendo consilium habuerunt Sarraceni, sed huic temeritati nemo præsumpsit manus apponere, propter reuerentiam loci. Sicut enim in alcorano libro legis eorum scriptum habent, credunt Dominum Iesum Christum de Maria virgine conceptum & natum, sine peccato vixisse, prophetam & plusquam prophetam, dicitur leprosos curasse, cæcos illuminasse, ac mortuos suscitasse, & ad cœlos ascendisse firmiter asseuerant. Vnde quando tempore Treugarum, sapientes ipsorum Ierosolymam ascendebant, codices euangeliorum sibi exhiberi postulabant, & osculabantur & venerabantur propter mundiciam legis quam Christus docuit, & maxime propter Euangelium Lucæ, Missus est Gabriel angelus, quod litterati inter eos sæpe repetunt & retractant. Lex autem eorum quam diabolo dictante ministerio Selgi monachi & apostatæ ac hæretici, Mahumetus Sarracenis dedit Arabice scriptam, à gladio cœpit, per gladium tenetur & in gladio terminabitur. Anno Domini 1219. Ludouicus filius regis Francorum cum copioso exercitu Crucesignatorum de cunctis Galliæ partibus iter mouet aduersus hæreticos Tholosanos, primumque castrum Millemandat ab hæreticis munitum, obsidet, impugnat. Deinde Tholosam tendit eamque obsidet, sed proditione vt dicitur interueniente inefficax redit. Post cuius reditum nostri à Tholosanis hæreticis solito audacioribus factis, multas molestias patiuntur, nonnulla castra amittentes quæ proditione quorundam, hæretici in suam redigunt potestatem. Eodem anno mense Augusto, Herueus Comes Niuernensis a partibus redijt transmarinis. Nostri vero in obsidione Damiethæ positi, tota æstate captioni ciuitatis per ingeniorum erectionem, & frequentem per terram & aquam, insultum vacauerunt, & cum prædictis nostri operam darent, Sarraceni agminibus factis & bellis ordinatis, in manu potenti eos impugnabant, & ita violenter quod semel eorum licias intrauerunt, quos militia templi quæ in toto negotio Damiethæ fidelis dignoscitur extitisse non potenter eiecit. Apposito etiam quod quandoque proximum fuit effectui, nostros Sarraceni reuocabant. Considerato itaque quod sine bello esset difficile tantum opus perficere, de communi consilio maiorum & minorum cum nauali & terrestri exercitu equitum & peditum, die Decollationis S. Ioannis Baptistæ nostri exeunt ad pugnandum contra Soldanum, verum quia tanquam nihil timentes, sed in fortitudine sua confidentes non proposuerunt Deum ante conspectum suum, nec cum lachrymis & deuotione, sed cum pompa & elatione, multi etiam propter lucrum & commodum temporale id agere præsumpserunt, propterea traditi

Sarraceni in christianos impetu faciunt.

Hyerosolima a Coradino euersa

Sarraceni quid de Christo credant.

Sapientes Mahumetanorum euangelia venerantur.

Selgi apostata & Mahumet authores sarracenæ legis.

Castrū Millemādat inuaditur.

Fideles Soldanū adoriuntur, signa cum eo conferunt.

in manus gentium & dominati sunt eorum qui oderunt eos. Nam Sarraceni qui prius fugiendo cesserant, videntes quosdam ex nostris romanos videlicet æstum solis ferre non valentes terga vertere, & mirum in modum non fugatos fugere, statim illos persequendo subsequuntur, & facto hinc inde congressu, multi de nostris cadunt, non tamen sine damno præcipuæ militiæ inimicorum. Tunc ex nostris capti fuerunt viri nobiles, electus Beluacensis, Galterus Camerarius regis Franciæ & quidam alij de francia potentes ac titulis militiæ gloriosi.

Victoria Sarracenis cedit.

Die illa Ioannes rex Hierusalem viriliter se habuit, erat enim armis strenuus, fide deuotus, prudentia clarus, in toto Damiethæ negotio fidelissimum se exibens seruum Christi, quem dominus die illa de manibus inimicorum crucis eripuit, igne tamen greco fere combustus fuit. Militia autem templi quæ prima fuit in congressu, vltima fuit in regressu: Sic nostrorum superbiam dominus oppressit. Propterea nostris inuitis vel ignorantibus quandoque ex parte terræ, quandoque sub aquis per fluuium multi ciuitatem ingredientes, non modicum his qui in ciuitate erant cōferebant solatium. Nostri vero rete magnum ex transuerso fluminis protendentes, facti piscatores hominum transeuntes Sarracenos capiebant. Iam vero omnibus fere attentatis quid amplius nostri facerent vix excogitare valebant, longe enim fortior erat ciuitas tunc quam in principio obsidionis. Dominus autem victoriam sibi soli reseruabat, meritum autem nostrorum laboribus non negabat.

Ioannes rex Ierosolymitanus multis nominibus prædicabilis.

His diebus Hyolis imperatrix Constantinopolis obit. Per idem tempus apud Viennensem prouinciam accidit res dolenda, elapsis namq; duodecim vel eo amplius annis in territorio Gratianopolitano, quidam riuus aquarum cursu concito decurrens inter duos mōtes habebat transitum angustum, qui ablutione aquę ad pedem excauati se inuicem concluserant nimia aquarum multitudine inclusa, quæ aquarum inclusio Sancti Laurentij stagnum vocabatur, eo quod monasterium quoddam Sancti Laurentij cum villa adiacente, sui innundatione submerserat. Præfato autem anno mense Septembri, vi aquarum sublatus est obex montium, vnde aqua solito cursu recupetato tanto cœpit impetu cum sonitu terribili effluere, vt tam audientibus quam videntibus terrorem incuteret & horrorem pariter. Celebrabātur tunc temporis apud Gratianopolim nundinæ, vnde multi mercatores qui ad eas conuenerant rapacitate aquę perierunt pręoccupati. Nec solum illa ciuitas, sed & alia quamplurima tam villæ quam oppida, grauissimam inde currere iacturam. Nam prædicta aqua Isaræ fluuio rapacissimo adiuncta, dum se in rodanum præcipitare nititur, pontes diruit, arbores euellit, castella ac villas subuertit homines & iumenta ac quæque sibi obuiantia cursu rapacissimo secum trahens. Nostrorum autem exercitum circa Damietham in tribulatione positum post miserabilem iacturam quam in die decollationis Sancti Ioannis Baptistæ receperant, dominus qui non obliuiscitur misereri nec continet in ira misericordias suas, qui etiam in tribulatione peccata dimittit, dignatus est consolari, luctum eorum

Hyolis Augusta interijt.

Mercatores qui ad nūdinas cōuenerāt aquis obruti.

Ingens & violenta aquarū proluuies.

conuertens in gaudium, & mœrorem in lætitiam. Nam cum pluries eos impugnassent Sarraceni & nihil profecissent, ad solita suæ prauitatis arma recurrentes, verbis fictis & fallacibus, nostros decipere rentauerunt. Nam Soldanus Babylonis ob amorem Damiethæ retinendæ, hanc formam pacis nostris obtulit, vt Crucem sanctam cum ciuitate & omnibus captiuis, qui per regnum Babylonis & Damasci possent viui reperiri, sumptus etiam ad reparandos muros Hierusalem redderet, & regnum Hierusalem totaliter restitueret, præter cratum & montem regalem quæ sunt duo castra ciuitati Hierusalem vicina, septem munitiones firmissimas habentia, per quæ negociatores Sarracenorum & peregrini ipsorum Mecham tendentes, vel ab ea reuertentes, transire solent. Hanc compositionem cum quidam acceptarent & alij renuerent, legatus cum patriarcha Archiepiscopis, episcopis, & omnibus Italiæ capitaneis huic tractatui se opposuit, rationabiliter ostendens ante omnia Damietham fore capiendam. Crucem vero sanctam nullo modo eos nostri credebant habere, cum Saladinus & alij sarraceni recuperata à nostris Achon ciuitate, quæsissent eam diligentissime, vt captiuos suos liberarent, & non potuerunt inuenire. Videns igitur Soldanus in laqueo quem nostris tetendit, se non posse proficere, nouos in ciuitate clanculo misit pugnatores, ex quibus nonnulli à nostris capti sunt & occisi. Proxima igitur secunda feria post festum omnium sanctorum de consilio Spiritus Sancti & solertia Legati, media nocte ad quandam portam ciuitatis missi sunt viri strenui, vt de gestu inclusorum explorarent, & cum neminem vigilem comperissent, scalis appositis muros ascendentes portas succenderunt, & quia paucos inuenerunt resistentes, impune ciuitatem occupauerunt. Sic dominus miraculose nostris tradens ciuitatem, gloriam suam alteri non dedit, quosdam ex nostris qui propriam gloriam quærebant & ideo contentiose inter se agebant super spolijs & participatione ciuitatis, hac gloria more suo priuauit. Capta est igitur Damietha Non. Nouembris absque deditione, sine defensione, sine violenta deprædatione in oculis regis Babylonis qui more solito non fuit ausus Christi milites per fossatum aggredi vt soli deo ascribatur euidenter victoria & vt manifesto diuini fauoris nostri lætarentur & confortarentur iudicio, cum timerent ne ipsis intrantibus ciuitatem circumstans sarracenorum exercitus castra inuaderet, eorumdem fluuius diuino nutu subito adeo inundauit vt inaccessibilia reddiderit castra ipsa, & manifeste patuerit quod pro Christicolis contra insensatos ipsa elementa pugnabant. Videns autem Soldanus captam esse ciuitatem, ingenti terrore concussus, cum dolore nimio & moerore fugiens, castra sua combussit. Ingredientibus autem nostris portas Damiethæ occurrit fœtor intollerabilis, aspectus miserabilis, mortui viuos interfecerunt, vir & vxor, pater & filius, dominus & seruus se mutuis fœtoribus interemerunt, infantes ad vbera matrum pendentes, inter amplexus morientium oscitabant, delicati diuites inter aceruos tritici perierunt. Plurimi autem ex illis aori-

Soldan' pacis cōditiones proponit.

Crux sancta.

Damietha inuaditur a fidelibus.

Soldanus mœrore tabescens ignē castris suis immittit.

sia percussi apertis oculis nihil videre dicebantur, dominus enim euaginauerat gladium suum post eos, & interfecerat eos manus eius, adeo quod a tempore quo perfosta est obsidio, infra nouem mẽses septuaginta milia sarracenorum perierunt in ciuitate, exceptis tribus milibus quos viuos repererunt, inter quos vix centum sani remanserant qui possent defendere ciuitatem, ex quibus quadringentos nobiliores & ditiores vtriusque sexus ad redemptionem captiuorum suorum reseruauerunt, alios vero Christianis vendiderunt, exceptis paruulis quos Aconensis Episcopus baptizauit, quos etiam proprijs expensis fecit reseruari. Facta est autem diuisio ciuitatis & rerum in ea inuentarum vnicuiq; secundum quod eum decebat, iuxta prouidentiam & sapientiam discretorum, de communi consilio ad hoc electorum. Inuenta autem sunt in ciuitate victualia, aurum, argentum, pannisterici, vestes preciosæ, & alia multa supellectilia in abundantia. De consensu autem peregrinorum Legatus dominium ciuitatis cum eius pertinentijs ad ampliationem regni Ierosolymitani, regi Hierusalem contulit imperpetuum possidendum. Hæc ciuitas a latinis & græcis primo fuit obsessa, qui ab ea defecerunt. Deinde a latinis sub Amorico rege Iherosolymitano qui non profecerunt. Hæc triplici est cincta muro, turribus latericijs multis & magnis firmissime firmata. Clauis & ammurale totius Ægypti. Non solum autem illam sed & ciuitatem Thaneos cum castro adiacente octo tures inexpugnabiles habente, non minori vt dicitur miraculo in festo Sancti Clementis dominus nostris subiecit. Nam missi sunt exploratores in nauiculis per stagnum quod a Damieta protenditur vsque ad memoratum castrum, vt statum loci diligenter explorarent. Qui prope castrum accendentes, cum nullos in eius turribus & muris defensores viderent, ipsum castrum intrauerunt neminem intus reperientes. Habitatores eius audita captione Damiethæ, nimio terrore percussi, fugerunt relicto fortiori castro de toto mundo, distat autem a Damietha per vnam dietam. Purgata autem ciuitate Damietha Legatus & Patriarcha cum clero & populo, accensis candelis & luminaribus, cum hymnis & canticis in die Purificationis Beatæ Mariæ processionaliter ingressi sunt ciuitatem. Fecerat autem legatus maximam præparari basilicam, quam in honore Beatæ Mariæ virginis consecrauit, in qua eadem die missarum solemnia cum lachrymis & magna deuotione populi celebrauit, in qua etiam sedem Episcopalem instituit.

Acconẽsis Episco. paruulos sarracenorũ baptismatis lauachro abluit.

Damiethæ ciuitatis descriptio.

Solẽnis supplicatio seu processio in vrbe Damiethæ.

Anno Domini 1220. Robertus Aniciensis Episcopus a quodam milite pro iniurijs Ecclesiæ irrogatis, ab ipso Episcopo vinculo anathematis innodato occiditur, quod populus Aniciensis graue tulit, vnde & statim insurrexerunt in parentes ipsius quædam ipsorum castella diruentes. Erat enim idem antistes nobilis genere: sed nobilior moribus, nam & corporis virginitatem vsque ad vitæ exitum creditur custodisse, quod in eo valde laudabile fuit cum esset præ multis hominibus forma speciosus, claruit autem nonnullis virtutibus. Eodem anno corpus Beati Thomæ martyris, a Stephano Cantuariensi archiepiscopo mensę

Robertus aniciensis episcop⁹ gladio confoditur.

Iulio

Iulio eleuatur, & in loculo deaurato, ac mirabili operum varietate cælato reponitur, anno ab eius transitu quinquagesimo. Per idem tempus mortuo apud Damietam Parisiensi Episcopo, ortaq; dissensione inter Canonicos maioris Ecclesiæ super Episcopi electione, VVilelmus Antissiodorensis Episcopus, vir religiosus ac prudens & in hostes Ecclesiæ rigidus exequutor iustitiæ, iussu Honorij papæ ad Episcopatum transmigrat Parisiensem, cui in regimine Antissiodorensis Ecclesiæ succedit Henricus eiusdem Ecclesiæ Cantor. Hoc anno VVillelmus Parisiensis Episcopus, ab Ecclesia S. Anthonij Parisiensis, conuentum Sanctimonialium Cistercieñsium, Antissiodorum in locum qui dicitur Celle adduxit. Per hos dies dum Amauricus filius Simonis defuncti Comitis Montis-fortis in obsidione cuiusdam Castri ab hæreticis muniti moratur, frater eius Guido Comes Bigorriensis ab hæreticis captus à filio Comitis S. Ægidij occiditur, quod ad cumulum doloris vniuersis Christianis in partibus illis commorantibus accessit, erat enim armis strenuus fide deuotus, ac pulcher aspectu, cuius morte cognita frater eius Amaurus, tactus dolore cordis intrinsecus, promisit se ab obsidione illius castri non discessurum, donec illud aut vi, aut deditione, in suam redigeret potestatem, qui tamen postea suorum auxilio destitutus, infecto negotio inde discedit, quem ipso anno tristia auspicia prosequuntur nam fere omnia castra quæ prius tenuerat, hoc anno ab hæreticis recuperantur. Hoc anno apud Damietam inter Ioannem regem Hierusalem, & Legatum, orta est dissensio, pro eo quod Legatus, vniuersi exercitus dominium vsurpabat, ad hoc vt dicebatur laborans, vt totum Damietæ negotium per eum videretur esse factum, & ob hoc rex à Damieta ad tempus discessit. An. 1223. Factum est diluuium in territorio Altissiodorensi, apud villam quæ dicitur Iranci, quod domos diruit, homines & pecora & etiam mulieres cum pueris in suis cunabulis super torcularia ad refugium fugientes cum ipsis torcularibus cursu rapacissimo abduxit.

Corpus S. Thomæ exhumatũ in aurata theca honorifice recondi tur.

VVillelmus ex Antiss. fit Parisi. Episcopus.

Guido Comes Bigoriensis occiditur.

Quæ sequuntur: supra interseri poterant iuxta annorum seriem, sed nihil immutandum esse in exemplari satius duximus

Anno 1199. Philippus Rex Petri Comitis Niuernensis filiam Herueo de Gierno tradit in cõiugem, & cum ea comitatum Niuernensem qui eam de hæreditario iure cõtingebat, Altissiodoro & Tornodoro Petro patri puellæ quoad viueret derelictis. Per id tempus ea pars Italiæ quæ Longobardia dicitur, bellis vndiq; quatitur ac mutuis dilaceratur dissidijs, vixq; ciuitas erat vel oppidum quæ non se alterutra oppugnatione colliderent. In Gallijs scandalum patiebatur Ecclesia super Rege Philippo, quia vxorem suam regis Danorum sororem, celebrato illegitime diuortio dimisisset, & superduxisset alteram, ex Alemaniæ partibus oriundam. Mittitur proinde Legatus in Franciam Petrus de Capua, vir scientia atq; facundia clarus, ad commonendum vel compellendum Regem, vt relictam reduceret, & relinqueret superductam. Sed cum id minime potuisset, in reditu, cum iam à regni finibus excessisset, non modo regis, sed & finitimorum Principum regiones grauissimo subiecit inter-

Philippus Galliæ rex Othonem Imperatorē expugnat. dicto. An. 1214. Philippus Rex Francorum expugnat Othonem Imperatorem Alemannorum, Ferrandum Comitem Flandriarum, Renaldum Comitem Bononiensem & multos Comites ac Principes, intercipit dictos Comites cum alijs multis dicto Othone sibi consulente per fugam, inter Tornacum & pontem Bouinarū. Dominica die post festum B. Mariæ Magdalenæ ipsa die consecratus est VVillelmus filius VValterij Camerarij in Episcopum Meldensem. *VVillelmus Meldensis Episcopus.* Ipsa die villa quæ dicitur pons super Icaunam igne fulmineo consumitur. Airardus de Rameruco duxit in vxorem Philippam filiam Henrici Regis Ierosolymorum, & Comitis Trecensis. Anno 1215. Innocentius Papa celebrat Concilium generale in Ecclesia Saluatoris quæ appellatur Constantiniana mense Nouembri, Obit magister Lotherus Archiepiscopus Pisanus. Anno Domini 1216, Graue incendium vastat forum Antissiodorense cum Ecclesijs S. Eusebij & S. Amatoris die Mercurij post Penthecostem. Innocentius Papa moritur Perusij Dominica præcedente festum B. Magdalenæ, sepultus est in Ecclesia S. Laurentij Perusij. Moritur Ioannes Rex Angliæ. Henricus Imperator Constentinopolitanus. Guido Dominus Borbon Centhius SS. Ioannis & Pauli presbyter Cardinalis fit Papa & Honorius appellatur. In quindena Paschæ sequentis idem Papa coronat Petrum Comitem Altissiodorensem & Yolem. vxorem eius ad imperium Constantinopolitanum in Ecclesia S. Laurentij extra muros. Turres Ecclesiæ S. Stephani Antissiodorensis miraculose sine alicuius hominis læsione corruerunt, hora nona Dominica Aduentum Dominicum præcedente; Ipso anno fit ventus vehemens per totum regnum Franciæ, diruens Ecclesias & domos, eradicans arbores infinitas. Moriuntur ipso anno Philippus Beluacensis & Renaldus Carnotensis Episcopi. Anno sequenti moriuntur Otho Imperator, Hugo Dux Burgundiæ, Symon Comes Montis-fortis, Giraudus Archiepiscopus Bituricensis, Rex Hungariæ, Dux Austriæ & multi potentes morantur in partibus transmarinis, vbi nimis modice hactenus profecerunt. Grandis dissensio est inter dictum Airardum & Blancham Comitissam Trecensem. Herueus Comes Niuernensis. Petrus Parisiensis & VValterus Eduensis Episcopi & multi Prælati & Nobiles mare intrant, Ierosolymam profecturi. Aurelianis grauiter conflagatur. Stephanus Archiepiscopus Cantuariensis in Angliam redit cum gratia Apostolica & recipitur cum honore. Robertus Episcopus Aniciensis exulat apud Pontigniacum. Iterius Dominus Tociaci Ierosolymam pergit & Ansericus germanus eius cum eo.

FINIS.

BREVIS TABVLA RERVM ET VERborum quæ in hoc Chronico continentur.

a, primam, b, secundam paginam denotat.

FINIS.